Ms. 621. I.

INCLUTO SENATUI
INCLUTÆ REIPUBLICÆ
ULTRAJECTINÆ.
PATRES CONSCRIPTI:
CONSULES,
SENATORES.

1642

PRincipiorum majorem vim esse, quàm magnitudinem, ait aquila illa in nubibus, Maximus Aristoteles, 1. de cœlo, cap: 5. Næ convenienter effato Hesiodéo, quod Pittaco tribuit Laërtius, quo principium dimidium totius esse indigetatur. Dimidium verò? Immò plus quàm dimidium, quod pace utriusque dixerim, non quidem mole, sed viribus & potestate. Principia quippè nobis expediunt τὸ πάθος, passionem seu affectionem, quæ inest subjecto per causam, nosse autem proprium affectum alicujus sub-

Alc. K. 1022 i 84

ſubjecti, id dimidium ſcientiæ, inſuper noſſe cauſam ejus, id verò plus quàm dimidium: Sicut ignorare proprium affectum ſubjecti, id dimidium inſcitiæ, inſuper ignorare causã ejus, id verò plus quàm dimidium. Quod animadvertens divinus Plato ad ravim uſque inculcat, cùm alibi, tum in Cratylo, & 2. de Rep: omnes in eo elaborare, atque iſtic eſſe debere, ut prudenter & ſolidè ante omnia conſtituantur principia. Neque alio nomine acerbiùs, vel Ariſtoteles in Pythagoréos, vel Tullius in Epicureos, invehuntur, quàm ob ipſam hanc oſcitantiam & ſupinitatem in definiendis rerum atque artium principiis. Non præter rationem, meo judicio Quemadmodũ namque, qui à capite viæ aberrat, eum reliquo viæ corpore aberrare neceſſe eſt; ita qui in principiis, atque in prin-

S-96

principia impingit, eum offendere oportet infinitè. Si quid enim in his insit aut subsit erroris, necesse est innumerabilia consequi absurda, & quæcunque inde inferuntur, laborare. Quod magni illi Facultatis Nostræ antecessores, Philosophi acutissimi & oculatissimi, de artium principiis, idem mihi pronunciare liquet universè de harum Compendiis, quæ & ipsa principia, id est, memoratarum artium elementa, rudimenta, fundamenta: Quale est, quod Vobis, P. C, præfatiunculâ hâc dedicabundus affero offeroqué. Et hæc hæc dimidium totius scilicet, immò plusquàm dimidium, quia continent potestate in parvâ mole, quod decumana ac gigantéa artium volumina & corpora in magnâ. Et quod Timolaus Corinthius Græcis, popularibus suis, olim suggessit insinuavit consilium in publico com-

munis

munis Græciæ concilio : Res Lacedæmoniorum fluviorum instar se habere, quæ circa exortum suum tenui labantur venâ, sic ut facilè superari queant, at ubi cursum suum explicuerint, alios quoque fluvios in progressu alvo suâ accipere, neque placido jam, ut inantè, sed rapido ferri alveo, ideoqué domi bos, atque in propriis sedibus, armis inquietandos esse, antequam sociarum civitatum auxiliaribus copiis in egressu confirmentur: Similis consilii bonæ mentis Studiosis autor ego, ut artes domi, atque in suis hospitiis, &, ut ita dicam, fontibus, id est, Compendiis, invadant antè occupentqué, quàm superinductis aut superadditis aliundè Commentariis, tanquam corrivationibus, in vasta flumina, id est, volumina, egrediantur, quæ nec superari amplius queant à discentium diligentiâ,

tia, vel saltem non æquè facilè, ac Compendia, quæ ipso nomine compromittunt compendium studiorum. Hæc me ratio inter alias impulit, P.C, ut post alios, in publico benè merendi de Studiis Iuventutis Academicæ certamine, cujus palmam in medio esse positã omnibus memineram, quò parte molestiæ levarem nostrarum artium ac partium Studiosos, apud me constituerem, de erigendo triplici Compendio per universam Philosophiam Practicam, cujus mihi professio publica peculiari munere incumbit in Vestrate hâc Academiâ. Libuit autem à Domo initium profectionis hujus facere, atque inde progredi ad Rempublicam, hinc postliminiò regredi ad Vtramque, pro foribus atque in Propylæo Domus & Reipublicæ, loco anathematis sacri, suspensis AUREIS MORIBUS.

Ita primum, quod nunc lucem aſpicit, Compendium, Oeconomicum ſanè fuerit: Duorum reliquorum, quæ limen Veſtæ adhuc premit, alterum Politicum, alterum Ethicum. De hoc Trigario Compendiorum primum Vobis, P. C, majuſculis litteris INSCRIBO, *mole minimum, ſed primum tamen, & cui precium addat animus inſcribentis. Scilicet Deo lacte ruſtici ſupplicant, & molâ tantùm ſalsâ litant, qui thura non habent, neque ulli vitio fuit, Deum colere, quoquo modo poſſet: Item Patronis Clientes reddunt officia, nõ quæ debent ſemper, ſed quæ poſſunt. Accipietis itaque de manibus meis munuſculum hoc levidẽſæ, &, quod deeſt ei ad ſummam, benignâ interpretatione ſupplebitis. Sicut enim nullum tam auguſtum officium, quod non vellicare malignitas poſſit,*

sit: Ita nullum tam angustum, quod non bonus interpres extendat. Et est omninò animi ingenui, quibus multum debeas, eis plurimum semper velle debere. Quo nomine Vobis, P. C, quibus debeo locum, quem teneo, quem tueor, hodiè publicè caveo, riteque fidem do. Absit enim, absit, ut sim de eorum numero & grege, qui

Πρὶν παθεῖν, τίνα, ἅπας σπεύδει λαβόντες:

Dum capiunt, laudant, odio sectantur adepti:

Vel etiam, ut Aristophanis Socrates, qui interrogatus, an valeret memoriâ? Reposuit:

Νὴ τὸν Δία!
Εἰ μέν γ' ὀφείλεταί μοι, μνήμων πάνυ,
Ἐὰν δ' ὀφείλω σχέτλιος, ἐπιλήσμων πάνυ:

Næ, per Iovem! Si enim mihi quis quid debet, memor sum, sin

ego

cui debeo miſer, oblivioſus ſum nimis. *Cujus criminis culpam à me quàm longiſſimè abeſſe volo, qui ſemper id operam dedi, daboqué ſemper, ne quando audiam, nedum admittam in me Philippicum illud in ſtigmatiam*: HOSPES INGRATUS!

Valete, P.C. & benè rem domi foriſqué gerite. Vltrajecti VI. *Eid: Ian:* CIↃ IↃC XLII.

VV. AA.

Dedicatiſſimus,

DANIEL BERCKRINGER, Prof.

ΠΡΟΣΦΩΝΗΜΑ

Ad PP: & LL: Studioſos.

EN Vobis Oeconomicã, haud paulò veſtitiorem, quàm fuit, cùm primulũ lucem publicam aſpiceret, habitioremqué. Simul enim cum veſte, neſcio quomodo, habitum ſub manibus mutavit, interpolata, & quoad materiam, & quoad formam, ſed quoad illam maximè. Præcepta nimis quàm finita ſunt, ſed quæſtiones tãtùm non infinitæ, in ipsâ finitudine, quarum una alteram, velut annulus annulum in catenâ, aut clavus clavum in domo pellionis, pellit ac impellit, ut inornatè fortaſſis, ita nõ inordinatè, quoniam una ferè in alteram reſolvitur, immò ex alterâ reſolvitur, ita ut Delio natatore, aut Her-

Hermete Ægyptio, nihil heic fit opus. Illud ad aram ingenuitatis teſtorqué fateorqué, me in reæditione hujus breviarii id egiſſe unicè, ſaltem maximè, ut Almam Philoſophiam Practicã cum Almâ Iurisprudẽtiâ cõciliatũ irem, quas vulgus Juriſcõſultorũ irreconciliat, verùm inauſpicatò, & contra mentem ſui Imperatoris. Hæc hæc eſt enim vera illa Philoſophia, quam pleno deprædicat ore inſtaurator Iuris Civilis Iuſtinianus, Philoſophia, inquam, Practica, conjuncta cum Iurisprudentiâ: Hic hic eſt ille Ianus bifrons, hic Argus, πρόσω καὶ ὀπίσω oculatiſſimus, hic Platonis ille Androgynus, ex Philoſophiâ Practicâ, ut fœminâ, Iuriſprudentiâ, ut mare, combinatus, quæ duo ſtudia qui conjungunt, næ

illi

illi conjugium, qui disjungunt, divortium quæritant, digni, si non meliori fortunâ, saltem mente. Valete, atque à me Politicam, Oeconomicæ conformem, expectatote sultis, idqué quantocyùs.

DANIEL BERCKRINGER,
Phil: Pract: Prof.

E' Pr-

ΕΠΙΦΩΝΗΜΑ

AD EOSDEM.

Fundamenta domus, ac juris origo mariti,
Atque potestatis patriæ momenta, potenti
Stant autore Deo. Non mendax illa Pelasgûm,
Sed divina viri divini pagina Mosis
Prodidit; Adami thalamos Evæque recenti
Orbe docens primos caluisse. Hinc ordine longo
Nati, cum natis, & qui nascuntur ab illis,
Et qui nascentur, descendunt. Conjugis una,
Connubio sic juncta viro, fit fœmina conjunx,
Ac manet æternis ea lecti legibus una,
Hæc dum vita manet, nisi se sponte impia turpi
Crimine adulterii sanctorum privet honorum
Cœstibus, & Venerem Iunoni præferat. Unam
Sufficisse decet complexibus usque, volente
Numine. Sed tamen & nobis permulta supersunt
Prisca exempla virûm, florentque hoc tempore gentes, Queis

Queis amor indulgens arriſit pluribus idem.
Attamen & contra nunc fratris ad oſcula
pallet
Iure ſoror, refugitque illud, quod prima fe-
rebat
Tunc ætas. Certos lex ſanciit alma To-
nantis
Atque gradus fixit, quos nemo impune re-
figat.
Illi ſe debent dominus ſervuſque, nec ambos
Læta Redemtoris tollunt oracula Chriſti,
Sed certa ratione regũt, dominetur ut alter
Iuſte, alter dictis ut pareat, atque lubenter
Iuſſa capeſſẽdo ſibi ſortem edulcet amaram.
Nempe ita conveniunt coëuntque maritus
& uxor,
Diſpare conſpicui titulo, nati atq; parẽtes,
Imperio hi clari, obſequio illi ſemper honeſti,
Et dominis Davi ſervilia corpora præbent,
Conſtituuntque domum junctim, numeriſ-
que beatam
Omnibus abſolvunt. Sic quando domeſtica
rerum
Expoſcunt operas, pulchre procedere cernas
Omnia; ſeu paſtum depoſcat beſtia multa,
Utilis ad vitæ jucundæ gaudia; planta
Seu culturæ avida eſt: ſeu fundus, ditia
fundens,
De locuplete ſinu matris Telluris, in uſum
Nutrimenta hominis, dextram deſiderat.
Inde

Proveniuntque cibi potuſque alimenta, Deorum
Nectar & ambroſiam multum ſuperantia. Sed cur
Cuncta recenſere, & ſtudeã diducere, docti
Autoris quæcunque ſuis ſollertia cellis
Diſpoſuit? Fas eſt, adeas penetrale, Iuventus
Et ſophiæ & Iuris merito ſtudioſa; patẽtes
Inventura fores. Ita certo tramite pergens,
Neglectis albæ Sophies oſoribus atris,
Poſtmodo felici egreſſu donata laborum,
Sat ſcio, de officio hoc autorem ſemper amabis.

ABRAH. BOCSTADIUS.

INSTITUTIONUM OECONOMICARUM DIDACTICO-PROBLEMATICARUM *LIBRI PRIMI*, *Qui eſt* DE SOCIETATIS DOMESTICÆ CONSTITUTIONE,

CAPUT I.

Σύνδεσμος ſive Connexio Partis Philoſophiæ Practicę Communis cum Speciali. Ejus Definitio, & Diviſio in Oeconomicen ac Politicen. Oeconomica quid? Quod ejus Objectum Adæquatum? Conſideratio Societatis Domeſticæ duplex, ratione Materiæ ſeu Conſtitutionis, & ratione Formę ſeu Adminiſtrationis. Conſtitutio diviſa in Perſonalem & Realem: Perſonalis ſubdiviſa in Simplicem & Compoſitam: Simplex in Eſſentialem & Integralem. Conſtitutio Societatis Domeſticæ Perſonalis Simplex Eſſentialis quid? Quamvé ea

contineat Societatem de tribus Simplicibus, nempè Conjugalem? Dubia, ſeu Quæſtiones Controverſæ, incidenter & pro re natâ.

PArs Philoſophiæ Practicæ Communis ſic habet: Succedit Specialis, quæ generalia illa vitæ practicæ principia, atque, ut ita dicam, ſemina & elementa, in parte communi propoſita atque expoſita, quorum obſervantia omnibus hominibus, in quolibet vitæ ſtatu ac conditione, tam neceſſaria eſt, quàm quæ maximè, deſcendens ad particularia, colligit, atque ad certam Societatis Humanæ ſpeciem, putà Societatem, vel Domeſticam, vel Civilem, diſtinctè applicat. Unde in Oeconomicen & Politicen ex objecto deſcribitur.

An Philoſophia Practica rectè dividatur in partem communem & ſpecialem? *Aff.*

An item rectè in monaſticam & ſymbioticam? *Neg.*

An pars Philoſophiæ Practicæ communis certam atque determinatam vitæ practicæ formet ſpeciem? *Neg.*

Adeoqué habeat reſpectum ad ullum aliquem definitum vitæ ſtatum? *Neg.*

Duæné an tres ſint vitæ practicæ ſpecies?

cies? *Aff: Prius: Neg: Post.*

An ergò formet hominem, ut κοσμοπολίτην? *Aff.*

OEconomica est Philosophiæ Practicæ Specialis ea pars, quæ vel justam Societatem Domesticam arte constituere novit, vel eam, quæ jam instituta, & partibus suis constituta est, administrare.

An Oeconomica sit pars Philosophiæ Practicæ? *Aff.*

An disciplina contradistincta à Politicâ? *Aff.*

An ante eam proximè Ethicam tradenda? *Aff.*

An, quemadmodum ordine doctrinæ, ita etiam ordine dignitatis, eam antecedat? *Neg.*

Adeoqué finis ejus respectu Politicæ sit ultimus, an verò subordinatus? *Aff. Post.*

An Oeconomica & Oeconomia, Oeconomicus & Oeconomus differant? *Aff.*

Objectum ergò Oeconomices proprium atque adæquatum, ex quo omnes ejus, tum partes, tum particulæ, primò educuntur, & ad quod ultimò reducuntur, est Societas Domestica.

An societas domestica à civili, non tantùm numero, sed etiam specie, differat? *Aff.*

An ordine naturæ & temporis prior sit civili? *Aff.*

Etiamné ordine dignitatis? *Neg.*

Societas hæc Domeſtica eſt, partim naturalis, partim voluntaria, hominum unà victitantium, omnibuſque ad generationem, propagationem, & ſuſtentationem neceſſariis inſtrumentis inſtructorum, legitimâ gubernatione adminiſtrata unio, ad ſtatum privatum ſeu familiam conſtituendam.

An Societas Domeſtica ſit inſtitutionis naturalis, ſeu de naturæ inſtituto? *Aff.*

An tantùm, & ſolitariè ſeu excluſivè? *Neg.*

Et ſi non, an ergò inchoativè quidem à naturâ, perfectivè verò à prudentiâ? *Aff.*

Si inchoativè, an quoad materiam tantùm, ſeu homines, an verò etiam quoad formam, ſeu unionem hominum? *Aff.*

An neceſſe ſit, ut illi homines ſemper ſimul vivant, ſimul habitent in eâdem domo, & ſub eodem tecto? *Neg.*

Societatis Domeſticæ ſpectanda, tum Conſtitutio, tum Adminiſtratio. Unde duæ reſultant partes hujus diſciplinæ, quarum alteram nomines licet Συσταλικὴν, *Conſtitutivam, alteram* Διοικητικὴν, *Adminiſtrativam.*

An Oeconomica rectè diſtribuatur in partem Συσταλικὴν καὶ Διοικητικὴν? *Aff.*

An item rectè præter has in Φυλακτικὴν

κὴν ἢ Τηρητικὴν Conservativam, & Αὐξητικὴν Amplificativam? *Neg.*

An igitur, quemadmodum constitutio conservationem, ita administratio amplificationem, ambitu suo contineat? *Aff.*

Constitutio Societatis Domesticæ complectitur Materiam ejus, seu partes, vel quasi partes. Estque vel Personalis, seu Hominum Domesticorum, vel Realis, seu Possessionum Domesticarum.

An OEconomici sit tractare de hominibus & rebus? *Dist.*

An res seu possessiones domesticæ sint pars Oeconomices? *Aff.*

Etiamné Oeconomiæ? *Dist.*

Constitutio Societatis Domesticæ Personalis universè vel Simplex est, vel Cõposita.

Constitutio Societatis Domesticæ Personalis Simplex est, quæ primò inter singulos homines necessitatis causâ ad constituendam hanc societatem est adinventa atque introducta.

Estque vel Essentialis, vel Integralis.

Constitutio Societatis Domesticæ Personalis Simplex Essentialis est, quæ continet partes ejus essentiales: Complectiturque primam simplicem, maximè cùm naturalem tum necessariam societatem, necessariam, inquam, ad τὸ εἶναι sive esse ejus οὐσιῶδες substantiale, putâ Societatem

tatem, quam vocant, Conjugalem, quæ baſis fundus ac fundamentum eſt reliquarum omnium ſocietatum.

An ſocietas conjugalis ſit naturaliſſima omnium? *Aff.*

An maximè neceſſaria? *Aff.*

An eſſentialis pars ſocietatis domeſticæ? *Aff.*

An reliquarum omnium ſocietatum baſis fundus ac fundamentum? *Aff.*

Adeoqué an homo ζῶον συνδυαστικὸν μᾶλλον, ἢ πολιτικὸν? *Aff.*

Omneſné ideò operam dare debeant conjugio? *Diſt.*

An id præſtantius cœlibatu abſolutè? *Aff.*

Annon conjugio præſtantior cœlibatus comparatè? *Aff.*

Omniſné indifferenter? *Neg.*

CAPUT II.

Societas Conjugalis definitur. Ejus proponuntur & exponuntur Cauſæ bis binæ numero. Cauſa Conficiens Conjugii Remota, Propinqua, Proxima, quæ Conſenſus, tam Parentum, quàm Perſonarum Contrahentium: Quo-cum inde pugnat Coactio, hinc Raptus, & Error. Coactio ſecatur in eam,

quæ

quæ fit Vi, aut Metu: Vis in Præciſam & Conditionalem: Metus in Vanum & Iuſtum, ille iterum in Concuſſivum & Impreſſivum, hic in Reverentialem & Potentialem. Error & ipſe diditur bipartitò, in Errorem Perſonæ videlicet & Fortunę. Error perſonæ in Subſtantialem & Accidentalem: Subſtantialis in Errorem Corporis & Corporalem: Accidentalis in Errorem Nominis, Conditionis, & Qualitatis. Dubia, ſeu Quæſtiones Controverſæ, incidenter & pro re natâ.

SOcietas Conjugalis, ἡ Κοινωνία Γαμικὴ, eſt prima ſocietas domeſtica perſonalis ſimplex eſſentialis, quæ viget inter virum & mulierem, ſeu maritum & uxorem, liberè ac legitimè conſentientes, individuam vitæ conſuetudinem continens, inſtituta ſecundum naturam, ad ſobolis generationem, & mutuum auxilium atque ſolatium.

An conjugium ſit conventio, an verò res, de quâ conventio? *Aff. Poſt.*

Et ſi, an ejus poſſeſſio eſſe poſſit ſine vero titulo? *Neg.*

Causæ ejus bis binæ numero: Efficiens, Materia, Forma, & Finis.

Causa Efficiens Societatis Conjugalis, vel Remota est, vel Propinqua, vel Proxima.

Causa Efficiens Remota est Deus Optimus Maximus, qui occultos stimulos homini in primævâ creatione indidit, ad appetendam hanc conjugalis vitæ societatem, primusquè quasi paranymphus extitit in Adami & Evæ copulatione.

An conjugium sit institutionis divinæ? *Aff.*

Ideoquè status sanctus, & Deo placens? *Aff.*

An sacramentum? *Neg.*

Annon vita μισογαμικὴ sacræ huic institutioni reclamet? *Aff.*

Et consequenter quoque Cleri cœlibatus? *Aff.*

An huic rectè prætexatur Traditio Apostolica, sive ἔγγραφος, sive ἄγραφος? *Neg.*

Aut Ius Ecclesiasticum positivũ? *Neg.*

Vel ἡ παλαιὰ παράδοσις, seu τὸ παλαιὸν παράδοτον? *Neg.*

Quod si conjugia institutionis divinæ, an ergò fatalia? *Aff.*

Causa Efficiens Propinqua, vel Interna est, seu Principalis, vel Externa, seu Minùs Principalis.

Interna

Interna seu Principalis est Naturà, quæ cùm sit ordinaria Dei potestas, insitos ad libidinem stimulos potenter exerit, & subindè acuit atque instaurat, τῆς τεκνοποιητικῆς ἢ τεκνοποιΐας ἕνεκεν, liberorum procreandorum gratiâ. Neque enim diversos sexus optima mater fabricavit frustrà, potentiamq; generandi, ac desiderium sibi simile producendi, dicis, quod ajunt, causà concessit.

An conjugium quoque sit institutionis naturalis, seu de naturæ instituto? *Aff.*

An ergò vita μισογαμικὴ etiam huic institutioni reclamet? *Aff.*

Nominatim Cleri cœlibatus, totiusque alicujus ordinis? *Aff.*

Adeoqué cœlibatus, tam negativus, quàm privativus? *Dist.*

Externa seu Minùs Principalis est Necessitas, quæ hanc conjugis vitæ consuetudinem homini mari & fœminæ quodammodò expressit, qui sibi solis ac soli, id est, extra torum genialem, adeoque solitariè viventes, non sufficiunt, neque ad generandum, cùm mas sit animal συνδυαστικὸν quod gignit in alio, non in se ipso, fœmina autem animal, gignens quidem in se ipso, at non à se ipso, neq; ad opitulandum, cùm nõ tãtùm homo hominis, quà homo, sed etiam, quà talis homo, id est, masculus fœ-

mellæ, fœmella masculi auxilio indigeat.

Annon necessitas quoque hominibus suaserit conjugium, aut imperaverit potiùs? *Aff.*

Et quæ eã comitari amat indigẽtia? *Aff.*

Causa Efficiens Proxima est Consensus, tam Parentum, adeoque eorum, qui parentum sunt loco, quàm ipsarum Personarum Contrahentium, aliàs Expressus, Specialis, Præcedens, aliàs Tacitus, Verisimilis tamen, Generalis, Comitans aut Sequẽs, universè verò Rationabilis utrinq; ac Legibus Qualificatus, Spõtaneus, Liber, Plenus seu Perfectus, Serius, Sincerus, Apertus, Mutuus, denique Authenticus sive Originarius. Vterque de honestate ac necessitate matrimonii, quamvis inæqualiter, hoc est, de necessitate necessitatâ parentum, de necessitate verò necessitante ipsarummet personarum contrahentium, alter de necessitate hypotheticâ, ut solennitas quædam necessaria, alter de necessitate absolutâ, ut substantiale quid, juxta Canonem Pragmaticum, quo consensus, non concubitus, dicitur facere matrimonium, qui usus potiùs ejus, quàm usia, existentia, quàm essentia.

An matrimonium contrahatur re, an verò solo consensu? *Aff. Post.*

An vel parentum consensu solo, vel personarum contrahentium? *Neg.*

An

An ergò parentum hîc requiratur, non tantùm consensus, sed etiam jussus, præceptum, licentia, decretum, mandatum, consilium, permissio, sententia? *Aff.*

Æqualiterné patris & matris desideretur consensus? *Neg.*

Si minùs comparatè, saltem absolutè? *Aff.*

Præsertim mortuo patre, in liberorum, cumprimis verò filiarum minorum nuptiis? *Aff.*

Etiamné in liberis emanicipatis? *Dist.*

Nominatim filiâ emanicipatâ, quantumvis viduâ, at minore 25. annis? *Aff.*

Etiamné majore? *Dist.*

An ergò filiafamiliâs, sive virgo, sive vidua, semper cum auctoritate patris debeat nubere? *Aff.*

An item filius miles? *Aff.*

Aut Doctor? *Aff.*

An sufficiat voluntas avi in nepotis, & aviæ in neptis collocatione? *Neg: Prius: Dist: Post:*

Quòd si diversa sit voluntas patris ab avi, matris ab aviæ, patrisné an avi, matris an aviæ, sit præferenda? *Dist.*

Adeoqué, annon avus paternus heic sit præferendus materno, avia paterna maternæ? *Aff.*

An item eorum, qui parentum sunt loco, attendi debeat consensus, præsertim in

defectu parentum? *Aff.*

Nominatim tutorum? *Aff.*

Annon horum autoritas interim sit minor, quàm parentum quorum sunt loco? *Aff.*

Non tantùm patris, verùm etiam matris inclusivè? *Aff.*

An partium seu personarum quoque contrahentium efflagitetur consensus? *Aff.*

An magis, quàm parentum, aut eorum, qui parentum sunt loco? *Aff.*

Adeoqué, an consensus liberorum requiratur absolutè, in ordine ad parentes, in tractatu hoc matrimoniali? *Neg.*

An referat, uter contrahentium prior, vel interroget, vel interrogetur de cõsensu, virné an mulier? *Dist.*

An desideretur semper consensus expressus? *Neg.*

Annon sufficiat quandoque tacitus, verisimilis tamen, atque æquè potens expresso? *Aff.*

Atque ita, an in matrimonialibus sacris, præter consensum ῥηματικὸν verbalem, qui fit per sermonem, locum quoque habeat consensus γραμματικὸς litteralis, qui fit per scripturam, & δεικτικὸς symbolicus sive significativus, qui fit per notas & symbola externa? *Aff.*

An hi consensus substantialiter, an verò ac-

rò accidentaliter tantùm differant? *Aff. Post.*

Universè, an consensus matrimonialis necessariò exposcat verborum adminicula? *Neg.*

Saltem in valentibus loqui? *Neg.*

Aut an verba de substantiâ matrimonii? *Neg.*

An ergò quoque sine expressis verbis possit contrahi matrimonium? *Aff.*

Vel à surdis, aut mutis? *Aff.*

Surdisqué & mutis, seu surdis-mutis, mutis-surdis? *Aff.*

An item à surdis-mutis-cæcis? *Disq.*

An quis ita sit mutus, ut nutu nequeat significare consensum? *Neg.*

An hunc consensum quoque significare possit surdus? *Aff.*

An non nutu tantùm, sed etiã sermone, adeoq; an natus surdus possit loqui? *Neg.*

Et an causa mutitatis sit in auribus, linguâvé, an verò in aurium & vocalium organorum mirabili κοινωνίᾳ? *Aff. Postr.*

An matrimonium possit contrahi sine interprete, etiam à non intelligentibus, si, v. g. unus Græcè, alter Latinè loquatur, masculus loquatur verba suæ linguæ, fœmina item suæ? *Aff.*

Per epistolam, & alias notas ac symbola externa, v. g. ut *a* significet promittis, *b* promitto? *Aff.*

Nomi-

Nominatim per annuli traditionem ? *Dist.*

Quòd si enim annulus exhibeatur puellæ alicui ibi locorum, ubi etiam aliæ innuptæ solent gestare annulos, juvat heic quærere, an ex simplici hoc facto exprimatur protinùs sacer matrimonii consensus ? *Neg.*

Annon saltem ex annuli pronubi subarrhatione, si præcedant verba immissionem, inferentia conjugium ? *Aff.*

Titiusvé solenniter annulum induxerit digito Cajæ in ecclesiâ ? *Aff.*

Aut consuetudo sit, ut annulus certâ formâ signatus detur in pignus matrimonii ? *Aff.*

Morisvé sit, ut inductio annuli in digitum inducat matrimonium ? *Aff.*

Quid, si non à sponso, sed à patre sponsi detur annulus, aut masculus tantùm sit locutus, mulier verò annuerit, passaqué sit digito annulum indi, indené inferetur matrimonii contracti præsumtio ? *Aff.*

Etiamné, si hæc immissio fuerit facta extra ecclesiam ? *Aff.*

Aut mulier recusârit annulum, vel jocabunda & ludibunda admiserit ? *Neg.*

Quòd si viro vidente, qui in matrimonium consensisse dicitur, annulum & alium ornatum maritalem, viro illo dignum, portet fœmina, an quoque inde

quis

quis rectè conjecerit de matrimonio? *Aff.*

Mulier ad interrogationem tertii, an vellet Titium pro suo legitimo viro, se velle respondeat, Titius contrà, atque ita tetigerint manus, ac tulerint sibi invicem oscula, an id argumentum contractus? *Aff.*

An item oscula sola absque verbis? *Neg.*

Aut amplexus, & momentanea ductio in domum? *Neg.*

Annon saltem aliquandò matrimonium ratificetur per oscula? *Dist.*

Donavé, quæ donari tantùm nubentibus solent? *Aff.*

Aut per ductionem stabilem, putà, si per triduum perseveretur in domo, idque cohabitandi causâ? *Aff.*

Atque adeò, annon oscula, basia, suavia, in hâc materiâ differant, ita ut oscula sint officii, basia pudici affectus, suavia libidinis amorisvé? *Aff.*

An hoc discrimen sit perpetuæ observantiæ? *Neg.*

Ideoqué sæpissimè oscula pro basiis & suaviis usurpentur? *Aff.*

Quæro ulteriùs, an, si pater loquatur, & filia se patiatur subarrhari, intelligatur consensisse? *Aff.*

Aut, si patris voluntati non repugnet, non contradicat? *Aff.*

Etiamné, si non intellexerit? *Neg.*

Vel si tacuerit ad sponsum indignum? *Neg.*

Dolové tacuerit? *Neg.*

An omnis patiẽtia pro consensu? *Neg.*

Annon hîc potiùs intelligatur consensisse filiæ pater, quàm patri filia? *Aff: Prius.*

An consensisse judicandus sit pater, qui non dissensit, aut non contradixit? *Dist.*

Annon saltem continuata notitia parentis inducat præsumtionem consensus, si ab initio sit requisitus? *Aff.*

An sufficiat consensus generalis, an verò insuper exigatur specialis? *Dist.*

Si specialis, an de ipso individuo? *Aff.*

Adeoqué, an filius, si accepit solam potestatem quærendi, possit sibi sumere etiam potestatem ducendi? *Neg.*

An consensus parentum debeat præcedere? *Aff.*

Annon comitans vel sequens consensus heîc sufficiat quandoque? *Dist.*

Adeoqué locum habeat ratificatio seu ratihabitio? *Aff.*

Quòd si dissentiant fortè parentes à cupiditatibus & desideriis liberorum, an teneantur allegare certas ac probabiles causas sui dissensus? *Aff.*

Itemné liberi, si & ipsi dissentiant à votis & studiis parentum? *Aff.*

An dissentiente filio à voluntate patris quævis paulò prægnantior causa dissen-

sus

ſus ſufficiat? *Aff.*

Etiamné diſſentiente filiâ? *Neg.*

An inter juſtas cauſas diſſentiendi ſit tenerior etiamnum filii ætas, imbecillior valetudo, occupatio militiæ, aut litteraria, item mores ſponſæ, ejuſque obſcuri ac humiles natales, & ſi qua ſunt generis ejuſdem? *Aff.*

An etiam votum cœlibatus? *Neg.*

Aut religionis ingreſſus? *Neg.*

An paupertas? *Diſt.*

An ergò filiusfamiliâs poſſit contradicere patri, jubenti duci imparem, infamem, propudioſam, criminoſam, adulterii damnatam, excommunicatam, illegitimam, legitimatã, turpem, ſcenicam famulam, viduam? *Aff.*

An filiafamiliâs pariter matri, jubenti nubere impari, protervo, dementi, melancholico, aleatori, vinario, guloſo, impoſtori, mendaci, avaro, iracundo, litigioſo, injurioſo, Simoniaco? *Aff.*

An indifferenter ac ſine diſcrimine quilibet conſenſus probetur, nominatim impuberis, aut ejus, qui in vetito gradu vult cõtrahere, vel ſub poteſtate eſt? *Neg.*

Annon is conſenſus debeat eſſe ſpontaneus & liber? *Aff.*

Atque adeò, an filius patrem cogere poſſit ad conſenſum? *Diſt.*

Vel ille adigere hunc ad matrimonium? *Diſt.*

Etiamné

Etiamné ad certum matrimonium? *Neg.*

Et convenienter, an videatur consensisse filius, si voluerit, utut gravatè? *Aff.*

An igitur coacta voluntas sit etiam voluntas? *Dist.*

Dumqué non permittitur liberis, ut sine consensu parentum contrahant, an propterea cogantur, vel nullas inire nuptias, vel eas, quas velint parentes? *Neg.*

An idem consensus quoque debeat esse plenus? *Aff.*

Et si, an matrimonium contrahatur, si quis dicat, vellem te uxorem, placeret te habere uxorem, placeres in uxorem? *Neg.*

Annon, si quis ita dicat, volo te in uxorem, volo te habere uxorem, placet habere uxorem, places mihi in uxorem? *Aff.*

Utrum horum verborũ ἐμφαλικώτερον, magis præcisæ atque expedientis naturæ, placet, an volo? *Aff: Post.*

An joco quoque contracta matrimonia valeant? *Neg.*

Matrimoniumqué sit res formaliter & substantialiter ardua? *Aff.*

An semper causa favorabilis? *Neg.*

An videatur consensisse in matrimonium, qui deceptoriis & captiosis utitur verbis? *Neg.*

Qui

Qui,v.g, promiſit,ſe habiturum aliquã uxorem, donec terra tegeret oculos, ſi idem mox oculos ſibi curet terrâ tegi? *Neg.*

An ſufficiat intus reconditus duorum ignorantium conſenſus, ut, ſi velit intra ſe Caja Titium ſibi maritum eſſe, & Titius velit Cajam ſibi uxorem eſſe? *Neg.*

Aut ſola cogitatio efficiat matrimonium, etiam cum uterque habet voluntatem matrimonialiter cohabitandi? *Neg.*

An conſenſus inducens conjugium præterea debeat eſſe mutuus ac ſimultaneus? *Aff.*

An talis quoque detur inter abſentes? *Aff.*

Conſentiat mulier in furioſum, & hoc pòſt ſano ac conſentiente non conſentiat an hîc τὸ mutuum? *Neg.*

Conſentiat aliqua in aliquem, quem putat in ſe conſentire,cùm ille in ſororem ejus conſentiat, an hîc τὸ mutuum? *Neg.*

Annon ſaltem, ſi ceſſante errore adhuc conſentiat, & ille alter ratificet atque excipiat conſenſum? *Aff.*

An matrimonium contrahatur ex conſenſu alieno? *Neg.*

An ullâ autoritate poſsit ſuppleri? *Neg.*

Vel ab ipſâ Majeſtate? *Neg.*

An ſi, v g.frater nuptias ſororis pactus ſit

sit Titio, teneatur ex eo soror? *Neg.*

Annon, si rogata reponat, velle se, si frater velit, Titius contrà, & se velle, si ille velit? *Aff.*

Aut, si ille, si placet sorori, hæc, si fratri placebit? *Aff.*

An parentum consensus non tantùm de honestate, sed etiam de necessitate sit matrimonii? *Aff.*

Absolutâné? *Neg.*

An necessarius sit consensus patris absentis, captivi, furiosi? *Dist.*

Annon furioso parenti possit dari curator, qui ipsius nomine consentiat? *Aff*

Et annon potestas patria tum sit in pendenti? *Neg.*

An sit de essentiâ matrimonii seu substantiâ? *Neg.*

An verò desideretur tantùm ad circumstantias ejus, tanquam solennitas quædam necessaria? *Aff.*

Neque ut forma informans, sed ut assistens? *Aff.*

An juris divini & naturalis? *Aff.*

Civilisvé? *Aff.*

Et Canonici? *Dist.*

An vitiet matrimonium omissus? *Aff.*

Et si, an quoad defectum in essentiâ, an verò in solennitate? *Aff: Post.*

An puniri possint liberi ob neglectum hunc consensum? *Aff.*

An

An ipſe pater poſsit punire ex hâc cauſâ, filium multare legitimâ, filiam dote? *Aff.*

Præſertim, ſi turpes nuptiæ ſic ſint contractæ? *Aff.*

Etiamné, ſi benè contraxerunt, abſque conſenſu tamen? *Aff.*

Aut ſi nupti non habeant, unde ſe alant? *Aff.*

Vel ad ſecundas nuptias tranſierint, parentibus inſalutatis? *Aff.*

Annon licitum ſit parentibus, diſſolvere etiam ipſis autoribus contracta matrimonia filiarum? *Neg.*

Pater filiæ dari juſſerit teſtamento, ubi nupſiſſet, & filia ſit nupta patre abſente atque ignorante, & quidem indigno, quæritur, an legatum ei nihilominùs debeatur? *Neg*

Adeoqué universè, an, qui duxit, vel quæ nupſit abſque parentum conſenſu, ſit maritus juſtus uxorvé juſta? *Neg.*

Quiqué ex tali matrimonio ſuſcipiuntur liberi, legitimi? *Neg.*

Saltem jure gentium? *Neg.*

Ideoqué, ſi quis contraxerit ſub conditione, ſi pater conſenſiſſet, ſecutuſqué interim ſit concubitus, ſubſiſtat matrimonium, non obſtante contrariâ patris voluntate? *Neg.*

Annon ſuſtinendo pœnam ſtet matrimonium.

monium, etiam consummatum, quodqué secuta jam copula? *Dist.*

Annon interim huic matrimonio possint intercedere parentes, si jure suo uti velint? *Aff.*

Adeoqué pater jure potestatis abducere possit filiam, absque consensu suo alii nuptam? *Aff.*

Annon præstet, eos jure suo quodãmodò cedere ac concedere, imprimis si conjugii pignora accesserint? *Aff.*

An consensui huic parentũ præjudicet cõtrarium Esavi & Thobiæ facinus? *Neg.*

An consensus ipsarummet personarum contrahentium sit & ipse, non tantùm de honestate, sed etiam de necessitate matrimonii? *Aff.*

Absolutâné? *Aff.*

An de essentiâ seu substantiâ matrimonii, de essentiâ, inquam, & substantiâ actus? *Aff.*

Consensusné hic, an concubitus, faciat matrimonium? *Aff: Prius.*

An & ipse sit de substantiâ seu essentiâ matrimonnii? *Neg.*

Et an ante concubitum aliquid desit ad perfectionem matrimonii? *Neg.*

Matrimoniumvé faciat solus? *Neg.*

Annon saltem sit consummatio matrimonii? *Aff.*

An hæc consummatio sit matrimonii con-

consummandi, aut veriùs consummati, usia, an verò usus, essentia, ac non potiùs existentia? *Aff: Post.*

Quòd si post tempus matrimonio contrahendo constitutum sequatur concubitus, annon matrimonium? *Aff.*

An ideò, quia secutus concubitus? *Neg.*

An ergò differant matrimonium & copula, quam sic vocant? *Aff.*

Et si, an matrimonium jam sit consummatum quoad essentiam etiam ante copulam? *Aff.*

Rectequé conjugatus dicatur, qui matrimonium contraxit consensu perfecto, nondum verò consummavit per copulam? *Aff.*

A copulâ, inquam, civili, quæ consensu perficitur, non naturali, quæ perficitur concubitu? *Aff.*

Annon saltem ex concubitu transeatur de sponsalibus ad matrimonium, sequenti intra tempus nominatum conjugio? *Aff.*

Immò quoque post nominatum? *Aff.*

Etiamné, si pars contrà protestetur, aut dicat, se fornicario animo cõcubuisse, vel etiam utraque pars protestetur? *Aff.*

An ergò concubitus sequens sit satis, etiamsi sponsalia sic fuerint, promitto te ducere ante pascha, & concubitus sit secutus

cutus poſt paſcha? *Aff.*

Adeoqué, an concubitus ſequens faciat matrimonium, ubi purè unus, alter ſub conditione contraxit? *Neg.*

Sit cõditio dicta: Si ſines te cognoſci: an per primum concubitum fiet matrimonium, an verò per ſecundum? *Neg: Utr.*

Sit dictum: Nolo me tangas, niſi ducas me in uxorem: & ſequatur concubitus, matrimoniumné inde? *Diſt.*

Aut promiſerit quis, unam filiarum Titii ducere, cumqué unâ earum poſtea concumbat, matrimoniumné inde? *Diſt.*

Conſenſum hunc evertit, ex parte Parentum Coactio, ex parte Perſonarum Contrahentium Raptus & Error.

Coactio eſt, cùm parentes liberos ad perſonam, à quâ abhorrent, ducendam, Vi Metuvè impellunt.

Vis illa vel Præciſa eſt, vel Conditionalis.

Metus vel Vanus, vel Iuſtus.

Metus Vanus iterum vel Concuſſivus, vel Impreſſivus.

Metus Iuſtus vel Reverentialis, vel Potentialis.

An coactio locum habeat in matrimoniis, adeoq; an quis cogi poſsit aut debeat ad matrimonium ineundum? *Diſt.*

An poſsit prætexi coactio, ſi armati ad mulie-

mulierem acceſſerint, cum quorum uno contractum fuit matrimonium, cùm & progreſſa his obviam fuerit mulier, & matrimonium à ſe contractum narrârit hilariter? *Neg.*

Aut, ſi ſecuta ſit copula, vel etiam attentatio, cui non reſtiterit mulier? *Neg.*

Annon ſpontè ſponſâſſe videatur, qui amavit, qui prædixit, ſe ſponſaturum, qui lætũ ſe præbuit in ſponſando & pòſt, qui hortatus puellam tacentem, ut conſenſum expromeret, qui eam oſculatus amanter eſt, quiqué adeò dixit, ſe cupere? *Aff.*

An matrimonium, coactum ex unâ parte, teneat ex parte cogentis? *Aff.*

Si adoleſcentis manum vi trahat alius, ad fœdus conjugii per dexterarum conjunctionem ineundum, an in vi hâc præcisâ ſit conſenſus? *Neg.*

An plenè probet vim, ſi quid inſolitum in contractu exactum? *Neg.*

Si, v.g., exactum jusjurandum inſolentius? *Neg.*

Vel adhibita cautela abundantior? *Neg.*

Annon præſumere faciant vim arma, quamvis intentata non ſint, immò etiam, ſi ſint de manibus poſita, ſed ibi tamen, ubi accipere poſsit is, qui poſuit, non is, qui vim patitur, præſertim ſi is non ſit aptus armis tractandis? *Aff.*

Aut, ſi non appareant quidem, ſed audiantur tantùm, verùm non vanus is ſit ſtrepitus, neque longulè diſsitus? *Aff.*

Oſtiumvé ſtatim ſit clauſum, atque quis eſt ingreſſus? *Aff.*

Vel contractum in carcere? *Aff.*

Et ſub tonſoris novaculâ? *Aff.*

Etiam ſub conditione, & per neceſsitatem cauſativam? *Aff.*

Quid de metu? Valetné matrimonium contractum metu? *Neg.*

Vel juratum? *Neg.*

Annon convaleſcat ex poſt-facto, id eſt, ex conſenſu vel cõcubitu ſequenti, aliové ſubſequentis conſenſus argumento? *Aff.*

Omniné conſenſu & concubitu, tam ſpontaneo, quàm non ſpontaneo? *Neg.*

Liberè quis contraxerit ſponſalia, pòſt autem per metum contrahat matrimonium, tenebitné? *Neg.*

An metum hunc purgent riſus atque oſcula? *Neg.*

Aut, ſi quid geſtum extra locum metus? *Diſt*

An ſatis ſit, allegare metum in genere, an verò probandus ſit teſtibus ſingularibus? *Aff.*

Duobuſné ad minimum? *Aff.*

An his credatur magis affirmantibus de metu ac pro metu, quàm mille negantibus, cæteris paribus? *Aff.*

An

An directò posſit probari metus? *Neg.*

Annon ſaltem per conjecturas, eaſqué veriſimiles? *Aff.*

Adeoqué, an aliqua fiat & ab eo teſte fides, qui ait, audiviſſe dici, matrimonium eſſe contractum metu, etſi non afferat, à quibus audiverit? *Neg.*

Et annon is probare habeat de metu, qui de metu aſſerit? *Aff.*

Pariaqué, facere coactè, vel metu coactionis? *Aff.*

An hic metus contradictoriè opponatur libertati? *Aff.*

An vanus quoque metus vitiet matrimonium? *Neg.*

Nominatim metus à nemine illatus? *Neg.*

Vel mali longè futuri? *Neg.*

An præſumatur metus incuſſus, ſi potentior ſit is, cui metus dicitur incuſſus, aut vir ſit religioſus, qui dicitur incuſſiſſe? *Neg.*

An contractus vincatur factus metu, ſi is incuſſus poſt contractum? *Neg.*

Præparationeſqué ad nuptias nimis citò ſint factæ? *Neg.*

Neque ad utilitatem inferentis, ſed alterius, ſpectet metus? *Neg.*

Annon ſaltem juſtus metus vitiet matrimonium? *Aff.*

Veluti, ſi puella contrahat cum filio

notarii, vel procuratoris, qui rerum patris habet instrumenta, subverterequé ea studet? *Aff.*

Aut cum viro magistratu, metu pœnæ trecentorum ducatorum? *Aff.*

An item metus, qui infertur justè? *Neg.*

Ut, si quis metu inductus contrahat nuptias, deprehẽsus à patre cum filiâ in ipso actu? *Neg.*

Vel de nocte in domo lectulovè? *Neg.*

Aut, si quis metu mortis contrahat cum concubinâ? *Neg.*

Et universè, si intervenerit metus, culpâ patientis metum: *Neg.*

An rectè definiatur justus metus, qui cadit in constantem, vel constantissimum virum? *Neg.*

Annon cadat etiam in fœminam? *Aff.*

Sufficiatqué minor in muliere, & viro pusilli animi, timente timenda pariter, ac non timenda? *Aff.*

Et vel justa ac verisimilis suspicio metus, non illati, verùm concepti probabiliter? *Aff.*

Neque tantùm metus præsens, sed imminens? *Aff.*

An justus metus ex affectu seu qualitate agentium & patientium, id est, territantium ac territorum, sit dignoscendus? *Aff.*

An tantùm? *Neg.*

Annon

Annon metus mortis, vulnerum, verberum, carceris, amittendorum bonorum, sive omnium, sive majori ex parte, & ipse sit justus? *Aff.*

Si pallor apparuit, si suspiria emissa sunt inter contrahendum? *Aff.*

Si alteruter contrahentium dixerit, se non libenter contrahere? *Aff.*

Si ad minacias responderit, quoniam vis, ut ego illam vel illum accipiam, accipio, verùm cespitabundus, id est, hæsitabundus, & tantùm non plorabundus? *Aff.*

Quæro ulteriùs, an ex inæqualitate conjugum conjectare liceat de metu dignioris? *Aff.*

Aut, si juvenis aufugit statim, ac potuit? *Aff.*

Annon protestatio præcedens probet metum? *Aff.*

Etiam clandestina? *Aff.*

An item sequens, saltem æquè? *Neg.*

Præsertim, si fiat ex intervallo? *Neg.*

An necessaria ad probandum metum? *Neg.*

An sufficiat sola? *Neg.*

Adeoqué, an post protestationem nihilominùs probari debeat metus evidentibus demonstrationibus, ac perspicuis signis? *Aff.*

Annon, si parte præsente, & non contradicente, fiat protestatio, & quidem in

ipso actu, saltem arguat metum? *Aff.*

An matrimonium valeat, quod contractum est ob minas parentum, inducentes justum metum? *Neg.*

An igitur rescindendum sit promiscuè omne matrimonium, ex reverentiali metu contractum, adeoqué, an contractus matrimonii fiat irritus ex reverentiâ solâ? *Neg.*

Annon, si intervenerit simul metus facti, quia pater verberibus coëgit filium? *Aff.*

An præsumatur metus reverentialis, nisi simul probentur minæ? *Neg.*

Aut enormissima læsio? *Neg.*

An etiam is filius-familiâs dicatur contraxisse metu reverentiali, qui propter nimiam importunitatem contraxit, indignationemvé? *Aff.*

Aut eo die, quo repugnaverat patri priùs? *Aff.*

Pater contrahat præsente filio, & tacente propter metum reverentialem, aliâs non tacituro, quæritur, an teneat contractus? *Aff.*

Annon metu reverentiæ impediatur cõsensus? *Neg.*

Pariaqué, sive quid metu fiat, sive propter reverentiam? *Neg.*

Annon parentes liberos possint cogere vel invitos ad ducendas eas uxores, quas ipsi elegerunt? *Neg.*

Aut

Aut filia teneatur consentire, si eam det pater nuptui viro indigno invitam? *Neg.*

Saltem mortuo patre cogi possit filius, nunc pater-familiâs effectus, ad nuptias, quas contraxit olim, si nunc eas defugiat? *Dist.*

An etiam is filius-familiâs videatur contraxisse metu, qui ingressus est matrimonium, quò satisfaceret tutoribus, & magistratibus provincialibus? *Neg.*

An illi possint ducere pupillas, hi uxorem provincialem? *Dist.*

Aut horum liberi eas, quæ sub tutelâ, vel in provinciâ? *Dist.*

An liberi ex tali conjugio nati sint successibiles? *Dist.*

Annon interim mater pupillæ justè nubat tutori? *Aff.*

Universè, annon magistratus saltem aliquandò cogere possit cives ad ineundum conjugium? *Aff.*

Et vel pœnis adigere? *Aff.*

An nominatim cogere eos, qui continentiæ donum non habent? *Aff.*

Aut extra connubium cohabitare volunt? *Aff.*

Vel de promissione conjugali sunt convicti? *Aff.*

Adeoqué & virginis violatorem, ut ducat violatam, siquidem ipsa velit? *Aff.*

An etiam patrem vitiatæ, ut vitiatam det ſtupratori vel ingratiis? *Neg.*

Annon ſaltem tunc, cùm fides de conjugio ultrò citroqué eſt data, inter eum, qui egit, & quæ paſſa? *Neg.*

Et, an valeat matrimonium, quod imperio magiſtratus, vel precibus, extra illum caſum & cauſam eſt contractum? *Neg.*

Et conſequenter ſtatutum, cogens ad matrimonium? *Diſt.*

An rectè Conſtantinus, & poſt eum Iuſtinianus, legem contra cœlibes & ὀψιγάμους, ſeu maritos tardiores, ſuſtulerint? *Aff.*

Atque ita, ſicut pœnæ cœlibum, ita privilegia quoque conjugatorum, ſint abrogata? *Neg.*

Denique, an univerſo alicui ordini piè interdicatur conjugio? *Neg.*

Annon interim bis rectè civibus conjugio forenſium? *Aff.*

Raptus eſt, cum quis fœminam, ſive nupta illa ſit, ſive innupta, ſive virgo, ſive vidua, ſive ingenua, ſive libertina, vel etiam ancilla, illà aut illis invitis, in quorum poteſtate eſt, libidinis explendæ cauſà abducit.

An differant raptus & rapina? *Aff.*

An rectè definiatur raptus à Canoniſtis, quòd ſit violenta abductio puellæ à domo

domo patris, ut eam corruptam poſtea uxorem habeat? *Neg.*

An, ut quis dicatur raptor, ſufficiat intuliſſe metum puellæ? *Neg.*

Adeoqué ſit raptor, qui abduxit, ſed non ſtupravit, ſtupravit, ſed non abduxit? *Aff.*

Etiamné, ſi quis effugientis vel luctantis mulieris veſtem tantùm laceraverit? *Aff.*

Aut in cubiculo vel loco ſolo deprehenſæ pudicitiam eripuerit? *Aff.*

Stuprumvé violentum commiſerit? *Aff.*

An ergò ſtupro violento inſit raptio & abductio? *Aff.*

Ut ad ſingularia & ſpeciem deſcendamus, an igitur filii Dei, de quibus dicitur Gen:6.v.2, quòd videntes filias hominum eas acceperint, commiſerint raptum? *Aff.*

An etiam Sichem, filius Hemor? *Aff.*

An Benjamitæ? *Neg.*

An Romani, rapiendo Sabinas? *Aff.*

Universè, atque in theſi, ſic, ut dictum, rapta, poteſtné raptorem ſibi expoſcere maritum? *Neg.*

Annon ſaltem in ejus poteſtate conſtituta? *Neg.*

An ergò talia matrimonia inter raptores & raptas nullatenus poſſint coire & ſubſiſtere? *Diſt.*

An inter privatos? *Neg.*

Annon saltem tum constet matrimonium, si raptor & rapta postmodùm consentiant, accedatqué superveniens parentum consensus? *Neg.*

Sed quid, si puella spontè velit rapi, an etiam tunc committitur raptus? *Aff.*

Aut, si nolit quidem puella, sed velint parentes, vel qui parentum sunt loco? *Aff.*

Aut, si nolit quidem puella, sed postea consentiat matrimonio raptoris, vel invitis parentibus? *Aff.*

An in raptu puellæ semper injuria fiat, vel parentibus, vel puellæ, vel utrisque? *Neg.*

An puellæ raptæ, alteri desponsæ, si eam nolit recipere, liberum sit alii nubere? *Aff.*

An sponsus, si eam nolit recipere, possit cogi, præsertim si probari queat, ipsam invitam esse raptam? *Dist.*

An raptus quoque committi possit in propriàm sponsam? *Aff.*

An etiam in meretrices? *Aff.*

Nominatim in alienam ancillam meretricem? *Aff.*

An Iure Mosaico aliquid explicitè sit cautum de pœnâ raptus? *Dist.*

Quid ergò, ultimâné atque irrevocabili pœnâ, ad modum latronis aut homicidæ,

cidæ, plectendus raptor? *Aff.*

An etiam ii, qui raptori adfuerunt, eumqué in turpi actione defenderunt? Aut non adfuerunt quidem in raptu, sed tamen consuluerunt? Aut, cùm essent conscii participativè, non prodiderunt? Aut raptorem post factum scientes volentes in domum receperunt? *Aff.*

An in specie nutrices & pedissequæ, quarum ope suasu consilio raptus factus est? *Aff.*

Sive volentibus, sive nolentibus mulieribus raptis? *Aff.*

Et non extantibus parentibus? *Aff.*

An ipsi quoque parentes puellæ sint puniendi, si consenserint raptui? *Aff.*

Aut saltem patientiam præbuerint in ipsâ raptione? *Aff.*

Vel post perfectum facinus injuriam remiserint? *Aff.*

An raptus pœnâ quoque teneatur fœmina rapiens marem? *Aff.*

Et consequenter, vir rapiens meretricem, vilemvé aliam? *Aff.*

An in vetulâ raptâ quoque etiam teneat lex, quæ est de raptu? *Aff.*

Quid de bonis raptoris, & illorum, qui ei adfuerunt, cederené debent raptæ? *Dist.*

Etiamné, si Sanctimonialis aut Diaconissa fuerit rapta? *Neg.*

Annon liberis raptoris interim relinquenda legitima? *Aff.*

An jure communi possit appellare heic raptor, aut fori præscriptione uti? *Neg.*

Adeoqué, si provocet ad superiorem, an hæc ipsius provocatio debeat habere locum? *Neg.*

Annon saltem aliquid de pœnâ ei sit remittendum, si puella sponte voluerit rapi? *Neg.*

Aut, si raptor ad Ecclesiam confugerit, pœnitentiamqué egerit? *Neg.*

Multamvé pecuniariam obtulerit, quã solvat, vel parentibus raptæ, vel ipsi raptæ? *Neg.*

Et an in hujus arbitrio sit positum, utrùm suo jure uti velit, necné? *Neg.*

Annon aliquid de rigore pœnæ sit remittẽdum, cum raptor, seu is, qui rapuit, est persona illustris? *Neg.*

Vel rapuit è domo, in quâ nemo præter puellam erat? *Neg.*

Aut rapuit deprehensam in solitudine? *Neg.*

Quòd si raptor deprehensus fuerit in flagranti crimine, an à parentibus, fratribus, agnatis, cognatis, tutore, curatore, domino, patrono, in quorum aut cujus potestate est rapta, impunè possit interfici? *Aff.*

Etiamné,

Etiamné, si non quidem deprehensus fuerit in rebus Venereis, verùm in fugâ? *Aff.*

An vilis tantùm, an verò quicunque? *Aff. Post.*

Neque autor tantùm, sed & adjutor? *Aff.*

Error est, cùm quis in personâ, aut personalibus, aliisque circumstantiis matrimonialibus errat.

Estque duplex: Personæ & Fortunæ, seu Bonorum.

Error Personæ, vel Substantialis est, vel Accidentalis.

Error Personæ Substantialis est, cùm quis errat in personâ, vel eo personæ, quod impedit usum matrimonii. Estque vel Corporis, vel Corporalis.

Error Corporis est, quando dolus de ipso corpore, id est, hominis, qui-cum contrahendum aut contractum est, individuo intervenit: Ut cùm quis ducit Sulpiciam pro Severâ, Terentiam pro Cornelià.

Error Corporalis est, quando dolus de aliquo vitio corporis, quod contrahentem ad contrahendum matrimonialiter inhabilem reddit, intervenit: Ut, cùm quis ducit mulierem, quæ fieri mulier per naturam nequit, aut qua nubit viro non-viro.

Error Personæ Accidentalis est, cùm quis errat in personalibus. Estque vel Nominis,

vel

vel Conditionis, vel Qualitatis.

Error Nominis est, quando erratur in nomine: Ut, cùm quis putat, quòd aliqua nominetur Seja, cùm vocetur Titia.

Error Conditionis est, quando erratur in conditione seu statu: Ut, cùm quis ducit servam, quam putabat esse liberam, aut libertinam, quam putabat esse ingenuam.

Error Qualitatis est, quando erratur in qualitate: Ut, cùm quis ducit vitiatam, quam putabat esse virginem, aut meretricem, quam putabat esse pudicam.

Denique Error Fortunæ seu Bonorum est, cùm quis errat in circumstantiis matrimonialibus: Vt, cùm quis ducit deformem, quam putabat esse formosam, pauperem atq; indotatã, quã putabat esse benè ditatã ac dotatam, ignobilem, quam putabat esse nobilem.

An differant, ignorantia, dubitatio, & error? *Aff.*

An, si error tantùm sit ex parte unius contrahentis, vitiet actum? *Aff.*

An detur matrimonium, quod vocant, putativum? *Aff.*

An eadem ejus ratio, quæ veri? *Neg.*

Annõ interim maritus putativus sit maritus? *Dist.*

Etiamné, si in personâ sit erratum? *Neg.*

An ergò, si cum errore personæ facta sint sponsalia matrimoniumvé, etiãsi concubitus sit subsecutus, actio illa sit nulla,

sponsa-

ſponſalia nulla, matrimonium nullum? *Diſt.*

Adeoquè error perſonæ, tam ſponſalia, quàm matrimonium, diſſolvat? *Aff.*

Impediat contrahenda, dirimat contracta? *Aff.*

Et conſequenter, annon Patriarcha Iacobus, cùm ei Lea pro Rahele eſt ſuppoſita, jure repudii vel divortii experiri potuerit, ſi ſtrictum jus ſequi voluiſſet? *Aff.*

Annon interim matrimonium ſteterit ex ſequenti conſenſu? *Aff.*

An item error geminus Iſaaci Patriarchæ, in benedicendo Iacobo pro Eſavo, vitiârit benedictionem? *Neg.*

Et an Iſaacus omninò fuerit errans, an verò dubitans? *Aff. Poſt.*

An cœcus quoque committere poſſit errorem perſonæ ſeu coporis? *Diſt.*

Si minùs viſu, ſaltem tactu? *Aff.*

An contrahere matrimonium, ut eſt expoſitum ab aliis? *Aff.*

Annon referri debeat, ſaltem poſſit, ad errorem corporis, quando erratur in eo corporis, quod impedit matrimonium? *Aff.*

Etiamnè, ſi is, cui nubitur, ſit ſpado? *Diſt.*

An vitietur matrimonium ex errore in nomine proprio, ſi de corpore conſtiterit? *Neg.*

Annon

Annon, si in statu erratum sit, nuptiæ sint inutiles? *Neg.*

Adeoqué error conditionis, quemadmodum impedit matrimonium contrahendum, ita dirimat contractum? *Neg.*

Nominatim, an contractum cum servâ matrimonium, quæ libera credebatur, sit nullum? *Dist.*

Aut initum cum spuriâ, quam quis putabat esse legitimam? *Neg.*

Saltem cum viduâ, quam putabat esse virginem? *Aff.*

Etiamné matrimonium nullum, si per errorem meretriculam quis duxerit pro pudicâ? *Neg.*

Annon saltem sponsalia possint dissolvi cum vitiatâ? *Aff.*

Idqué, sive vitium antè sive pòst fuerit? *Aff.*

An, licet sit passa vim præcisam? *Aff.*

Et, an ratio, petita ab emtione virginis, quæ mulier venisset, aut aceti, dum quis se putat emere vinum, quibus in casibus resolvi potest emtio, accommodata sit ad resolvenda sponsalia cum vitiatâ? *Aff.*

An item ad resolvendū matrimonium, sive vitium præcesserit, sive secutum sit? *Dist.*

Saltem ante concubitum, immò & post cōcubitum, si ignorans vitium concubuerit,

rit, qui duxit? *Aff.*

Aut si deceptio accessit? *Aff.*

An, quæ ab altero compressa,& tamen alteri tanquam virgo nupsit, si à viro hoc nomine accusetur, lapidibus etiamnum hodiè sit obruenda, vel ultricibus ustulanda flammis, id quod videtur velle Jurisprudentia Mosaica? *Neg.*

An ea pœna tenuerit in desponsatâ de præsenti, quæ pòst vitiata fuit, an verò etiam in eâ, quæ antè? *Aff. Vtr.*

Et,an lex Dei hîc distinguat,utrùm aliqua vitiata sit ante spōsalia, an verò post? *Neg.*

Annon huic legi per Iosephum sit derogatum, qui Mariam gravidam dimittere voluit occultè, ne eam infamaret? *Neg.*

Universè, dubitaverit fortassis quis, an hic casus quoque potis sit contingere, ut quis ducat devirginatam pro virgine, prægnantem pro imprægnatâ, ecquid,caditné ergò hic casus in vitam humanam? *Aff.*

Et si, an certa, ut virginitatis, ita defiorationis, virginitatis, inquam, illibatæ & prælibatæ, dentur signa, quibus utraque deprehendi possit? *Disq.*

Et utra ex his certiora,antecedentiané, an sequentia? *Aff: Post.*

Adeoqué, an certò atque infallibiliter conjectare liceat de vitio oblato,vel ex lacte,vel ex sanguine,vel ex utero,molis,inquam,

quam, & molucris ? *Neg.*

Quid de obſtetricibus, annon has admittemus, vel ad cognitionem, vel ad probationem virginitatis? *Disq.*

Saltem ad ventrem inſpiciendum, quem ſemper tractant? *Aff.*

Juratáſné, an injuratas ? *Aff. Prius.*

Et ſi, unamné, an plures ? *Diſt.*

An magis credendum ſit teſtimonio harũ affirmativo, quàm negativo? *Aff. Prius.*

Annon ſaltem aliquandò negativo, nominatim, ſi aſtipulentur puellæ, negitanti ſe eſſe cognitam ? *Aff.*

Annon quoque aliis conjecturis probari poſsit concubitus extra hunc caſum vitiationis ? *Aff.*

Atque adeò vel ex tempore partus poſſit cognoſci, quòd quæ non pepererit ex viro ſuo ? *Aff.*

Aut etiam inde, ſi ſolus quis cùm ſolâ, cum nudâ nudus, in lecto fuiſſe probetur, idqué conteſtes viderint ſucceſsivè, unus poſt alium, per oſtii rimam? *Aff.*

Vel probetur in cubiculo viri fuiſſe mulier oſculis oſculata ? *Neg.*

Eové loci viſa, ut vir ipſam cognoſcere potuerit ? *Neg.*

Et an matrimonii contractus percipi queat viſu ? *Aff.*

Annon teſtimonium auditionis quoque hîc recipi debeat ? *Aff.*

An

An nominatim auditio auditionis, seu testimonium de auditu auditus, quando quis ait, audisse se ab alio, qui itidem ab alio audierit? *Dist.*

Saltem in iis, quæ excesserunt memoriam nostram, quæqué probari per testes nequeunt? *Aff.*

An ergò concubitus probetur vel per solam famam? *Neg.*

Cumqué testimonium hoc auditionis ampliùs stat pro unâ parte, illâc præponderent rationes, ubi ipsum stat? *Aff.*

Quid de ejus testimonio, qui ab alio audivit, qui ipse interfuit gesto, valeatné secunda hæc species auditionis? *Dist.*

Annon saltem in operis novi nunciatione, & probandis gradibus cognationis, præsertim si testes sint alicujus dignitatis & dignationis? *Aff.*

Et, an jus fasqué, rem vel auditam à mortuo, testari? *Aff.*

Adeoqué licitum, alienâ fide testari de re gestâ foris, cui interesse is non potuerit, qui nunc testatur? *Aff.*

Annon ille, cujus fides laudatur, teneatur nominare contestes? *Dist.*

Et si nominet, an pluris sit testimonium contestium, quàm testis? *Aff.*

Plurium, quàm unius? *Aff.*

Ideoqué tam notæ, quàm notissimæ, debeant esse voces? *Aff.*

Merito-

Meritoqué ſit ſuſpectus, qui ait, cognoviſſe ſe vocem, verùm non potuiſſe intelligere, qui diceret? *Aff.*

Et annon requiratur, ut talis teſtis, vel audiverit, vel viderit intra modicum tempus hunc, de cujus cõcubitu deponit? *Aff.*

Quid de ejus teſtimonio, qui teſtimonium perhibet de auditu ſuo, id eſt, qui ipſe interfuit, ſed audivit, non etiam vidit, quæ tertia ſpecies auditionis, valeatné? *Diſt.*

An ſic teſtis poſsit eſſe cœcus, qui notam habet vocem, aliuſvé poſt parietem poſitus? *Neg.*

Atque adeò, an homo auditu vocis certò poſsit cognoſci? *Neg.*

Vniverſè, oculatiné teſtes ſint majoris fidei, an auriti? *Aff: Prius.*

Oculatus unus, quàm auriti decem? *Aff.*

Sufficiatqué, ut teſtis audierit, non viderit? *Diſt.*

Præſertim, ſi nulli alii ſint in cubiculo, præter contrahentes? *Diſt.*

An tales teſtes ſint pleni, & probatio eorum perfecta? *Neg.*

An teſtes omni exceptione majores? *Neg.*

Annon teneantur citare conteſtes? *Aff.*

Et dicere ſententiam nec rogati? *Diſt.*

An

An admittantur quoque ad dicendam ſententiam in aliis civilibus & criminalibus? *Neg.*

Probentvé in causâ piâ? *Neg.*

Denique, ſi quis circumveniat partem, absconditis hominibus, qui auribus excipiant ea, quæ aguntur, agiqué arbitris remotis creduntur à parte alterâ, an, qui ita loquitur, quaſi nemine ſubauſcultante, ſervire auribus partis videatur potiùs, quàm id loqui, quod ſentit? *Aff.*

Annon valeat quoque heic teſtimonium, quod tactu perhibetur? *Aff.*

Et, ſi res percipiatur per plures ſenſus, per illos omnes ſit reddenda ratio, & per viſum, v.g, & per auditum? *Aff.*

Etiamné ab idiotâ, qui ſenſum ſolet ponere pro ſenſu? *Neg.*

Vironé in hâc causâ magis credendum ſit, an mulieri? *Aff: Prius.*

Semperné? *Neg.*

Annon ſaltem tunc, ſi concubitus ſit ad favorem matrimonii? *Aff.*

Annon interim probare contrariũ poſſit mulier? *Aff.*

Etiamné, ſi tractatio matrimonialis acceſſerit? *Neg.*

Atque adeò, an certa probatio concubitus ſeu quaſi-poſſeſsionis matrimonialis petatur à tractatione hâc? *Aff.*

Annon error, quem vocant, fortunæ, impediat

pediat matrimonium purè contractum? *Neg.*

Annon saltem illud matrimonium, quod contractum est conditionaliter, hoc est, sub conditione? *Aff.*

Adeoqué, an omnis dolus circa bona, etsi det causam contractui matrimoniali, vitiet contractum? *Neg.*

Annon saltem ille, qui errorem inducit, & consensum impedit? *Aff.*

An nominatim error in pulchritudine, divitiis, nobilitate, valetudine, & similibus? *Neg.*

Ut, si quis ducat deformem, quam putabat esse formosam, pauperem, quam putabat esse divitem, ignobilem, quam putabat esse nobilem? *Neg.*

An ergò teneat matrimonium, & stet contractus matrimonialis, ad quem quis multis promissionibus pecuniarum, aliorumqué bonorum, est inductus, utut ea non præstentur? *Dist.*

Aut, si juvenis dives seductus fuerit à matre puellæ pulchræ, at pauperis? *Dist.*

Consensus feratur in nobilem, & humilis persona adducatur apparatu nobili, asseraturqué esse nobilis, inqué eam consentiatur, tenebitné contractus? *Dist.*

CAP.

CAPUT III.

Materia Conjugii, ſeu Perſonę hujus Societatis Conſtitutivæ. Harum Quantitas, reſpectu Numeri atque Ætatis, & Qualitas, tum Abſoluta, reſpectu Sexus & Habilitatis, tum Relativa, aſpectu Propinquitatis & Vitæ Conditionis. Propinquitas in Conſanguinitatem & Afnitatem tributa. Conſanguinitas in Naturalem & Civilem: Naturalis in Agnationem & Cognationem, quæ unitæ ac combinatæ formant Arborem, quam vocant, Conſanguinitatis, cujus hîc Schema inſeritur. Quid dicta Arbor? Quæ ejus partes? Vbi de Lineis & Gradibus, & illarum quidem Diviſione, horum verò, tum Supputatione, tum Prohibitione. Regulæ aliquot Practicæ circa eam, cum neceſſariâ appendice de Nuptiis Illicitis, id eſt, Nefariis ſeu Inceſtis, atque Inutilibus. Conſanguinitas Civilis conſequenter definitur.

finitur. Affinitatis inde afferuntur Cauſæ, tum Regulę item Practicæ circa eam. Vitæ Conditionis hinc excipit Deſcriptio, aut Circumſcriptio potiùs, eaq; quintuplex, Phyſica, Ethica, OEconomica, Politica, atque Eccleſiaſtica ſeu Theologica. Dubia, ſive Quæſtiones Controverſæ, incidentér & pro re natâ.

MAteria Societatis Conjugalis ſunt ipſæ Perſonæ Societatis hujus Conſtitutivæ, quarum altera dicitur Vir ſive Maritus, altera Mulier ſive Uxor: Homines ſcilicet, non beſtiæ.

Annon ſignificantius heic ſit vocabulum viri & mulieris, quàm maris & fœminæ? *Aff.*

An vox mariti rectè deducatur à maris, ritu, uxoris verò ab uſu mariti? *Neg.*

An omnis alia conjunctio in diversâ ſpecie ſit deteſtabilis & deteſtanda? *Aff.*

Nominatim congreſſus cum beſtiâ, ſeu beſtialitas? *Aff.*

Annon ergò commixtio hominis cum brutis contraveniat naturæ conjugii? *Aff.*

Et ſi, an vindicanda vivicomburio utriuſque

usque partis coeuntis? *Aff.*

Etiamnè bestiæ, quæ in hâc conjunctione se habet passivè potiùs, quàm activè? *Aff.*

An ea mereatur pœnam, cùm nullam meruerit culpam? *Aff.*

Physicenè seu materialiter, an verò Ethicè seu formaliter? *Aff: Prius. Neg: Post.*

Annon conjugium quoque locum habeat inter bestias? *Neg.*

Saltem quasi-conjugium, id est, coitus? *Aff.*

Maritus est persona princeps hujus societatis, habens uxorem propriam.

Vxor est persona deinceps hujus societatis, habens maritum proprium.

An vocabula meus & mea rectè adhibeantur ad denominationem mariti & uxoris? *Aff.*

An sponsus vel amasius possit dici maritus, sponsa item vel amasia uxor? *Neg.*

Adeoquè, an quis possit esse maritus, & quæ uxor, non contracto matrimonio? *Neg.*

Et cõsequenter, an uxorum usuraria cõmodatio aut commutatio sit licita? *Neg.*

Saltem, si consentiente marito uxor alii atque alii corporis sui faciat copiam? *Neg.*

Aut vir senex uxorem substituat juveni ad propagandam sobolem, & quidem

dem eâ lege, ut pro filio sit, qui inde nascitur? *Neg.*

Quid de Platonicâ & Anabaptisticâ uxorum communione, an probanda, admittendavé? *Neg.*

An concubinatus intra conjugiũ? *Neg.*

Annon olim admissus sub Patriarchatu, & si, an excusabiliter? *Aff: Prius: Dist: Post.*

An ergò cõcubinæ Patriarcharum fuerint veræ uxores? *Aff.*

An primariis uxoribus pares, an verò impares? *Dist.*

An pares saltem quoad actus conjugii essentiales? *Aff.*

Etiamné quoad dignitatem? *Neg.*

An matronæ ac matresfamiliâs? *Neg.*

Et sicut omnes concubinæ uxores, ita omnes uxores fuerint concubinæ? *Neg.*

Eademné concubinatus ratio in N.T, quæ in V? *Neg.*

An simpliciter culpabilis & damnabilis omnis in N.T? *Aff.*

An damnabilior reliquis fornicationibus? *Aff.*

Ideoqué Patriarcharum concubinatus Christianis inimitabilis? *Aff.*

Adeoqué, an vel ipsum nomen concubinatus ferri possit uspiam unquam in Rep: Christianâ? *Neg.*

An exerceri sine scandalo? *Neg.*

Saltem

Saltem per ſtatuta Papalia? *Aff.*

Etiamné de Jure Civili verè civili? *Neg.*

Et an illud probet concubinatum contra ſummum præceptum ſuum honeſtè vivendi? *Neg.*

Toleretvé, an verò probibeat? *Aff. Poſt.*

Idqué tam intra conjugium, quàm extra? *Aff.*

An heic locum habeat diſtinctio inter concubinas, quæ uxorum loco habentur, & quæ non, ita ut illæ liciti ſint uſus, hæ illiciti? *Neg.*

An ergò concubina, etiam quæ uxoris loco habetur, ſit ſcortum, vel ſaltem rectè æquiparetur ſcorto? *Aff.*

Adeoqué Romanorum veterum concubinæ fuerint meretricum ſpecies? *Aff:*

Tam eæ, quæ cum ſolennitate ductæ, quàm quæ ſine, quæ cum ſpe prolis ductæ, quàm quæ ſine? *Aff.*

Annon his non obſtantibus potuerint interim accuſari adulterii, ſi minùs mariti, ſaltem extranei jure? *Aff.*

Aut, annon ſaltem tunc dignus matrimonii nomine ſit concubinatus, & matrimonii magna imitatio, ſi uterque concubinantium ſit ſolutus, neuter prolem defugiat, & alter alteri adhærere ſoli velit? *Neg.*

Stuprumvé cõmittat, qui liberam mulierem conſuetudinis causâ, non matri-

monii, continet? *Aff.*

Etiamné, si causâ matrimonii, non consuetudinis? *Aff.*

Sive corpore quæstum fecerit, sive non? *Aff.*

An in hujus casus decisione conveniat Legibus cum Canonibus, Legistis cum Canonistis? *Neg.*

Et, an vox consuetudo semper significet stuprum? *Neg.*

Annon subindè quoque consuetudinem maritalem? *Aff.*

Adeoqué in hâc materiâ differant concubina & pellex? *Aff.*

An à concubinatu abesse debeat accessus furtivus? *Aff.*

An hîc requirantur 10 vel 40 anni? *Neg.*

Annon interim concubinatus probetur atque evincatur ex tempore? *Aff.*

An rectè quoque inde inferatur consensus & matrimonium? *Neg.*

Annon concubinatus quoque quoquo modo probetur ex habitu, ut si vestitu viduæ aut virginis utatur mulier, aut vestimentis vilibus illa, quæ uxor divitis dicitur? *Aff.*

Circa has Personas attendi solet, tum Quantitas, tum Qualitas.

Quantitas, vel Numeri est, vel Ætatis.

Numerus contrahentium debet esse binarius.

An unus possit facere matrimonium? *Neg.*

An matrimonium sit relatio quædam? *Aff.*

Et, si impedimentum sit ex unâ parte, impediatur & ex alterâ? *Aff.*

Quòd si duo petant eandem mulierem, & probent æqualiter, quæritur, an utrique sit adjudicanda? *Neg.*

An ergò neutri? *Disq.*

Quid de Bigamiâ seu Digamiâ, licitané, *Dist.*

Si minùs simultanea, saltem successiva? *Aff.*

Adeoqué, an qui duas uxores simul ducit, teneatur pœnâ? *Aff.*

Stupriné, an capitali? *Aff: Post.*

Itemné, qui duas habet sponsas? *Neg.*

Aut, qui vivâ uxore contrahit cum alterâ in omnem eventum? *Neg.*

Et, an procedat tale matrimonium eveniente eventu? *Disq.*

An bigamiæ successivæ officiant ac obstent exempla, Mosis, Zachariæ, Simeonis, Annæ μονογάμων? *Neg.*

Aut digamiæ interdictum? *Neg.*

Et consequenter rectè bimaritis seu binubis olim interdictum fuerit Sacro Ministerio? *Neg.*

Vel etiam bividuis? *Neg.*

Cumqué his dispensare ne diabolus quidem possit, nedum Papa, Majestasvé? *Neg.*

An quovis scortatore vel concubinario indigniores? *Neg.*

Ideoqué malè Martialis nuptias secundas vocet adulteria, alii sordes, aut fornicationem honestam? *Aff.*

Annon liceat ad tertia quoque vota seu tertias nuptias procedere? *Aff.*

Et an rectè has vetuerint sequiores Imperatores Græci? *Neg.*

Annon interim inæqualitas quædam sit inter eam, quæ transit ad tertias nuptias, & quæ ad secūdas, quæ ad quartas, & quæ ad tertias, & sic consequenter? *Aff.*

Adeoqué in infinitum nuptiarum iteratio ac reiteratio sit concedenda? *Neg.*

Quid de Polygamiâ, id est, Polyandriâ & Polygynæciâ, licitané? *Neg.*

An expressâ aliquâ lege prohibita à Deo? *Aff.*

An in hanc peccârint Patriarchæ πολυγάμοι? *Aff.*

Probatané interim hæc eorum Polygamia fuerit, an verò permissa tantùm, ac non potiùs tolerata? *Aff. Post.*

An indifferens? *Neg.*

Saltem excusabilis, ac sine scandalo, persuade secundum mores & consuetudi-

nem

nem ejus temporis? *Aff.*

An Chriſtianis imitabilis? *Neg.*

Aut excuſabilis in foro animæ ſeu conſcientiæ, vel olim, vel nunc? *Neg.*

Annon ſaltem ſub mundi initia, & ante Lamechum? *Neg.*

Adeoqué, an ante eum Polygamia fuerit uſitati juris, aut exempli? *Neg.*

Et, an omnes patres ſint excuſandi à magnâ incontinentiâ hâc parte? *Neg.*

Annon his patrocinetur exemplû Davidis, qui autore domino plures uxores habuiſſe videtur? *Neg.*

Aut exemplum Eccleſiæ Apoſtolicæ & Primitivæ? *Neg.*

An hâc ſpecie Polygamiæ etiam comprehendantur illi, qui uxore unâ repudiatâ mox ducunt aliam, & hâc repudiatâ iterum aliam? *Aff.*

Turpiuſqué nubat una pluribus, quàm unus ducat plures? *Aff.*

Adeoqué, an una pluribus nupſerit apud Iudæos, ſicut duxiſſe legimus unum plures? *Diſq.*

Parqué heic ratio prohibitionis polygamiæ & adulterii? *Neg.*

Ipſaqué polygamia adulterium? *Neg.*

Saltem in fori poli? *Aff.*

An mortis pœnâ plectenda? *Aff.*

Ætas Contrahentium, nec juſto minor, nec juſto major eſſe debet.

An ætas conjugalis sit definibilis? *Aff.*

An definitio hæc sit juris naturæ, ac non potiùs juris positivi? *Dist.*

An illa definitio seu decisio quoque locum habeat in sponsalibus, adeoqué an, quemadmodum in matrimonio, sic & in sponsalibus, certa ætas sit definita definiendavé? *Aff.*

Et si, an sicut in sponsalibus, ita in matrimonio, eadem masculo & fæminæ? *Neg.*

An de ætate hâc cõjugali possit dispensare princeps? *Dist.*

An nominatim in eâ ætate, in quâ nemo unquã aptus fuit matrimonio, putà, anno septimo, vel octavo? *Neg.*

Annon saltem nono, vel decimo? *Disq.*

An in ætate hâc matrimoniali requiratur annus exactus, an exigẽdus, in maribus decimusquartus, in fœminis duodecimus? *Dist.*

Et, si exigendus quoque, an sub finem, an verò ultimo die? *Quodl.*

An ergò universè, atque in thesi, desideretur proximitas ad ætatẽ legitimam? *Aff.*

Ac si, sitné illa intelligenda de dimidio duodecimo in fœminâ, & de dimidio decimoquarto in mare? *Neg.*

Aut denominanda à parte remotiori? *Neg.*

Annon

Annon anticipationi heic sit locus, ubi natura supplet ætatem? *Disq.*

Adeoqué, an rectè Jus Canonicum etiam minorem duodecim annis, viri tamen ut potentem ita petentem, ut petentem ita potentẽ, admittat ad hoc sacramentum? *Disq.*

Et, si natura fecerit fœminam anno duodecimo viri patientem, masculum verò decimoquarto puberem, annon saltem his sit facienda gratia conjugii? *Dist.*

Undenam sit judicandum, qui sint apti, qui inepti matrimonio, ex habituné corporis, nullâ annorum habitâ ratione, an verò ex annis? *Aff: Post.*

Et, an vel nisus sufficiat ad copulam, etiam longè ante vel post ætatem conjugalem? *Neg.*

An hæc ætas rectè vulgò terminetur in masculis periodo annorum 60, in fœminis 50 definitivè? *Neg.*

An Philosophi in hujus ætatis determinatione sibi constent, nominatim Plato & Aristoteles, Hesiodus & Solon? *Neg.*

Platonisné potiùs sit sequendus calculus, qui ætatem conjugalem in maribus extendit ab anno 30 usque ad 55, in fœminis à 20 usque ad 40, an Aristotelis, qui eandé in illis extendit ab anno 37 usque ad 70, in istis à 18 usque an 50? *Disq.*

Aut Hesiodi, qui masculorum conjugio

ponit annum 30, fœmellarum 15, an Solonis, qui illi 35, huic 22? *Disq.*

Et utri genuinè magis ac masculè magis in hoc argumẽti genere Philosophenter, Canonistænè & Civilistæ, qui ætatem maritalẽ multò teneriorem admittunt, an Philosophi & Politici, qui alias quoque qualitates attendunt? *Aff: Post.*

Adeoqué, an gentes quædam, & nominatim Spartani ac Romani, rectum tenuerint clavum, dum liberos suos nimiùm maturè nuptum dederunt, moti fine conjugii? *Neg.*

Annon saltem istactenus, si finem Reipublicæ in hoc instituto intueare? *Neg.*

An in ætate conjugali desideretur æqualitas? *Aff.*

Arithmeticanè seu Numeri, an Geometrica seu Proportionis? *Aff: Post.*

Annon subindè quoque locum habeat inæqualitas? *Aff:*

Et si, modicanè, an immodica? *Aff: Prius: Neg: Post.*

Atque adeò, annon liceat ducere tricenario vicenariam, tricenario majori majorem vicenariâ, tricenario minori vicenariâ minorem, sexagenario quinquagenariam, sexagenario majori majorẽ quinquagenariâ, sexagenario minori minorem quinquagenariâ? *Aff.*

An item seni annoso virginem minorennem,

rennem, aut viro-juveni matronam grandævam? *Neg.*

Et consequenter, an, quemadmodum mulier annorum octodecim bellè nubit viro quadragenario, itē bellè contrà quadragenariā ducat adolescens octodecennis? *Neg.*

An senibus capularibus & decrepitis etiam dandum sit jus nuptiarum, si minùs in officium naturæ, saltem in remedium? *Neg.*

Adjutoriumvé? *Aff.*

An par hac parte sit ratio puerorum & bis puerorum, id est, senum? *Neg*

Adeoqué, an rectè lege Iuliâ Papiâ fuerit vetitum, majorem sexagenario ducere, majorem quinquagenariâ nubere? *Neg.*

Ideoqué rectè, immò bis rectè, lex illa per senatusconsultum Claudianum fuerit abrogata? *Aff.*

Qualitas Contrahentium, vel Absoluta est, vel Relativa.

Qualitas absoluta respicit Sexum, & Habilitatem ejus.

In Sexu Distinctio: in Habilitate Capacitas pensitatur.

Distinctio Sexus Viro & Muliere circumscribitur.

Annon Nero ipsi naturæ conjugii quasi manus attulerit, dū & Doryphoro liberto

ipse enupsit, & ipsi iterum Sporus? *Aff.*

Eidemqué contraveniat Pædicatio, seu Venus Mascula? *Aff.*

Nec non ἀνδρογυναικισμὸς? *Dist.*

Atq; adeò, an ἀνδρόγυνος vel γύναανδρος, qui Ἑρμαφρόδιτος Græcis aliter, quasi mixtus ἐξ Ἑρμοῦ Mercurio, καὶ Ἀφροδίτης Venere, possit inire matrimonium? *Dist.*

Capacitas Sexus ex coëundi potentiâ æstimatur.

An tempus opportunum conjugio rectè definiatur annis pubertatis? *Dist.*

An ea desideretur ad essentiam obligationis matrimonialis, an verò ad executionem tantùm? *Aff. Post.*

Et si, an ergò quando pubes contrahit cum impubere, teneatur expectare, donec alter pervenerit ad pubescentem ætatem? *Aff.*

Annon interim impubes factus pubes possit pœnitere, & à sponsalibus, in ætate pupillari contractis, recedere? *Aff.*

Siqué consentiat, cogatur alter consummare matrimonium? *Aff.*

Etiamné, si non consentiat, atque adeò, an matrimoniũ cum minore contractum, minore pubescente confirmetur per temporis cursum solum? *Neg.*

An impotentiæ causâ rectè prohibeantur matrimonium contrahere castrati? *Aff.*

Item.

Itemné ſpadones? *Diſt.*

Qualitas Relativa ſpectat, vel Propinquitatem, vel Vitæ Conditionem.

Propinquitas in Conſanguinitatem & Affinitatem reſolvitur.

Conſanguinitas, vel Naturalis eſt, vel Civilis.

An conſanguinitas tantùm naturâ conſtituatur, ſeu per cognationem, an verò etiam lege, ſeu per adoptionem? *Aff. Poſt.*

Annon detur adhuc tertia ſpecies, Cognatio, quam ſic vocant Canones, Spiritualis, quæ eſt inter ſuſcipientem & ſuſceptam de ſacro baptiſmate? *Neg.*

An, ſi maximè daretur, contraheretur inde ſpecies quædam cognationis, matrimonium impediens, & jam conſummatum dirimens? *Neg.*

Adeoqué, an ſuſceptor intuitu ſpiritualis hujus cognationis vetetur ducere eam, quam levavit de ſacro baptiſmatis fonte ſeu lavacro? *Neg.*

Rectequé purior uſus antiquârit hunc morem? *Aff.*

Ideoque non non abſurdi Canones, qui prohibent matrimonium cum eâ, cujus filiam, vel ego, vel uxor mea, ſuſcepimus, nec non cum eâ, quam pater vel mater ſuſcepit? *Aff.*

Uti & cum filiâ ſacerdotis, qui aliquam ſacrâ aquâ aſperſit? *Aff.*

Am-

Annon interim mos hic adhibendi spõsores sive susceptores in baptismo, qui de natalibus baptizandi testentur, & sanctam ejus educationem promittant, sit perantiquus? *Aff.*

Ideoqué probandus? *Aff.*

Consanguinitas Naturalis est propinquitas eorum, qui nati & coörti sunt ex eodem sanguine. Communiter Consanguinei vocitantur, quia de uno & communi sanguine sunt nati ac propagati.

Suntque vel Agnati, vel Cognati.

Agnati sunt Consanguinei, ex patre communi ortum trahentes.

Cognati sunt consanguinei, ex matre communi ortum trahentes.

An consanguinitas non tantùm sit vocabulum speciei, fraternam necessitudinem designans, sed etiam generis, designans vel omnes eos, qui ex eodem sanguine sunt nati, vel eos, qui per patrem & mares conjunguntur? *Aff: Post.*

Itemqué cognatio? *Aff.*

Etiamné agnatio? *Neg.*

An agnati, non solùm nati, sed & nascituri, neque solùm masculi, verùm & fœmellæ, sint de familiâ? *Aff.*

An agnati portent idem cognomen, eademqué insignia? *Aff.*

An etiam cognati? *Neg.*

Adeoqué, an statutum, excludens cognatos,

gnatos, & admittens agnatos, includat fœminas agnatas, vel proximiores? *Dist.*

Et, an spurii, ac vulgò quæsiti, sicut cognatos, ita etiam agnatos habeant, de Jure Civili? *Neg.*

An cognatio quoque oriatur ex fornicatione, & coitu illegitimo? *Aff.*

Beneficiumqué, generi & posteris concessum, pertineat etiam ad descendentes ex fœminis? *Dist.*

Ipsamqué adeò fœminam nuptam? *Dist.*

Et, an vocabulum stemma (stamm) quoque filias comprehendat? *Dist.*

Fœminaqué nupta, cùm transit in familiam mariti, remaneat nihilominùs in familiâ patris? *Dist.*

Adeoqué jure in divisione mares præ fœminis retineant prædia familiæ, fœminæ verò recipiant æstimationem suæ portionis? *Aff.*

Hæ personæ collectæ constituunt Arborem, quam vocant, Consanguinitatis: Quæ nihil aliud, quàm series personarum, ex eodem sanguine consurgentium, descripta per certas Lineas & Gradus, ideò excogitata, ut esset quædam demonstratio ad oculum, secundum quam distantiæ personarum inter se discernerentur, ad similitudinem arboris fructiferæ sic dicta, verùm haud scio, an benè.

An

An diagramma agnationis & cognationis rectè à Canoniſtis nuncupetur Arbor Conſanguinitatis? *Neg.*

An alia Canonica, alia Civilis? *Aff.*

An illa tantùm locum habeat in cauſis matrimonialibus, hæc in ſucceſſionibus ab inteſtato, & tutelis? *Aff: Prius. Neg. Poſt.*

An eadem cum genealogiâ? *Neg.*

An nomẽ perſonæ in hoc argumẽto accipiatur abſolutè, an verò relatè? *Aff: Poſt.*

Linea eſt perſonarum, ab eodem ſanguine condeſcendentium, ordinata collectio.

Eſtque vel Recta ſeu Perpendicularis, vel Obliqua ſeu Tranſverſalis.

Linea Recta ſeu Perpendicularis eſt, quando perpendiculariter, id eſt, rectà perſona aliqua alteri ſubjicitur.

Eſtq; vel Aſcendentiũ, vel Deſcendentiũ.

Linea recta Aſcendentium eſt, quæ rectà ſurſum tendit, id eſt, quando incipio à perſonâ infimâ generatâ, & progredior ad perſonas ſuperiores generantes. Superior alio nomine, quia enim in eâ cõtinẽtur perſonæ, à quibus nos duximus originem. Eſtque Parentum.

Aſcendentes in Lineâ Rectâ ſunt: Pater Mater, Avus Avia, Proavus Proavia, Abavus Abavia, Atavus Atavia, Tritavus Tritavia. Atq; hæ hæ perſonæ ἐυώνυμοι, *ulteriores* ἀνώνυμοι, *niſi quòd Majores appellentur*

pellentur γενικῶς.

Linea Recta Descendentium est, quæ rectà deorsum tendit, id est, quando incipio à personâ generante, & progredior ad personas inferiores generatas. Inferior alio nomine, quia enim in eâ continentur personæ, quæ à nobis duxerunt originem. Estque Liberorum.

Descendentes in Lineâ Rectâ sunt: Filius Filia, Nepos Neptis, Pronepos Proneptis, Abnepos Abneptis, Atnepos Atneptis, Trinepos Trineptes. Atque hæ hæ iterum personæ ἐυώνυμοι, *ulteriores* ἀνώνυμοι, *nisi quòd Minores seu posteri nuncupentur* γενικῶς.

Linea Obliqua seu Transversalis est, quæ ad latera utriusque se diffundit: Unde & Collateralis audit, quia complectitur illos, qui nobis ex latere juncti sunt, à quibus neque nos duximus originem, neque ipsi à nobis, licet ab unâ stirpe unoque sanguine interim simus propagati. Atque hæc linea est Fratrum Sororumvè, & eorum, qui quævè ex his generantur, & convenienter Patrui, Amitæ, Avunculi, Materteræ.

Estque vel Æqualis, vel Inæqualis.

Linea Æqualis dicitur, quando gradus illorum, de quorum cōsanguinitate anquiritur, æqualiter & pariter distant à communi stipite: Inæqualis contrà, quando una persona aliam in gradu præcedit, adeoquè perso-

perſonæ, de quarum conſanguinitate anquiritur, inæqualiter & impariter diſtant à communi ſtipite. Verùm enimverò nos, qui cum Jure Civili hìc facimus, diſtinctionem illam Canoniſtis, quorum eſt, remittimus ſcilicet.

An una eademqué perſona poſſit eſſe in diverſis lineis, in unâ ratione ſitus, in alterâ ratione reductionis? *Aff.*

Adeoqué unus idemque diverſo reſpectu, accedente videlicet ad cognationem affinitate, aut repititâ cognatione, modò propior, modò remotior eſſe queat, & conſequenter ex agnato vel cognato, affinitate interveniente, fieri parens? *Aff.*

Annon in lineâ rectâ aſcendente retrò numerare valeamus vel uſque ad primum humani generis parentem Adamum? *Aff.*

Reſtené Ius Canonicum lineam collateralem ſecet in æqualem & inæqualem? *Neg.*

Gradus eſt perſonarum, ſingulis generationibus propagatarum, in lineâ conſanguinitatis, mutua diſtantia: Sic dictus à ſimilitudine ſcalarum, locorumque proclivium, quos ita ingredimur, ut à proximo in proximum, id eſt, eum, qui quaſi ex eo naſcitur, tranſeamus. Ut ita conſanguinitas ſit ipſa tota proximitas, linea proximitatum ſeparatio, gradus de uno proximo

in a-

in alium transitus.

An ratio debeat aptari gradibus, an verò gradus rationi? *Neg: Prius. Aff: Post.*

An quilibet gradus respiciat duas personas, generātem videlicet & generatā? *Aff.*

Annon una eademqué persona possit esse in diversis gradibus? *Aff.*

Et, cùm est idem gradus omnium, omnium quoque sit par gradus? *Neg.*

Graduum tenenda, tum Supputatio, tum Prohibitio.

Supputatio Graduum est ordinata generationum enumeratio, in hunc finem instituta, ut sciatur, quoto gradu personæ à se invicem distent.

Supputatio hæc Graduum secundum Ius Civile duplex est. Vel enim fit in Lineâ Rectâ seu Perpendiculari, vel in Lineâ Obliquâ seu Transversali: Illa à primo gradu incipit, hæc a secundo. Utrobique obtinet eadem regula: Quot sunt generationes, tot sunt gradus. Semper quippè persona generata adjicit gradum. Unde famosum Scitum Ictorum: Numera generationes, & simul numeraveris gradus.

Numerantur autem hoc modo.

Primo gradu est, suprà Pater Mater: infrà Filius Filia.

Secundo gradu, suprà Avus Avia: Infrà Nepos Neptis: Ex transverso Frater, tum Germanus, Αὐτάδελφος, *tum Consanguineus,*

neus, Πατράδελφος ἢ Ὁμοπάτωρ, item Uterinus, Μητράδελφος ἢ Ὁμομήτωρ: Soror & ipsa, tum Germana, Αὐτάδελφη, tum Cõsanguinea, Πατράδελφη ἢ Ὁμοπάτειος, item Uterina, Μητράδελφη ἢ Ὁμομήτειος.

Tertio gradu, suprà, Proavus, Proavia: Infrà, Pronepos, Proneptis: Ex trãsverso, Fratris Sororisvè Filius, Filia, & convenienter, Patruus, Amita, Avunculus, Matertera. Patruus est frater patris, Græce Πατράδελφος, Avũculus est frater matris, Græcè Μητράδελφος, uterq; promiscuè Θεῖος: Amita est patris soror, Græcè Πατράδελφη, Matertera est matris soror, Græcè Μητράδελφη, utraque promiscuè Θεία.

Quarto gradu, suprà, Abavus, Abavia: Infrà, Abnepos, Abneptis: Ex transverso, Fratris Sororisvè Nepos, Neptis, & convenienter, Patruus Magnus, seu avi frater, Amita Magna, seu avi soror, item, Avunculus Magnus, seu aviæ frater, Matertera Magna, seu aviæ soror, deniq; omnes, qui quævè ex duabus sororibus procreantur & progenerantur, ceu sunt, Fratres Patrueles, seu fratrũ duorum filii, Sorores Patrueles, seu fratrum duorum filiæ, Consobrini, seu sororum duarum filii, Consobrinæ, seu sororum duarum filii, Amitini, seu fratrum & sororum filii, id est, nati ex fratre & sorore filii, Amitinæ, seu

fra-

fratrū & sororū filiæ, id est, natæ ex fratre & sorore filiæ, quæ & Matrueles alionomine.

Quinto gradu, suprà, Atavus, Atavia: Infrà, Atnepos, Atneptis: Ex transverso, Fratris Sororisve Pronepos, Proneptis, & convenienter, Propatruus, seu proavi frater, aliter Patruus Major, Proamita, seu proavi soror, aliter Amita Major, item, Proavunculus, seu proaviæ frater, aliter Avunculus Major, Promatertera, seu proaviæ soror, aliter Matertera Major, deniq; Fratris Patruelis vel Sororis Pātruelis, Consobrini & & Cōsobrinæ, Amitini & Amitinæ, Filius, Filia, Propiùs Sobrino, Propiùs Sobrina, qui Patrui Magni, Amitæ Magnæ, Avunculi Magni, Materteræ Magnæ, Filius, Filia.

Sexto gradu, suprà, Tritavus, Tritavia: infrà, Trinepos, Trineptis: Ex transverso, Fratris Sororisve Abnepos, Abneptis, & convenienter, Abpatruus, seu abavi frater, aliter Patruus Maximus, Abamita, seu abavi soror, aliter Amita Maxima, item, Abavunculus, seu abaviæ frater, aliter Avunculus Maximus, Abmatertera, seu abaviæ soror, aliter Matertera Maxima, denique Fratris Patruelis vel Sororis Patruelis, Cōsobrini & Cōsobrinæ, Amitini & Amitinæ, Nepos, Neptis, Propiùs Sobrino Sobrinave, Filius, Filia, qui Patrui Majoris, Amitæ Majoris, Avūculi Majoris, Materteræ Majoris, Filius, Filia.

Atq; hic supputationis processus etiam in ulterioribus gradibus inter Majores ac Minores

res, in Agnationis Cognationisque Diagrammate ſervatur, cujus hic ſchema libuit repræſentare.

An ſupputatio Iuris Canonici differat à ſupputatione Iuris Civilis? *Diſt.*

Si minùs quoad lineam rectam, ſaltem quoad collateralem? *Aff.*

An rectè graduum ſupputationem repetat à ſtipite? *Neg.*

Et an, quot gradibus lineæ æqualis unaquæque perſona diſtat à cõmuni ſtipite, tot gradibus ipſe perſonæ diſtent inter ſe? *Neg.*

Aut tot gradibus lineæ obliquæ inæqualis perſonæ diſtent inter ſe, quot gradibus diſtat perſona remotior à ſtipite? *Neg.*

Totvé ſint gradus, quot ſunt perſonæ, ſtipite demto? *Neg.*

An Jus Civile heic faciat gradus, an verò factos à naturâ ſequatur? *Aff: Poſt.*

Annon harmonia ſive conciliatio inſtitui poſſit inter utramque ſupputationem? *Neg.*

Ut ad ſpeciem, & magis particularia, deſcendamus, an quis gradus in ſupputando inter patrem & filium? *Neg.*

Annon inter fratrem & fratrem? *Aff.*

An hi conjungantur in patre, an verò per patrem? *Aff: Poſt.*

Annon interim filius ac filia conjunctiores,

res, quàm frater? *Aff.*

Aut avus & nepos, quàm frater & frater? *Aff.*

Et, an eodem gradu sit trinepos ex uno filio, cum abnepote ex altero filio, & cum atnepote, & cum pronepote, & cum nepote, & cum illo altero filio? *Neg.*

An ultra sextum gradum lineæ, tam rectæ, quàm transversalis, temerè natura patiatur vitam cognatorum consistere? *Neg.*

Prohibitio Graduum est generationum enumeratarum quædam quasi subsequens recensio, cum curâ atque animadversione Ἐπ πρόπουτ@, *in eum finem instituta, ut constet, quoto gradu coire vel non coire liceat in hanc societatem.*

Prohibitio hæc Graduũ duplex cõstituitur. Vel enim est Juris Divini seu Mosaici, vel Humani.

De jure Divino Mosaico tredecim, aut sedecim potiùs, personæ prohibentur jungi matrimonio, quas veteres hoc tetrasticho memoriæ causâ comprehenderunt:

Nata, soror, neptis, matertera, fratris
& uxor,
Et patrui conjunx, mater, privigna,
noverca,
Vxorisque soror, privigni nata, nurusque,
Atque soror patris, conjungi lege vetantur.

An

An omnes personæ graduum prohibitorum quaternione hoc contineantur? *Neg.*

Hic verò Regulæ quædã Practicæ etiam atq; etiam observitandæ sunt circa viridem juris hujus observantiam, quarum aliæ Generales, aliæ Speciales.

Regulæ Generales dicuntur, quæ se extendunt ad omnem Lineam, sive illa sit Recta, eaquè vel Ascendens, vel Descendens, sive Obliqua. Suntquè quinque numero.

1. *In gradibus de Iure Divino prohibitis nullum habet locũ dispensatio ac dispositio humana, cùm leges divinæ sint supra omnes homines, ut quæ non ab hominibus, verùm hominibus ab ipsomet Deo latæ sint, insuper naturales & morales, omnes omni loco ac tempore obligantes.*

An in gradibus de Iure Divino prohibitis dispensatio ab hominibus possit fieri? *Neg.*

Adeoquè, an cuiquam in terris liceat de circumstantiis permittentibus statuere, per quas addatur exceptio legi, & Dei, & naturæ, nuptias prohibenti? *Neg.*

Annon saltem Majestati, vel Pontifici Romano? *Neg.*

Et, an vel illa, vel iste, possint heic dispensare ex causâ? *Neg.*

Nominatim Pontifex, eò quòd jus divinum non adeò sit certum ac indubitatum,

tatum, quin varias admittat, & interpretationes, & deciſiones? *Neg.*

Atque adeò, an Pontifex in præfato jure, quod variis modis intelligitur, magis poſsit unam partem, quàm alteram, interpretatione ſuâ approbare? *Neg.*

Facerevé, ut non peccet, qui quid agit contra legem divinam, cujus varii ſunt intellectus? *Neg.*

Et conſequenter, rectené, ac juri divino convenienter, Papa Paſchalius Boleſlao Polono nuptias cum filiâ, Alexander Sextus Ferdinando Neapolitano cum amitâ, Martinus Quintus fratri cum ſorore, alter item Papa Sigiſmundo Poloniæ Induperatori cũ duabus ſororibus ſucceſſivè, conceſſerint? Neg.

Aut ſicut P P eſt Canonum dominus, ita quoque ſit morum, ut poſſit confirmare nuptias, quæ moribus, non Legibus, aut Canonibus, ſunt vetitæ? *Neg.*

Aut qua detur diſpoſitio contra bonos mores? *Neg.*

Atque adeò, an prohibitio graduum Moſaica ratione qualitatis ſit tãtùm Juris Poſitivi, non etiã Naturalis & Moralis? *Neg.*

Omniané igitur præcepta, quæ habentur de gradibus in Livitico, naturalia? *Aff.*

An cõtra illa peccatum, etiam antequam eorum exemplar ſcripto extaret? *Aff.*

An obligatoria univerſaliter, tam quo-

ad Christianos, quàm quoad Paganos & Gentes? *Aff.*

Et an rectè Bellarminus naturalis hujus prohibitionis faciat tres gradus, primum omnimodæ, secundum citra necessitatem extremam, tertium citra permittentes circumstantias? *Neg.*

Annon interim Pontifex possit relaxare prohibitionem, quæ naturalis non est, hoc est, dispensare intra gradus, prohibitos suo jussu? *Aff.*

II. *In prohibitione graduum non est respiciunda sexuum diversitas, hoc est, in quo gradu mares prohibentur ducere fœminas propter carnis propinquitatem, in eodem gradu fœminæ prohibentur nubere maribus propter eandem carnis propinquitatem. Ergò, si filius non potest ducere matrem, nepos amitam, vel materteram, neque filia poterit nubere patri, neptis patruo, vel avunculo.*

An in graduum prohitione sit attendenda sexus differentia? *Neg.*

III. *Matrimonium non tantùm interdicitur illis personis, quæ in Iure Mosaico expressè ponuntur, sed etiam, quæ expressè non ponuntur, dum in eodem consanguinitatis gradu sint constitutæ modò. Quod ubi fit, ibi nulla diversitas ratione sanguinis assignari potest. Iam verò, quæ non differunt ratione, nec juris dispositione dif-*

ne differunt. Nam ubi est eadem ratio, ibi idem quoque statuendum est jus, & ubi par gradus, ibi par quoque debet esse prohibitio. Ergò vi regulæ hujus, nec patri licebit ducere filiam, nec matri nubere filio, licet hæ personæ in lineâ descendente disertè non exprimantur, sed gradus tantùm prohibeatur, qui nisi prohiberetur, tum verò quoque liceret nepoti ducere aviam, sorori nubere patruo, eò quòd de his personis non extet expressa prohibitio apud Mosem. Hoc exemplo lex, dum prohibet misceri amitæ, simul vetat conjungi cum fratris filiâ, dum prohibet ducere uxorem patrui, eâdem operâ vetat ducere uxorem avunculi, & sic consequenter.

An matrimonium tantùm interdicatur illis personis, quæ in Iure Mosaico nominatim cientur? *Neg.*

An ergò prohibitio illa sit extendenda ad omnes alios consanguineos & affines, qui in pari gradu consanguinitatis & affinitatis sunt cum iis personis, quæ disertè exprimuntur? *Aff.*

Ideoqué gradus prohibeatur, non personæ tantùm? *Aff.*

IV. *Prohibitio graduum Mosaica ratione personarum, non est ἀναστροφὸς, sed ἀντιστροφὸς, quia lex personas, in pari gradu constitutas, ob relationem mutuam æqualem æqualiter attingit. Ergò, si privignus*

nequit ducere novercam, frater sororem, nec noverca nubere poterit privigno, soror fratri, per hunc canonem.

An prohibitio graduum Mosaïca sit ἀνάστροφος, an verò ἀντίστροφος, id est, reciprocè reciproca? *Aff: Post.*

v. *Omnes illæ personæ, quæ sunt propinquæ carnis meæ, vel, quæ sunt caro carnis meæ, matrimonii vinculo copulari prohibentur, sive illæ sint supra me, ceu sunt, mater, avia, proavia, abavia, atavia, tritavia, sive infra me, ceu sunt, filia, neptis, proneptis, abneptis, atneptis, trineptis, sive circa me, ceu sunt, soror, item, patris & matris soror &c.*

An nuptiæ inter ascendentes & descendentes sint vetitæ in infinitum? *Aff.*

Etiamné ex transverso in infinitum? *Neg.*

Annon, si ratio subsit paterna? *Aff.*

Atque adeò, an vitricus possit ducere privignam, privignus novercam, nepos amitam, aut materteram? *Neg.*

An Esau vel Manasse Dinam? *Neg.*

Aut Iacob Rahelem & Leam? *Neg.*

Saltem successivè? *Neg.*

Vel frater sororem? *Neg.*

Ideoqué perperam Athenis conjugium

fuerit

fuerit conceſſum cum germanâ, Spartæ cum uterinâ, Alexandriæ cum utrâque? *Aff.*

Annon ſaltem pater & filius duas ſorores, frater vitrici privignam fratris, filius ſororem ſuæ novercæ, frater filiam uxoris fratris, fratris filius matrem uxoris patrui, filius ſororis matrem uxoris avunculi, aut patruus filiam ejus, cujus ſororem filius fratris duxit? *Neg.*

Vel filius ſponſam patris, aut eorum, qui parentum ſunt loco, frater ſponſam fratris? *Neg.*

Aut, annon liceat contrahere cum eâ, quæ ſocrus fuit uxoris, vel cum uxore ejus, qui ſororem meam habuit uxorem, aut cujus ego ſororem habui uxorem, adeoqué cum eâ, quæ ſoror eſt ejus, cujus ego uxorem antea habui, vel cum uxoribus duorum fratrum, aut cum viris duarum ſororum? *Neg.*

Univerſè, an, cujus cum parente non licet inire nuptias, nec liceat cum liberis ejus? *Diſt.*

Annon interim pater poſſit ducere matrem, & filius filiam ejus matris? *Diſq.*

Vel filius matrem, pater filiam? *Neg.*

Duo item fratres matrem & filiam, duaſ-

vé ſorores? *Neg: Prius. Aff: Poſt.*

Quid de Lothi & filiarum, Rubenis & Bilhæ, Ammonis & Thamaris congreſſu, fuitné inceſtuoſus, & cõtra hanc regulam? *Aff.*

Etiamné contra Jus, quod vocant, Gentium? *Aff.*

Et an rectè de Jure Canonico excommunicentur inceſtuoſi? *Aff.*

An committatur inceſtus, ſi quis ducat eam, cujus paulò antè cognovit matrem? *Aff.*

Itemné, ſi eam pòſt cognoſcat? *Aff.*

Regulæ Speciales dicuntur, quæ concernunt certã Lineam in ſpecie, putà vel Rectam, vel Obliquam.

Regula Specialis, ad Lineam Rectam pertinens, eſt una numero: In Lineà Aſcendente & Deſcendente cõjugia in infinitum ſunt prohibita, quia inter parentes & liberos matrimonia jungi nequeunt, omnes autem perſonæ, in lineà rectà aſcendente & deſcendente poſitæ, aut parentes ſunt, aut liberi, cùm ad ſe invicem collatæ ſint caro carnis, aſcendentes ſeu ſuperiores caro carnis inferiorum activè, ratione generationis activæ, quæ eſt parentum, deſcendentes ſeu inferiores caro carnis ſuperiorum paſſivè, ratione generationis paſſivæ, quæ eſt liberorum. Ergò iterum, vi regulæ hujus, filius ducere nequit matrem

trem, aviam, proviam, abaviam, ataviam, tritaviam, & sic in infinitum, filia nubere nequit patri, avo, proavo, abavo, atavo, tritavo, & sic in infinitum, & contrà, pater ducere nequit filiam, neptem, proneptem, abneptem, atneptem, trineptem, & sic in infinitum, mater nubere nequit filio, nepoti, pronepoti, abnepoti, atnepoti, trinepoti, & sic in infinitum.

An hæc regula quoque teneat in affinitate? *Aff.*

An, si hodiè reviviscerent Adam & Eva, ille aliam uxorem ducere, hæc alii marito nubere posset per hãc regulam? *Neg.*

Regulæ Speciales, ad Lineam Obliquam pertinentes, sunt binæ numero. 1. *Conjugia sunt prohibita in lineâ obliquâ, quando uterque contrahentium distat gradu secundo, aut tertio: In ulterioribus gradibus matrimonium nec simpliciter prohibitum est, nec simpliciter permissum: Prohibitum inter eos, qui sunt parentum & liberorum loco, permissum inter reliquos. Ergò, vigore regulæ hujus, frater nequit ducere sororem, fratris sororisvè filius amitam vel materteram, fratris sororisvè nepos amitam vel materteram magnã, licet tam illa quàm ista sit ipsi juncta gradu quarto, qui interim non obstat consobrino, quò minùs ducat consobrinam.*

An in lineâ transversâ inter cognatos

ſolus ſecundus gradus Jure Divino & Civili ſit prohibitus? *Neg.*

Saltem inter affines? *Neg.*

An ergò nuptiæ in ſecundo gradu affinitatis æquè ſint prohibitæ, atque in ſecundo gradu cognationis? *Aff.*

Adeoqué ea, quæ dicuntur hîc de conjunctis per unum tantùm latus, etiam accipienda ſint de conjunctis utrinque? *Aff.*

In ſpecie, an fratris & ſororis nuptiæ ſint vetitæ jure naturæ? *Aff.*

Etiamné gemellorum? *Aff.*

An jure quoque gentium? *Aff.*

Et, an jure gentium committat inceſtum, qui ex gradu hoc transverſo ducit uxorem? *Aff.*

Adeoqué inceſtus jure gentium quoque ſit ex latere? *Aff.*

Nominatim jure gentium committatur inceſtus à latere in ſecundo gradu cum patruo & avunculo, patrui item & avunculi uxore? *Aff.*

Vti & cum amitâ & materterâ? *Aff.*

Itemné cum fratris filiâ? *Diſt.*

Annon per Jus Moſaicum licitè quis potuerit ducere uxorem fratris improlis? *Aff.*

Viviné, an mortui? *Aff: Poſt.*

Et dimiſſamné, an viduam? *Aff: Poſt.*

Virginemvé? *Aff.*

Regu-

Regulané hæc fuerit, an verò exceptio à regulâ? *Aff: Prius.*

Naturaliné, an civili ratione introducta, quæ hîc anteſtat naturali? *Aff: Poſt.*

In totum, an in tantum? *Aff: Poſt.*

Annon aliquid habuerit Iuris Ceremonialis? *Diſq.*

Adeoqué, an etiamnum liceat ducere uxorem mortui fratris vel improlis? *Neg.*

Aut uxoris ſororem? *Neg.*

An nuptiæ quoque ſint prohibitæ in tertio gradu lineæ obliquæ, v. g, cum filiâ fratris ſororiſvé, amitâ item & materterâ? *Aff.*

Et ſi, an naturaliter? *Aff.*

Adeoqué, an omnes perſonæ ſint prohibitæ, quæ in eodem tertio ſunt gradu, etiam illæ, quas lex divina non nominat? *Aff.*

An Abrahami exemplum operetur in contrarium, qui duxit Saram, fratris filiam? *Neg.*

Moſisvé parentum? *Neg.*

Annon nuptiæ ſaltem in quarto gradu ſint licitæ? *Diſt.*

Nominatim inter conſobrinos & affines ejuſdem gradus? *Aff.*

Et ſi, de Jurené Divino & Naturæ? *Aff.*

Etiamné Civili, & Canonico? *Aff: Prius. Neg: Poſt.*

Siqué consuetudo sit alicubi, ne nuptiæ contrahantur in quarto gradu, exqué contractis scandalizetur civitas, diriminé debeat matrimonium sic contractum? *Neg.*

Universè, atque in thesi, juvat heic quærere, an lex divina consobrinorum nuptias improbaverit, vel κατὰ τὸ ῥητὸν, vel κατὰ τὴν διάνοιαν? *Neg.*

Annon interim præstet illis abstinere in dubio propter vicinitatem illiciti, atque in foro animæ, ut ajunt? *Neg.*

Atque adeò, utri rectiùs, paternè Theodosius, qui hujuscemodi conjugia improbavit, prohibuit, an filii Arcadius & Honorius, qui prohibita restituerunt, atque in usum revocârunt? *Aff. Post.*

11. *Prohibitio hæc valet, sive ex utroque, sive ex alterutro parente tantùm consurgat propinquitas: Neque de fratribus & sororibus solùm, sed etiam de reliquis propinquis, sive illi oriantur & prodeant ex legitimo matrimonio, sive non.*

An cognatio ex solo matrimonio legitimo oriatur, an verò ex quovis concubitu, etiam illegitimo? *Aff. Post.*

Ideoqué nihil interest, utrùm ex justis nuptiis cognatio descendat, necné? *Aff.*

An ergò, quemadmodum nemo potest filiam patris sui domi natam, id est, legitimam, accipere uxorem, sic nec natam foris, id est, illegitimam? *Aff.*

Aut

Aut uterinus uterinam, natus natam ex illicitâ coitione? *Aff.*

Et consequenter spurii ad matrimonia saltem sint agnati & cognati, licet non sint, quantum attinet ad successiones? *Aff.*

Quod attinet ad Ius Humanum, quod non item indispensabile, ut alterum illud, sed dispensabile ac dispositivum, utpote rogationi, obrogationi, derogationi, abrogationi obnoxium, id verò vel Canonicum est, vel Civile, vel Municipale.

An præter prohibitionem graduum matrimonialium, descriptam in Jure Divino, detur alia, quæ non sit ejusdem autoritatis atq; observantiæ cum illâ, neque ut ista obliget conscientiam? *Aff.*

An in hâc habeat locum dispositio ac dispensatio humana? *Aff.*

Privatâné an publicâ autoritate ea debeat fieri? *Aff. Post.*

Et si, ad Politicamné ea pertineat potestatem, an verò ad Ecclesiasticam? *Aff: Prius.*

An igitur à magistratu sit petenda venia contrahendi matrimonium in iis gradibus, in quibus contrahi matrimonium lex vetat? *Aff.*

An tales conjunctiones rectè numerentur inter scortationes? *Dist.*

Aut exautoretur rectè, qui ejusmodi

nuptiis benedixerit? *Aff.*

Annon personis publicis & illustribus dispensationis gratia heic possit fieri? *Aff.*

Saltem magis, quàm privatis & minùs illustribus? *Aff.*

Adeoque subindè concedi possit, ut ea nubat, ne fornicetur, cui alias nubendi jus non erat? *Aff.*

De Iure Canonico Veteri prohibitæ sunt nuptiæ usque ad septimum gradum, de Novo usque ad quartum inclusivè, hoc est, ut quartus gradus includatur.

Rectené, & Legibus Mosaicis convenienter, de Iure Canonico Veteri prohibitæ fuerint nuptiæ usq; ad septimum gradum? *Neg.*

Aut de Novo usque ad quartum inclusivè? *Neg.*

Admittendané ratio prohibitionis, quæ affertur à Canonistis, petita vel à septem ætatibus hominum, vel à successione heredum, quæ ad septimum usque gradum protenditur, vel ab exemplis seu experientiâ, quòd experimentis sit comprobatum, non posse sobolem ex tali matrimonio succrescere, vel à quatuor humoribus corporis humani? *Neg.*

Universè, an Ius Canonicum sit verè Canonicum, continens Canones, seu regulas immutabiles? *Neg.*

An rectè appelletur Divinum? *Neg.*

Ita

Ira, ut qui ei obloquitur, obloquatur Spiritui Sancto? *Neg.*

Theologiqué heic sint Pharisæis pares, Canonistæ Scribis? *Neg.*

Vel succedanei Levitarum? *Neg.*

Atque adeò, an, qui Jus Canonicum tulerunt, penes hos fuerit potestas nomothetica ferendarum legum? *Neg.*

An præferendum Civili? *Neg.*

Et, an ad Jus Canonicũ pertineat quæstio juris, ad Jus Civile quæstio facti tãtũ? *Neg.*

Aut, an Jus Civile de accidentalibus tantùm matrimonii judicet, putà, dote, arrhis, & similibus, Jus verò Canonicum de substantialibus? *Neg.*

An aptetur semper foro animæ seu conscientiæ? *Neg.*

Neque barbarum tantùm, sed barbaricum? *Aff.*

Ideoque, si quid in eo dubium, subindè corrigendum & declarandum sit ex Jure Civili aperto? *Aff.*

Annon saltem huic præferendum in suo foro, id est, ecclesiastico, inqué materiâ ecclesiasticâ? *Dist.*

Adeoque, si Leges & Canones, Jus Civile & Canonicum, inter se pugnent, secundum illud potiùs, an verò secundum hoc, sit pronunciandum? *Aff: Prius.*

Annon saltem illo casu, quo Jus Civile deficit, & variæ sunt opiniones? *Neg.*

An

An propriè dictum jus? *Neg.*

Ideoqué admittendum in Republicâ Christianâ, tanquam αὐτοδίκαιον, & summa lex? *Neg.*

De Jure Civili iisdem ferè gradibus interdicitur conjugio, quibus de Jure Divino.

An matrimonium quoque sit juris humani, ideoqué sit juris humani, statuere de matrimonio, & interpretis juris humani, respondere de matrimonio? *Aff.*

An rectè ad se curam hujus humani juris traxerint Patres, cùm Jureconsulti Christiani non essent, nõ essent Principes, non Magistratus, qui de sacris litteris curarent? *Aff.*

An item rectè Pontifices in Ecclesiâ illâ priscâ, cùm isthæc à Principibus Ethnicis, vel malè Christianis, parparùm, immò perperàm, curarentur? *Aff.*

Annon nunc extraordinaria illa cura cessare debeat? *Aff.*

An ergò, cùm de nuptiis quæritur, licitæné sint, necné, ejus rei cognitio pertineat ad Principem, seu Potestatem Politicam & Secularem? *Aff.*

Interpretatioqué hujus Juris ad Jurisconsultos? *Aff.*

Civilistasné seu Justinianicos, an verò ad Jurisperitos in genere? *Aff. Post.*

Adeoqué an, sicut Ius Divinum seu Primæ Tabulæ, spectat ad Theologum,

sic

ſic Ius Humanum ſeu Secundæ Tabulæ, ad Iureconſultum? *Aff.*

Etiamné præceptum decimum? *Neg.*

Et, an nullæ planè hîc ſint partes Theologorum, an verò aliquæ, ſaltem quoad examen & cenſuram? *Aff. Poſt.*

Itemné quoad curationem & audientiam? *Neg.*

De Jure Municipali matrimonialis contractus quoad graduum prohibitionem aliâs alius alibi. Variat enim hoc jus pro varietate regionum, addo & religionum.

An Jus Municipale, quoad graduum matrimonialium prohibitionem, ſit idem apud Pontificios, Lutheranos, & Reformatos? *Neg.*

Quæ Prohibitioni huic Juris Divini & Humani contraveniunt Nuptiæ Illicitæ dicuntur, item Injuſtæ, idque vel ἁπλῶς, vel πῶς, ἢ κατά τι: Illæ Nefariæ ſeu Inceſtæ, hæ Inutiles.

An Canoniſtæ rectè matrimonia diſtinguant in rata & legitima, legitima nec rata, rata nec legitima? *Neg.*

Annon uxor injuſta, quæ ducta quidem, ſed jure non potuit duci, veluti, ſi peregrina, vel à peregrino civis ſit ducta, aut minor annis duodecim, aut ea, cum quâ inceſtum committitur, filiavé familiâs abſque conſenſu parentum? *Aff.*

Annon quoque vetita matrimonia, &

ipſo

ipso jure nulla, possint convalescere? *Dist.*

Nuptiæ Nefariæ seu Incestæ dicuntur, quæ obstante Iure Divino, & Naturali seu Gentium, contrahuntur, tam inter ascendentes & descendentes in lineâ rectâ, quàm inter collaterales in gradibus prohibitis, nominatim secundo & tertio.

An in talibus nuptiis valeat dotis promissio, & donationis propter nuptias? *Neg.*

Filiique nati ex hujusmodi coitu sint in patriâ potestate? *Neg.*

Aut patri succedant? *Neg.*

An ab eo alendi? *Aff.*

An contrahentes tales nefarias atque incestas nuptias sint infames? *Aff.*

Etiamné approbantes ac defendentes? *Aff.*

Rectené eorum bona confiscentur? *Aff.*

Et, si honoratiores fuerint, relegentur in exilium, sin viles, corporis castigatione afficiantur? *Disq.*

An hæc pœna teneat tantùm in contrahentibus nuptias nefarias ac incestas scienter & dolosè, an verò etiam in ignorante atque errante in facto? *Aff: Prius: Neg: Post.*

Vel eo, qui palàm contrahit? *Dist.*

Præsertim, si extra matrimonium sic coeat? *Aff.*

Nuptiæ

Nuptiæ Inutiles dicuntur, quæ obstante tantùm Iure Canonico, Civili, vel Municipali contrahuntur.

An pœnæ, quæ locum habent in contrahentibus nefarias & incestas nuptias, etiam locum habeant in contrahentibus inutiles nuptias? *Neg.*

Annon saltem aliæ pœnæ? *Aff.*

Etiamné, si ignorantes contrahant, & non scientes? *Neg.*

Vel alter sciens, alter ignorans? *Neg.*

Aut, quando facta est dispensatio in casu vel gradu à Canone vel Lege prohibito? *Neg.*

Denique, an vel illæ vel hæ pœnæ quoque locum habeant in contrahentibus sponsalia incesta inutiliavé? *Neg.*

Annon interim aliæ, saltem aliquæ? *Aff.*

Consanguinitas Civilis est propinquitas eorum, qui non quidem nati & coorti sunt ex eodem sanguine, sed fictione Juris Civilis habentur pro talibus: Propinquitas, inquam, adoptantium & adoptatorum, seu adoptivorum activè & passivè.

An etiam civilis cognatio, quæ fit per adoptionem, sit impedimento nuptiis? *Aff.*

An

An impediantur nuptiæ, etiamsi adoptatus non veniat sub potestatem? *Aff.*

Ideoqué adoptatus à nuptiis earum, quibus agnascitur, debeat abstinere? *Aff.*

Nominatim à nuptiis patris adoptivi, sororisvé adoptivæ? *Aff.*

An quoque à matre & uxore patris adoptivi, etsi verè eis non agnascatur? *Aff.*

Et convenienter ab amitâ ejus? *Aff.*

Idqué non durante tantùm, sed etiam solutâ adoptione? *Dist.*

Adeoqué universé ab iis, quibus in lineâ rectâ, aut verè, aut quasi agnatus fuit? *Aff.*

Annon interim his non obstantibus filius naturalis & legitimus possit ducere sororem adoptivam? *Dist.*

Quæ Consanguinitati in Propinquitate connectitur Affinitas, hæc nihil est aliud, quàm personarum proximitas, ex quocunque coitu proveniens, maximè verò ex justis nuptiis, propinquitas, inquam, quâ per cohabitationem conjugalẽ maritus consanguineis uxoris, & uxor consanguineis mariti fit affinis. Quod vel ipsum nomen suggerit. Dicitur quippè affinitas, quasi duorum ad unum finem unitas, quâ duæ cognationes, quæ diversæ inter se sunt, per nuptias ita copulantur, ut altera ad alterius cognationis finem accedat. Cujus accessionis hoc fundamentum, quòd, cùm duobus matri-

matrimonio junctis inter se duo fiãt unum, necesse sit, vinculo quoque isto utrinque cũ iis connecti consanguineos. Quâ quidem in connexione, vel, si placet, syncretismo, ii, quorum matrimonio interveniente coit affinitas, se habent activè, ii verò, qui in eam coëunt, id est, qui, cùm priùs essent unius duntaxat consanguinei naturâ, postea propter intercedẽtes nuptias alteri quoq; affinitate junguntur, passivè, quoniam illi trahunt, hi trahuntur, ut ajunt.

An dentur distincta genera affinitatum, nominatim tria: Unum, quo cognati uxoris sunt viro affines, & cognati viri affines uxori: alterum, quo affines uxoris ex aliis nuptiis jam sunt viro affines, & contrà affines viri uxori affines: tertium, quo affines affinium sunt affines? *Neg.*

Et an rectè secundum ad tertium genus sit sublatum? *Aff.*

Ideoqué bis rectè Ius Canonicum retinuerit primum? *Aff.*

An ex nudâ desponsatione, seu nudîs sponsalibus, quoque contrahatur affinitas? *Neg.*

Annon saltem ex sponsalibus purè & in præsens tempus conceptis? *Aff.*

An his solutis solvatur affinitas? *Aff.*

Etiamné soluto matrimonio? *Dist.*

Alterius putà spõsi velcõjugis morte? *Dist.*

Causæ Affinitatis universè vel Externæ sunt,

næ sunt, vel Internæ.

Causæ Externæ sunt, Efficiens & Finis.

Causa Efficiens Affinitatis, vel Generalis est, vel Specialis.

Generalis est omnis Concubitus, sive Legitimus, unde Affinitas Legitima, quæ mediante justo matrimonio contrahitur, sive Illegitimus, unde Affinitas Illegitima, quæ per illicitas nuptias, coitumvè fornicarium contrahitur.

Specialis est Concubitus Legitimus tãtùm.

An affinitas ex solo matrimonio legitimo oriatur, an verò ex quovis concubitu, etiam illegitimo? *Aff: Post.*

Itemné ex coacto concubitu, & cum dormiente? *Aff.*

Et, an illicitæ nuptiæ propterea cum eâ, qui-cum aut pater, aut frater, aut patruus rem habuit? *Aff.*

Vel, si sponsus cum sponsâ? *Aff.*

Itemnê, si immaturè, & cum eâ, quæ per ætatem uxor esse nequit? *Aff.*

An, etsi puella illa non esset cognita à sponso, eaqué vel matura esset, vel proxima maturitati, cõtrahere cum hâc possint cognati sponsi? *Neg.*

Et, si non, an propter affinitatem? *Aff.*

Atque adeò, an quis ducere possit cognatã istius fœminæ, cum quâ antea illegitimam consuetudinem habuit? *Dist.*

Vel conjugem ejus, quo-cum non licet

cet contrahere? *Neg.*

Finis Affinitatis vel Remotus est, vel Proximus.

Remotus, est generis humani: Proximus, diversarum familiarum conjunctio & coalitio. Quid enim aliud affinitas, quàm diversarum cognationum per nuptias copulatio?

An idem sit finis affinitatis, qui consanguinitatis? *Dist.*

Causæ Internæ sunt, Materia & Forma.

Materia Affinitatis sunt Affines, non ipsi conjuges, neque cognati utriusque conjugis, propriè loquendo. Dico propriè. Nam affinitas non tam est inter consanguineos mariti & uxoris, quàm inter maritum, & consanguineos uxoris, uxorem, & consangnineos mariti.

Ex his alii parentum & liberorum sunt loco, alii fratrum & sororum.

Parentum & liberorum loco sunt: Vitricus, seu maritus matris, ex alio viro natis, & Privigna, seu mariti ex aliâ uxore, vel uxoris ex alio marito, filia: Noverca, seu uxor patris, ex aliâ matre natis, & Privignus, seu mariti ex aliâ uxore, vel uxoris ex alio marito, filius: Socer, seu pater, vel mariti, vel uxoris, & Nurus, seu filii uxor: Socrus, seu mater, vel mariti,

vel

vel uxoris, & Gener, seu filiæ maritus. His rectè junxeris, sursum versus, Absocerum & Absocrum, Atsocerum & Atsocrum, Trisocerum & Trisocrum, Quadrisocerum & Quadrisocrum, deorsum versus, Abnurum & Abgenerum, Atnurum & Atgenerum, Trinurum & Trigenerum, Quadrinurum & Quadrigenerum: Sursum versus, Abvitricum & Abnovercam, Atvitricum & Atnovercam, Trivitricum & Trinovercam, Quadrivitricum & Quadrinovercam, deorsum versus, Abprivignam & Abprivignum, Atprivignam & Atprivignum, Triprivignam & Triprivignum, Quadriprivignam & Quadriprivignum: Ad latus verò, socero, Soceri Sororem vel Fratrem, Socrui, Socrus Sororem vel Fratrem, Vitrico, Vitrici Sororem vel Fratrem, Novercæ, Novercæ Sororem vel Fratrem, & horum deinceps Filios ac Nepotes, Filias ac Neptes, quæ ratio in Absocero & Absocru, Atsocero & Atsocru, Trisocero & Trisocru, Quadrisocero & Qvadrisocru, Abvitrico & Abnovercâ, Atvitrico & Atnovercâ, Trivitrico & Trinovercâ, Quadrivitrico & Quadrinovercâ, convenienter fuerit servanda.

Fratrum & sororum loco sunt: Levir, seu mariti frater, & Glos, seu mariti soror: Sororius, seu sororis maritus, & Fratria, seu fratris uxor. Etc. Atque hæ hæ adeò personæ ἐυώνυμοι, *reliquæ* ἀνώνυμοι, *nisi*

quòd

quòd periphraſibus circumſcribantur ferè.

An diagramma affinitatis rectè à Canoniſtis nuncupetur Arbor Affinitatis? *Neg.*

An & hæc alia Canonica, alia Civilis? *Aff.*

Et ſi, an utiliter à Jure Civili introducta? *Aff.*

Ob eandemné cum Jure Canonico cauſam, an verò aliam? *Aff. Prius: Neg: Poſt.*

Atque adeò, ob ſucceſſionemné & tutelas, an verò caſus & cauſas matrimoniales? *Neg: Prius: Aff: Poſt.*

Forma Affinitatis conſiſtit in acceſſu alterius ad fines cognationis alterius, ſive in copulatione duarum diverſarum cognationum, reſpectu mariti & uxoris alternatâ, mediante concubitu, ſive legitimo, ſive illegitimo, factâ.

Annon affinitas, non Grammaticè tantùm, & κατὰ τὸ γράμμα, ſed Oeconomicè quoque, & κατὰ τὸ πρᾶγμα, perappoſitè derivetur à fine? *Aff.*

Neque nominaliter tantùm, verùm realiter, hoc eſt, tam materialiter quàm formaliter, tam formaliter quàm materialiter? *Aff.*

Affinitatis, ſuis cauſis deſcriptæ, ſuæ, hoc eſt, certæ ac definitæ, ſunt regulæ, atque adeò quinæ numero.

I. *Affinitas tantùm contrahitur inter maritum, & consanguineos uxoris, uxorem, & consanguineos mariti, non autem inter consanguineos & consanguineos earum personarum, quarum interventu coit affinitas, ut dictum.*

II. *Quoto gradu cognationis consanguinei junguntur marito, toto gradu affinitatis junguntur ipsius uxori, & contra, quoto gradu cognationis junguntur uxori, toto gradu affinitatis junguntur ipsius marito.*

Annon affinitas mutet genus attinentiæ, licet non mutet gradum? *Aff.*

Et si, an ergò uxor fratris mei alio genere propinquitatis mihi sit conjuncta, quàm frater? *Aff.*

An etiam alio gradu? *Neg.*

III. *Quamvis inter affines propriè nullus sit gradus, cùm inter eos non intercedat generatio, hoc est, affines ab affinibus non generentur, datur tamen similitudo quædam graduum, id est, gradus analogicus, cùm affinitas sit quasi quoddam simulacrũ consanguinitatis, consanguinitas quasi quædam idea affinitatis. Unde eadem supputatio graduum in affinitate, quæ in consanguinitate, in illâ, quæ in istâ.*

An Ius Canonicum rectè in affinitatis definitione admittat gradus? *Aff.*

An ergò inter affines quoque detur gradus? *Dist.*

Saltem analogicus? *Aff.*

An alii gradus in affinitate, quàm in cognatione? *Neg.*

Et, si non, an proindè eadem sit graduum supputatio in affinitate, quæ in consanguinitate, in consanguinitate, quæ in affinitate? *Aff.*

IV. *Quibus gradibus prohibetur matrimoniū ratione sanguinis seu consanguinitatis inter cognatos, iisdem ratione affinitatis inter affines, cùm consanguinei mariti sint uxori pro consanguineis, & contrà consanguinei uxoris marito pro consanguineis: ubi autem eadem ratio, ibi quoque eadem prohibitio.*

An affinitas impediat matrimoniū? *Aff.*

Adeoqué, quibus gradibus prohibetur matrimonium respectu cognationis, iisdem prohibeatur contemplatione affinitatis? *Aff.*

Atque ita, quibus in cognationis gradibus nuptiæ sunt interdictæ, iisdem in affinitatis gradibus intelligantur prohibitæ? *Aff.*

Idqué tam in rectâ lineâ, inter affines ascendentes & descendentes, quàm in trâsversali, inter eos, qui parentum ac liberorum sunt loco, & quidem in infinitū? *Aff.*

Etiamné inter reliquos? *Neg.*

An prohibitio hæc tantùm locum habeat in affinitate legitimâ, an verò

etiam in affinitate illegitimâ? *Aff: Poſt.*

Et, an in primo tantùm genere affinitatis, an verò etiam in reliquis? *Diſt.*

Annon ſaltem maximè in primo, minimè, immò planè non, in tertio? *Aff. Utr.*

Itemné in ſecundo? *Diſt.*

Et, an ſecundum hoc genus affinitatis in totum moribus noſtris ſit ſublatum? *Neg.*

Atque adeò, annon in ſecundo genere affinitatis affines in lineâ collaterali, ſive illud ex uno, ſive ex utroque latere contrahatur, poſſint inire matrimonium? *Aff.*

Similiterné in lineâ rectâ aſcendente ac deſcendente? *Neg.*

Ut ad exempla veniamus: An nominatim poſſit ducere ſocer nurum, vitricus privignam, vel neptem ex privigno, uxoremvé viduam privigni, patruus uxorem filii fratris, avunculus uxorem filii ſororis, maritus amitam uxoris ſuæ materteramvé, privignæ maritus novercam, ſui quondam ſoceri uxorem quondam gener, etiamſi uxoris ſuæ illa nō mater verùm noverca fuerit, vel eam mulierem is, quam uxor ejus poſt divortium procreavit ex alio? *Neg.*

Annon interim, ſi ſuperſtes gener meus aliam duxerit, quamvis ea filiæ meæ ſucceſſerit, illam, ſi vidua fuerit, queam ducere,

cere, tanquam extraneam? *Aff.*

An frater poſſit ducere uxorem fratris, maritus ſororem uxoris, levir, ſeu mariti frater, glorem, ſeu mariti ſororem, ſororius, ſeu ſororis maritus, fratriam, ſeu fratris uxorem? *Neg.*

Annon ſaltem quis viduam fratris uxoris ſuæ? *Aff.*

Aut ſororem ejus, quæ ſibi deſponſata, ſed ante nuptias mortua? *Neg.*

Fratrumvé alter matrem, alter filiam? *Aff.*

v. *Semper attendẽdum in affinitatis contractibus, non quid liceat, ſed quid deceat, & honeſtum ſit. Neque enim ſemper, quod licet, etiam decet.*

Annon honeſtas, tam juris, quàm facti, in affinitatibus ſit attendenda? *Aff.*

Et ſi, utra magis, juriſné, an facti? *Aff. Prius.*

Ideoqué vel honeſtatis cauſâ ſit abſtinendum etiam à ſponſo & ſponſâ? *Aff.*

Atque adeò, annon, licet ex ſponſalibus non oriatur affinitas, oriatur tamen publica honeſtas, impediens contrahi matrimonium inter conſanguineos ſponſi & ſponſam, & inter conſanguineos ſponſæ ac ſponſum? *Aff.*

Univerſè, an ſemper hîc, quod licet, quoque deceat? *Neg,*

Et, ſi Titius duxerit filiam Mævii, con-

trà ſtatim liceat Mævio ducere filiam Titii? *Neg.*

Expoſitis Speciebus Propinquitatis in Cõſanguinitate & Affinitate, Vitæ Conditio ſequitur, quæ in conjugandis ſpectari & ipſa ſolet, immò debet.

Illa verò vel Phyſica eſt, vel Ethica, vel OEconomica, vel Politica, vel deniq; Theologica ſeu Eccleſiaſtica.

Reſpectu Cõditionis Phyſicæ perſonæ connubio copulandæ, ratione conſtitutionis ſeu temperamenti, vel formoſæ ſunt, vel deformes, vel ſanæ ac firmioris, vel ægræ ac infirmioris valetudinis, ratione verò ætatis, vel juvenes, vel ſenes: Universè, cæteris paribus, illæ præferendæ his, non hæ illis.

An in matrimonio contrahendo, & uxore eligendâ, formæ ſit habenda ratio? *Aff.*

Omniſné, an uxoriæ, id eſt, ſtatæ? *Neg. Prius. Aff: Poſt.*

An contraria deformitas impediat matrimonium? *Diſt.*

Ideoqué recuſari poſsit deformis? *Aff.*

Omniſné, an notabiliter deformis? *Neg: Prius: Aff: Poſt.*

Atque adeò, annon propter deformitatem parentũ poſsint recuſari liberi, quantumvis formoſi, ſaltẽ non deformes? *Neg.*

An ſtaturæ quoque heic ſit habenda ratio? *Aff.*

Ideo-

Ideoqué rectè multatus ſit à popularibus ſuis Archidamus, quòd uxorem brevioris ſtaturæ duxerit? *Diſq.*

An item conſtitutionis & ſanitatis? *Aff.*

Atque ita valetudo quoque faciat penſationem, tam in valetudinario, quàm in valetudinariâ? *Aff.*

An igitur propter morbos recuſari poſſit matrimonium perſonarum morboſarum? *Diſt.*

Omneſné, tam contagioſos ſeu tranſitivos, quàm non contagioſos ſeu intranſitivos, tam immedicabiles, quàm medicabiles? *Aff: Prius: Neg: Poſt.*

Nominatim ob lepram, paralyſin incurabilem, frigiditatem, mutilationemvé inſanabilem genitalium? *Aff.*

Etiamné ob partiũ non genitalium privationem læſionemvé? *Diſt.*

An ſurdi quoque & muti poſſint contrahere matrimonium, non obſtante ſurditate ac mutitate, eâqué tã naturali, quàm accidentali? *Aff.*

Itemné, ſi iidem ſimul ſint cæci? *Neg: Saltem Diſq.*

An furioſi, phrenetici, inſani, mente capti, ſtulti, ſtolidi, dementes, fatui, ſimplices? *Diſt.*

Et, an hæc vocabula differant? *Aff.*

Annon ſubindè confundantur à Juriſtis, qui ſolent realiter diſputare, non verbaliter? *Aff.*

An rectè interim ea distinguantur per plus & minus, idqué tam in genere, quàm in specie? *Aff.*

Hisqué non obstantibus, usu artis nihilominùs, furiosus, mente captus, demẽs, fatuus, sint idem effectu? *Aff.*

Itemné simplex, & mente captus? *Neg.*

Sed redeo ad furiosos: An omnis furor impedimento sponsalibus nuptiisvé? *Neg:*

Saltem continuus, si non periodicus? *Aff.*

Annon etiam periodicus, in ipso articulo furoris, si tum insaniviſſe constiterit contrahentem, cùm contraheret? *Aff.*

Aut furor ille sit prorsus intractabilis? *Aff.*

Annon saltem tunc teneat matrimonium, tali furore contractum, si in matrimonium furiosi consentiat mulier, illequé sanus factus ratum habeat atque accipiat consensum? *Aff.*

Aut, sanæ mentis cùm esset, non contradixerit? *Aff.*

Et, an dentur ejusmodi furiosi, qui habent dilucida intervalla? *Aff.*

Isqué, qui illicò à re gestâ quid fecerit fatuè, rectè præsumatur & in re gestâ fatuus fuisse? *Neg.*

Adeoqué actus, factus à furioso sapienter, valeat, si constet eum fuisse tunc furi-

furioſum? *Neg.*

Aut, ſi quædam ſint facta ſapienter, & aliquid minùs ſapienter? *Neg.*

Universè, ſi regulariter ſit furor, an dici poſſit factum in dilucidis? *Neg.*

Aut contrà ex eo, quòd quis olim fuit furioſus, etiamnum furioſus eſſe non irrationabiliter præſumatur? *Neg.*

Annon ſaltem, ſi probentur facta aliquot furioſa? *Neg.*

An ergò aliud ſit, eſſe furioſum, agere furiosè, & agere furioſa? *Aff.*

Adeoqué an, ut aliquis brevi aliquo tempore ſit furioſus, hoc eſſe poſſit etiam à non furore? *Aff.*

Ideoqué, qui aliquem inſimulat furoris, debeat afferre cauſam, cur aliquem furoris arguat, & quidem nec rogatus? *Aff.*

Annon neceſſaria heic actuum inſanorum ſpecificatio? *Aff.*

Et ſi, uniuſné & alterius, an verò plurium? *Aff. Poſt.*

Atque adeò, an directè poſſit probari furor? *Neg.*

Annon ſaltem indirectè per verba & facta, facta & verba? *Aff.*

An, v. gr., præſumatur eſſe furioſus, qui ingenio eſt obtuſo, qui ægrotus non admittit medicos & pharmaca, qui neſcit exprimere, quid velit, qui non loquitur ad

propoſitum, qui loquitur deridenda in publico, qui interrogat, cur hi venerint, cum quibus acturus eſt, qui conditionem ponit impoſſibilem, qui dicit, turres loco motas, quas non vidit propter caliginem, & repoſitas, quas vidit poſtea, qui ſpuit in faciem hominum, interrogatus, non reſpondet ad propoſitum? *Diſt.*

Annon hæc omnia juncta probent furorem? *Aff.*

Aut, annon ille ſaltem præſumatur eſſe furioſus, qui dicit, quòd aſinus ſuus ſit bos, interrogatus, cui relinquat, reſpondet, diabolo, qui projicit ſæpiùs, & ſine causâ, lapides, panem, cibaria, qui ſpargit populo numos, trahit togam in foro, degit ac paſcit cum beſtiis in campo, qui verberat domeſticos abſque causâ, legat vetita legari ſub pœnâ, qui non habet charitatem ordinatam, deſcendentibusqué alios cognatos præfert, qui teſtamentum facit in ædibus alienis, clauſulâ derogatoriâ teſtamento adjectâ, quantumqué in ipſo eſt, libertatem ambulatoriæ voluntatis ſibi adimit, aut aliâs conditionem ponit inſanam, qui pro eo habetur à medicis, vicinis, idqué publicè & communiter, etiam à magiſtratibus, à quibus propterea detinetur in cuſtodiâ? *Diſt.*

An

An ex adverſo probetur eſſe ſanæ mentis, qui ita habitus communiter? *Neg.*

Annon interim teſtes, deponentes in ſpecie de ſanâ mente, præferantur deponentibus in genere de dementiâ? *Aff.*

An item teſtimonium genericum de ſanâ mente teſtimonio generico de furore? *Diſq.*

An probetur ſana mens, ſi quis dicat, quòd non viderit aliquem facere actum furoris? *Neg.*

Annon ſaltem, ſi nec facere potuerit, quin vidiſſet? *Aff.*

Aut, an inde probetur ocyùs furor, quia pater filium habuerit pro furioſo, appellaverit furioſum, eiqué dederit curatorem, ut dare furioſis filiis ſolent patres? *Neg.*

Stentqué ſponſalia furioſæ, etiamſi pater eam collocaverit? *Neg.*

Aut perſonarum contrahentiũ una ſanæ mentis fuerit, altera verò furioſa? *Neg.*

An in tali caſu rectè ſponſa, furente ſponſo, teneatur expectare quinquenniũ, ſponſus, furente ſponſâ, triennium tantùm? *Diſq.*

Furori ira proxima, quæ furor brevis: Ecquid ergò, licetné etiam iraſcendo contrahere matrimonium? *Neg.*

Et, annõ ea, ſaltem cõſequẽter, atq; à poſteriori, colligitur ex vultu, voce, motu, ſta-

tu, colore, oculis, ore, clamore, ſpumâ, trepidatione, exultatione? *Aff.*

Furori quoque proxima ebrietas, quæ voluntaria furoris ſpecies, voluntaria, inquam, inſania: Ecquid ergò, licetné per ebrietatem cõtrahere matrimonium? *Neg.*

Teneatné interim ſic contractum, ſi ſequatur concubitus? *Aff.*

Annon heic ſit inſpiciunda qualitas ebrietatis? *Aff.*

Siqué intelligit ebrius, quod agit, dequé eo deliberat, annon ſic teneat matrimonium? *Aff.*

Itemné, ſi potiunculâ ad ebrietatem compoſitâ potionatus ſit ignarus? *Neg.*

Aut ad ſitim bibenti obrepſerit ebrietas, quam antea ſemper ſtudiosè cavit? *Neg.*

An ſufficiat probâſſe de potatione? *Neg.*

Ideoqué probandus ſit dolus ab eo, qui eum allegat? *Aff.*

Exquiſitené? *Aff.*

An hîc ſufficiant conjecturæ? *Neg.*

Atque adeò, annon dolus colligatur, ſi pars inebriavit? *Aff.*

Conſtetvé rem aliter ſe habere, vel in jure, vel in facto? *Aff.*

Aut annon, ſaltem conſequenter, atque à poſteriori, ebrietas rectè colligatur ex tremore, vertigine, inſomniâ, lacrimis, viſus obſcuritate, frigiditate? *Aff.*

Omniné? *Neg.*

Sed

Sed & amor furori proximus, qui quidam furor, atque affectus insaniæ vicinus: Ecquid ergò, licetné per talem amorem contrahere matrimonium? *Neg.*

Ex amore inordinato, in furore carnalis concupiscentiæ, solius copulæ appetitu? *Neg.*

Annon interim teneat sic contractum? *Dist.*

Etiamné, sive mente alienatus contraxerit, sive non, sive contractum secuta sit copula, sive non? *Aff: Prius: Neg: Post.*

Vel etiam adhibitæ fuerint incantationes ac veneficia? *Neg.*

Universè, annon consequenter, atque à posteriori, ex continenti palpebrarum motu, oculis concavis, pulsu debili, reciprocatis suspiriis, rationabiliter colligatur amor? *Aff.*

Etiam prodigalitas seu prodigitas furori proxima: Ecquid ergò, licetné saltem prodigo contrahere matrimonium? *Dist.*

Nominatim ei, qui in errore mentis constitutus dissipat facultates, quibus ei est interdictum? *Neg.*

Aut, qui ideò contrahit matrimoniũ, vel turpissimum, ut bonis potiatur, quæ prodigat? *Neg.*

Et, an rectè furioso comparetur atque æquiparetur in jure hîc talis? *Aff.*

Quid de Hilarione & Gaudentio, tenet-

né matrimonium per gaudium, atque ex gaudio, per hilaritatem, atque ex hilaritate contractum? *Aff.*

Quid de jocabundo & ludibundo, tenetné matrimonium, compromissum per ludum & jocum, jocum & ludum? *Neg.*

Saltē in dubio, & si secuta sit copula? *Aff.*

Annon ætatis quoque heîc sit habenda ratio? *Aff.*

Et in eâ æqualitatis? *Aff.*

Arithmeticæné, an Geometricæ? *Aff. Post.*

Annon subindè quoque locum habeat inæqualitas? *Aff.*

Et si, modicané, an immodica? *Aff: Prius.*

Respectu Conditionis Ethicæ Personæ connubio copulandæ, vel sunt honestæ, vel inhonestæ, benè vel secùs moratæ. Universè iterum, etiam imparibus cæteris, illæ præferendæ his, non hæ illis.

An in matrimonio contrahendo, & uxore eligendâ, morum atque honestatis sit habenda ratio? *Aff.*

An mores illi sint Juris Gentium, Canonici, Civilisvé, ac non potiùs cujusque hominis? *Aff: Postr.*

An diversitas morum heic præscribat? *Dist.*

Saltem magna? *Aff.*

Nominatim turpitudo, lædens pudorem matrimonii, ac bonos mores? *Aff.*

Adeo-

Adeoqué vel parentes poſſint eligere ſponſum turpem filiæ, ſponſam turpem filio? *Neg.*

Aut contrahens eam, quæ non valet honeſtè eſſe uxor? *Neg.*

Annon in dubio præſumatur quælibet digna moribus? *Aff.*

An in ſpecie ducenda ea, quæ ſe nimis ornat, polit, fuco oblinit, comtula, inquam, criſpatula, politula, elegantula? *Neg.*

An ea, quæ benè ſemper olet? *Neg.*

Aut, quæ corpore turpiter meretur, infamis, propudioſa, criminoſa, adulterii damnata, ejecta, dimiſſa, ſcenica? *Neg.*

Proficiatvé in peccatorum remiſſionem, ſi quis cõtrahat matrimonialiter cum meretrice? *Neg.*

Præſertim ſi pio propoſito id faciat, hoc eſt, animo convertendi? *Neg.*

Annon ſaltem vir nobilis honeſtè poſſit ducere ſcortum, aut ignobilis ejectam à nobili? *Neg.*

Denique, an univerſè virgo potiùs ſit ducenda, quàm vidua, vidua iterum, quàm dimiſſa, quamvis legitimè? *Aff.*

Et, an improbanda viduitas? *Neg.*

Annon interim, redhoſtimenti loco, atque in cõpenſationem virginitatis illibatæ, majorẽ illa dotẽ debeat ſoluto? *Aff.*

Reſpectu Cõditionis OEconomicæ perſonæ connubio copulãdæ, ratione ſubſtantiæ, ſeu opum,

opum, vel divites sunt, vel pauperes, ratione qualitatis correspectivæ, vel liberæ, vel servæ. Universè iterum, cæteris paribus, illæ præferendæ his, non hæ illis.

An in matrimonio contrahendo, & uxore eligendâ, divitiarum sit habenda ratio? *Aff.*

Annon interim virum ditem quandoque abnuere possit pauperior puella, & contrà, vir pauper puellam, quantumvis divitem? *Aff.*

Quid, si uterque quidem dives, sed alter tamen ditior, quis cui præferendus, divesné ditiori, an ditior diviti? *Dist.*

An nominatim dotis hîc sit habenda ratio? *Aff.*

Et, an ea debeatur absolutè, an verò respectivè, hoc est, pro sustinendis meliùs matrimonii oneribns? *Aff: Post.*

An ergò matrimonia quoque coire possint absque dote? *Aff.*

Aut, an mariti ante legem Mosaicam dotem acceperint, ac non potiùs dederint? *Disq: Prius: Aff: Post.*

Annon conducat extare in Republicâ leges de dote? *Aff.*

An illæ salutares, quæ indotatas jubent in thalamum venire puellas? *Neg.*

Magnitudoné dotis potiùs sit spectanda, quàm æqualitas? *Neg: Prius: Aff: Post.*

Adeoqué dos debeat esse mercedula matrimo-

trimonii,& autoramentū ſervitutis ? *Neg.*

Annon quandoq; æqualiter poſſint videri dotatæ filiæ „etſi ſint dotatæ inæqualiter ? *Aff.*

Aut, an mulier, nubendo ignobiliori, indigeat æquè magnâ dote, ac ſi nupſiſſet nobiliori ? *Neg.*

An non tantùm pecuniæ,ſed etiam res, poſſint dari in dotem ? *Aff.*

Si pecuniæ, an igitur res,à marito pecuniâ dotali emtæ, ſint dotales ? *Diſt.*

Si res, ſingulæné, an univerſæ? *Aff. Utr.*

Sinat mulier, nullâ mentione factâ dotis, maritum omnibus ſuis bonis frui, an intelligetur ideò omnia ſua bona dediſſe doti ? *Neg.*

Omnia ſua bona dederit doti,videbiturné etiam dediſſe futura ? *Neg.*

Nomen eadem dederit in dotem, annō uſuras rectè exindè percipiet maritus? *Aff.*

Itemné,ſi reditum merè perſonalem in dotem promiſerit, ſeu reditum ad vitam? *Aff.*

Quis dominus rerum dotalium, marituſné, an uxor ? *Diſt.*

Annon ſaltem maritus ſit dominus earum civiliter, id eſt, fictione juris, ſi minùs naturaliter ? *Aff.*

Et ſi,an ergò prædium dotale poſſit oppignorare alienarevé, invitâ & non conſentien-

consentiente conjuge? *Neg.*

An ea, majoris cautionis ergò, ab ipso possit exigere fidejussorem dotis nomine, vel nolente? *Neg.*

Annon interim obligetur, si volens dederit? *Aff.*

Adeoqué, an conjux constante matrimonio repetere possit dotem, si maritus suâ culpâ vergat ad inopiam? *Aff.*

Etiamné, si sciens obærato vel prodigo nupserit? *Neg.*

Dimidiam bonorum suorum partem doti dixerit uxor, annon penes eam, eligere, utrùm rem, an precium, præstare malit? *Aff.*

Quòd si in fundo dotali lapicidinas marmoreas aperuerit maritus, quæritur, an impẽsam teneatur præstare uxor? *Neg.*

Sit dos intra annum & diem promissa à tempore cõtracti matrimonii, & mulier intra tempus illud moriatur, quæritur, an dotem petere possit maritus? *Neg.*

Annon interim eâ incolumi, aut superstite, impunè differre exactionem dotis in diem? *Aff.*

Aut stipulari dotem etiam in id tempus, quo matrimonium non sit futurum? *Neg.*

Quid, si sponsa uxorvé non solverit promissam dotem, ad condictum tempus, & condicto modo, vitiabunturné propterea sponsalia & matrimonium, ob defectum

fectum non ſolutæ dotis? *Neg.*

Annon ſaltem, ſi ſponſalia ſint facta ſub eâ conditione? *Aff.*

Et, an in tali contractu ſponſalitio locum habeat uſucapio pro dote? *Neg.*

Aut, annon uxor ob dotem non ſolutam juſtè videatur poſſe expelli? *Neg.*

Vel huic ſaltem negari alimenta? *Neg.*

Atque adeò, annon, ſi in tradendâ dote moram fecerit, teneatur præſtare fructum ex morâ, ad minimum ex die litis conteſtatæ? *Aff.*

Etiamné uſuras? *Neg.*

An ergò fructus rerum dotalium pertineant ad maritum? *Aff.*

Et hoc præmortuo ad heredes? *Neg.*

Atque adeò, annon, ſi maritus priùs deceſſerit, uxori debeat remanere ſalva dos? *Aff.*

Quòd ſi hæc prior deceſſerit, idqué ſine prole, an dos hæc recidere debeat ad cognatos ejus, vel etiam affines, an verò remanere apud maritum? *Diſt.*

An bona quoque conjugis prædefuncti abſque liberis pertineant ad ſuperſtitem? *Neg.*

Aut maritus lucretur dotem ob adulterium ſuperſtitis? *Aff.*

Itemné, ſi & ipſe admiſerit adulterium? *Neg.*

Quando dos ſic, ut dictum, eſt data, dan-

dandané neceſſariò antidos, hoc eſt, annon doti datæ ſemper, atque ex neceſſitate, reſpondere debeat donatio propter nuptias? *Neg.*

Saltem aliquandò, & pro voluntate donantis? *Aff.*

Etiamné facultate? *Aff.*

Atque adeò, an dos & antidos debeant eſſe æquales quantitate? *Neg.*

Aut, quemadmodum maritus percipit fructus dotis pro oneribus matrimonii, item uxor fructus antidotis? *Neg.*

Mutuæqué & reciprocæ donationes valeant? *Aff.*

Etiam ſimplices? *Diſq.*

Et an rectè has prohibuerit Jus Civile? *Diſq.*

Quid de eâ donatione, quæ facta ab injuſtâ uxore, valetné? *Neg.*

Aut, quæ à concubino concubinæ? *Neg.*

Stuprové cognitæ? *Neg.*

Perquiro ulteriùs, annon pater, vel filiusfamiliâs poſſit ducere ancillam, liber ſervam, & contrà, famulus matrem vel filiamfamiliâs, ſervus liberam? *Aff.*

An mulieres ingenuæ, copulatæ ſervis, propterea fiant ſervæ? *Neg.*

Ideoqué valeat matrimonium liberi hominis cum viliſsimâ? *Aff.*

Et, an rectè punita quondam ſervitute

fuerit

fuerit mulier ingenua, quæ contra edictum nupſit ſervo? *Neg.*

Ideoqué bis rectè ſenatusconſultum hoc à Juſtiniano fuerit ſublatum? *Aff.*

Sicut & alterum, quo prohibebatur ſervus contrahere cum ſervâ? *Aff.*

Aut dignior ducere humilem, etiamſi vitæ conditionem humilis deſeruiſſet? *Aff.*

Proptereaqué non non laudandum Jus Canonicum, quod Juris Civilis duritiem hîc emendavit? *Aff:*

Reſpectu Conditionis Politicæ perſonæ cõnubio copulandæ, ratione ortus & nativitatis, vel ſunt natæ toro legitimo, vel illegitimo: illæ iterũ vel ingenuæ, ſive nobiles illæ ſint, ſive plebeiæ, vel non ingenuæ, liberæ, inquam, & libertinæ, ratione ſtatus, vel publicæ, vel privatæ. Universè iterum, cæteris tamen paribus, illæ præferendæ his, non hæ illis.

Annon inæqualitas contrahentium Politicè impediat matrimonium? *Diſt.*

Si minùs modica, ſaltem magna, & uſque ad dimidium, vel ſupra dimidium? *Aff.*

Quæ Proportio hîc habeat locum, Arithmeticané, an Geometrica, an verò Muſica ſeu Harmonica? *Aff. Poſtr.*

An matrimonium impar atque improportionatum, cùm pars in uno vincitur

tur, in altero vincit? *Neg.*

Adeoqué ſanguinis imparitas ſit attendenda, cùm paritas eſt ex aliis virtutibus? *Neg.*

Ideoqué pauper nobilis diviti ignobili, juvenis formoſus ignobilis nobili vetulæ, vel etiam deformi, ritè jungatur? *Aff.*

Et ſic nobilitas ac pulchritudo unius rectè cum divitiis nobilitatevé alterius penſetur? *Aff.*

Annon interim, propter majorem nobilitatem, aliamvé potentiam, ſubindè recuſari poſſit conjux nobilior potentiorvé? *Aff.*

Universè, annon in matrimonio contrahendo, & uxore eligendâ, generis ac familæ, ſaltem ordinariè, ſit habenda ratio? *Aff.*

Ideoqué rectè Jus Civile vetet nuptias patriciorum & plebejorum, ingenuorum & libertinorum, patronæ item & liberti, publicæ dignitatis reſpectu? *Aff.*

An propterea mulier ignobilis nubens nobili, plebeja patricio, liberis ex eo matrimonio prognatis, nonnulla privilegia nobilitatis ac patriciatus facto iſto adimat? *Neg.*

Annon interim uxor ſenatoris, contrahens matrimonium cum plebejo, amittat dignitatem? *Aff.*

No-

Nobilitatemvé mulier nobilis nubens ignobili? *Aff.*

Etiamné, ſi nubat minùs nobili? *Diſt.*

Si minùs in totum, ſaltem in tantum? *Aff.*

Atque adeò, ut maximè ſenator ducat libertinam, nobilis ignobilem, an præpterea filia ſenatoris poſſit nubere libertino, aut filia nobilis ignobili? *Neg.*

Venio ad naturales & ſpurios, licetné etiam cum his contrahere matrimonium? atque inire pacta conjugii? *Diſt.*

An infames, quà tales? *Aff.*

Et ſi, infamiâné juris, an facti? *Neg: Prius. Aff: Poſt.*

An infamia hæc facti tantùm definiatur lege, ac non potiùs moribus atque opinione hominum? *Aff: Poſt.*

Conſequenterqué labes illa eis aſpergatur, non tantùm à diſpoſitione legis civilis, verùm ab ipſo jure naturali? *Aff.*

Ideoqué non alienas, ſed proprias maculas gerant, licet parentum vitio impreſſas? *Aff.*

Atque ita, ſicut nobilitatis honor, ita infamiæ macula, annaſcatur poſteris? *Aff.*

Et convenienter ſpuriis? *Aff.*

An

An ergò natales cuiquam debeant vel possint esse fraudi? *Dist.*

Puniriqué adeò quis possit sine culpâ, ex causâ tamen, præsertimpublicâ? *Aff.*

Respectu Conditionis Theologicæ seu Ecclesiasticæ personæ connubio copulandæ, vel Christianæ sunt, & hæ Professionis, vel Orthodoxæ, vel Heterodoxæ, vel Paganæ seu Gentiles. Universè iterum, etiam imparibus cæteris, illæ præferendæ his, non hæ illis.

An contrahi debeant nuptiæ inter homines ejusdem religionis, aut sectæ? *Aff.*

Annon subindè contrahi possint etiam cum diversæ religionis hominibus, v.g,à Christiano cum Iudæâ, Mahumetanâ seu Saracenicâ, Paganâ, adeoqué à fideli cum infideli? *Neg.*

An pro infideli habenda, quæ spondet transitum ad veram religionem, aut mutationem in melius? *Neg.*

An pari heic periculo se exponant,qui nurus,ac qui generos infideles quærunt? *Neg.*

Annon interim sic contractum matrimonium teneat? *Disq.*

Saltem,si ad religionem convertatur infidelis? *Aff.*

Aut matrimonium sit subnixum liberis? *Disq.*

Adeo-

Adeoqué, an liberi, ex tali matrimonio ſuſcepti, ſint legitimi? *Diſq.*

Capitalivé pœnâ afficiundi, qui ita contraxerunt? *Neg.*

An lex, quâ Iſraëlitis interdicitur connubio cum extraneis, teneat quoque Chriſtianos? *Diſq.*

Interdictumvé illud de conjugio alienigenarum pertinuerit ad omnes exteras atque extrarias gentes? *Diſq.*

Annon ſaltem rata ſint fidelis cum infideli ſponſalia? *Diſq.*

Minimùm tunc, ſi poſt ſpõſalia ejuſmodi imparitas inciderit? *Neg.*

Quid de diverſæ ſectæ hominibus, licitené cũ his quis cõtrahit matrimoniũ? *Diſq.*

Nominatim Iudæus cũ Samaritanâ? *Diſq.*

Orthodoxus cum Papanâ? *Neg.*

An ergò loco eodẽ habendus ſit Papiſta hâc parte, quo Ethnicus, aut Turca? *Neg.*

Atque adeò, uter minùs peccet, Turca, ſubterfugiens Eccleſiæ cognitionem, an Papiſta, declinans eandem? *Aff. Prius.*

Annon hæreticus cum hæreticâ? *Diſq.*

Saltem teneat matrimonium hæretici, contractum cum hæreticâ? *Aff.*

Atque ita idololatra quoque poſſit eſſe bonus maritus? *Aff.*

Quid de excommunicato excommunicatavé, licetné matrimonialiter contrahere, vel cum illo, vel cum iſtâ? *Diſq.*

Annon

Annō interim præſtet nō cōtrahere? *Aff.* *Scilicet, quod etiam ſubjiciūt verſiculi, qui in ore ſunt omni populo litterato, & moribus noſtris confirmantur atque obtinent:*

Invitus, conſanguineus, ne fœdera jungant,
Paganus, meretrix, infames, & furibundi,
Leproſus, conjunx, deſertor, ſpado, & ineptus.

CAPUT. IV.

Forma Conjugii, conſiſtens in Vnione Conjugativâ, quam ſic vocant. Vnitatis ejus Reſolutio & Diſſolutio per Repudium ac Divortium. Diſcrimen utriusque, & definitio: itemquè Cauſæ, tam Externæ, putà Efficiens & Finis, quàm Internæ, putà Materia & Forma. Efficiens diſtincta in Remotam & Propinquam, hæc in Poſitivam & Negativam. Finis tributus in Vniverſalem & Particularem. Materia inde ac Forma expoſitæ, cum utriuſque Notatione Grammaticâ, appoſitè ad præſens inſtitutum. Dubia, ſive Quæſtiones Controſæ, incidenter & pro re natâ.

Forma

Forma Societatis Conjugalis consistit in obligatione, ex consensu legitimo prodeunte, inter Virum & Mulierem, sive Maritum & Uxorem: vel, quod eodem recidit, in legitimâ conjunctione, quâ duo fiunt caro una σωματικῶς, quam Unitatem Conjugativam appellat Bernhardus.

An consensus sit causa formalis conjugii? *Neg.*

Et, si non, annon saltem obligatio, consequens atque excipiens illum consensum? *Aff.*

Unitas hæc sive Unio, fit per συνδύασιν quandam animi & corporis utriusque conjugis, comitemque habet Individuam Vitæ Consuetudinem: Quam solvunt ac dissolvunt Repudium & Divortium, illud in fieri, & esse, hoc in esse tantùm. Sicut enim duobus gradibus solenne ac legitimum matrimonium perficitur, Sponsalibus videlicet & Nuptiis, ita totidem gradibus dirimitur, Repudio videlicet, quo Sponsalia, vel Nuptiæ, & Divortio, quo Nuptiæ tantùm dissolvuntur.

An maritus & uxor sint una caro σωματικῶς? *Aff.*

Etiamné φυσικῶς, ἠθικῶς, καὶ πνευματικῶς? *Aff.*

Et si, verené, an fictè? *Aff. Prius.*

An quoque una caro τῷ ἀριθμῷ, numero seu individuo? *Neg.*

Atque adeò, an consuetudo maritalis sit de essentiâ matrimonii, an verò de existentiâ? *Aff: Post.*

Si de existentiâ, an ergò sit necesse conjuges cohabitare? *Dist.*

Si minùs domesticè, saltem matrimonialiter? *Aff.*

Annon interim subindè possint habitare seorsim? *Aff.*

Aut, an is, qui fidem dedit, se habiturum aliquam perpetuò secum, propterea videatur contraxisse matrimonium? *Neg.*

An res indivisibilis, minimùm indivisa? *Neg: Prius: Aff: Post.*

Ideoqué dissolubile in hâc vitâ? *Aff.*

Cumqué, vel dividitur, vel dissolvitur, dividatur ac dissolvatur, loquendo καλὰ τὸ ἀφὲς, atque in rigore? *Neg.*

Utrum nomen sit latius, repudiiné, an divortii? *Aff: Prius.*

An ergò differant repudium & divortium, divortium & repudium? *Aff.*

Repudium est, & sponsaliorum, & conjugii, sponsalitii, inquam, ac conjugalis vinculi legitima dissolutio.

Fitqué aut Bonâ cum Gratiâ Partium, aut Malâ.

Bonâ, quando à sponsalibus mutuo contrahentium consensu receditur.

Malâ, quando vel à sponsalibus, vel à nuptiis, receditur altero invito.

An

An conjugium ſit diſſolubile in hâc vitâ, adeoqué ſponſam uxoremvé ſaltem aliquandò liceat repudiare? *Aff.*

An ergò repudium rectè dicatur in ſponsâ? *Aff.*

Etiamné in eâ, cum quâ matrimonium contractum eſt, etſi non conſummatũ? *Aff.*

Atque adeò, an liceat renunciare ſponſalibus, vel juratis? *Diſt.*.

Annon juramentum heîc actum revocabilem reddat irrevocabilem, aut de ſolubili inſolubilem? *Neg.*

Saltem difficiliùs ſolubilem? *Aff.*

Universè, an ſponſalia ſolvantur per alia ſponſalia ejuſdem generis? *Neg.*

Ideoqué rectè Jure Civili infamiâ notetur, qui cõtrahit alia ſponſalia, ſi prioribus ſponſalibus priùs renunciatum non ſit? *Aff.*

Contraxerit quis bina ſponſalia de præſenti, utra præferenda, priorané, an poſteriora? *Aff: Prius.*

Itemné, ſi ad poſteriora coitus acceſſerit? *Aff.*

Sint contracta ſponſalia ſub conditione, licebitné ante conditionem exiſtentem mittere repudium, etiamſi non ſit juſta cauſa mittendi repudii? *Neg.*

Fuerint priora ſponſalia clandeſtina, poſteriora publica, illiſné an his ſtandum? *Aff. Poſt.*

Annon, ſi ad priora, quæ clam contracta ſunt, acceſſerit corporum cõjunctio? *Neg.*

In ſpecie, an ſolvantur ſponſalia per matrimonium ſequens, cum alio contractum, ſed non conſummatum? *Aff.*

Non obſtantibus oſculis, amplexibus, muneribus ſponſi prioris? *Aff.*

Eccleſiævé interdicto de ſequenti matrimonio non contrahendo? *Aff.*

Itemné matrimonium prius, necdum conſummatum, ſequenti, eoqué conſummato? *Neg.*

An ergò hîc prius matrimonium anteſtet poſteriori? *Aff.*

Etiamné, ſi quæ contraxit ſcienter cum impotente, & mox contrahat cum potente? *Neg.*

Annon interim pars deſerta ſit alenda? *Aff.*

Aut, ſi matrimonium prius ſit contractum ſub conditione, matrimonium verò ſequens contractum purè? *Neg.*

Saltem, ſi matrimonium illud prius ſit contractum ſub conditione honeſtâ, eâqué pendente ſecundum contractum purè? *Neg.*

Annon quoque etiam ſponſalia, quæ tranſierunt in matrimonium per concubitum, ſequenti anteſtēt matrimonio? *Aff.*

Itemné, ſi concubitus non præceſſerit ſequens matrimonium? *Neg.*

Qui

Qui contraxit, ſit pubes, ſive major, expectarené alterius pubertatem tenebitur, neq; antè poterit recedere à ſponſalibus? *Aff.*

Alter contrahentium pubeſcat citiùs, ecquid, tenebiturné expectare pubertatem alterius? *Aff.*

Annon interim à ſponſalibus recedere poſſit alter, factus mox major? *Aff.*

Pubes contrahat cum impubere, major cum minori, vel juratus, neque expectet legitimam ætatem alterius, verùm mutatâ voluntate interim contrahat cum aliâ, tenebitné matrimonium? *Aff.*

Etiamné, ſi impubes ſive minor, poſtea pubes factus ſive major, expreſsè ratificaverit priorem contractum? *Aff.*

Aut ſtipulatio pœnalis interceſſerit? *Aff.*

Uterq; contrahentium ſit impubes, ecquid, reſilirené poſſunt à ſponſalibus ante pubertatem, etiam tunc, quando concubitus eſt ſecutus? *Neg.*

Universè, an, ſicut conſenſu mutuo contrahuntur ſponſalia, ita contrario diſſenſu diſſolvantur? *Aff.*

Ideoqué mutuo conſenſu & pœnitentiâ recedi poſſit à ſponſalibus? *Aff.*

Miſſo repudio ex causâ probatâ, id eſt, juſtâ? *Aff.*

An ea ſemper debeat recitari? *Aff.*

Quòd ſi juſta cauſa nulla ſit, annon

tum pars diſſolvens ſponſalia jure perdat arrhas datas, vel acceptas? *Aff.*

Annon præter arrhæ diſpendium liceat inſuper ſtipulari pœnam? *Aff.*

Divortium eſt diſſolutio conjugii tantùm, & quidem non ſolùm quoad torum & menſam, ſed etiam quoad vinculum ipſum. Vel pleniùs: Divortium eſt legitima ſeparatio mariti & uxoris, cum ſufficiente cauſæ cognitione, apud competentem judicem facta, animo non redintegrandi conſortii.

An, ut repudium, ita divortium, rectè dicatur in ſponsâ? *Neg.*

Saltem pinguiori Minervâ? *Aff.*

An admitti & permitti debeat unquam? *Aff.*

Annon iterum ſit tutius, id improbare, eò quòd difficiliùs diſtrahatur matrimonium, quàm contrahatur? *Aff.*

An adverſetur rationi? *Neg.*

Iurivé Divino & Humano? *Neg.*

Saltem Canonico? *Aff.*

Atque adeò, an Jus Moſaicum ſeu V T, Jus Chriſtianum ſeu N T, Jus Civile ſeu Juſtinianéum, & Jus Canonicum ſeu Pontificium, heic conſpirent? *Neg.*

Saltem reliqua, præter Canonicum-Acanonicum? *Aff.*

An Euangeliũ reſpuat omne divortium? *Neg.*

Et

Et convenienter typus Christi atque Ecclesiæ, tanquam sponsi & sponsæ? *Neg.*

An ratio petita à baptismi sacramento? *Neg.*

Vel metu calumniæ? *Neg.*

Aut ab occasione ex licentiâ novarum nuptiarum? *Neg.*

Scandalizationevé partis repudiatæ? *Neg.*

Prolisvé respectu? *Neg.*

Silentiové benè constitutarum Rerumpublicarum? *Neg.*

Omniumné id rerum afferat separationem, omnisqué vinculi, adeoqué abscissionem & abscessionem perpetuam conjugalem, oppositam perpetuæ consensioni ac consuetudini vitæ individuæ? *Aff.*

Ideoqué solvat matrimonium, id est, vinculum ipsum, non aliquid tantùm matrimonii, id est, lectulum, diætam, habitationem? *Aff.*

Annon interim plures ad tori mensæ & domicilii separationem sint causæ, quàm ad vinculi? *Aff.*

Plures item ad lectuli separationē, quàm ad habitationis? *Aff.*

Denique, annon possit esse divortium, saltem aliquod, ut nihilominus duret matrimonium? *Dist.*

Causa, tam Repudii, quàm Divortii, universè vel Externa est, vel Interna.

Externa iterum, vel Efficiens, vel Finis.

Causa Efficiens Repudii & Divortii vel Remota est, vel Propinqua.

Remota est Judex Competens, id est, Magistratus Christianus.

An absque legitimâ cognitione sit justum, sive repudium, sive divortium? *Neg.*

Adeoqué privatâ autoritate liceat mittere litteras repudii, facerequé divortium, magistratu inconsulto, vel etiam invito? *Neg.*

Ideoqué, si uxor sit expulsa ante publicam causæ cognitionem, debeat restitui? *Aff.*

Etiamné, si notorium sit, eam commisisse adulterium? *Aff.*

Annon cognitio causarum matrimonialium sit Mixti Fori, id est, Ecclesiastici & Civilis? *Neg.*

Saltem tunc, ubi Magistratus non est Christianus, divortium ad finem dissolutionis matrimonii fieri nequeat absque Ecclesiæ judicio? *Disq.*

An etiam illud divortium, quod fit ad tempus, putà ob valetudinem, de consensu utriusque conjugis, desideret magistratus cognitionem? *Neg.*

Sed quid, si magistratus & leges loci etiam in justum repudium vel divortiũ nolint cõsentire, aut facto repudio divortio-

vé

vé aliarum nuptiarum copiam facere, annon licebit abire in ea loca, ubi id liceat? *Aff.*

Universè, annon tam repudium quàm divortium fieri debeat ſecundum leges, præſertim Juris Divini? *Aff.*

Et, an aliqua heic ſit hominum, immò angelorũ, autoritas, ad novas leges plenis ac veris repudiis ac divortiis ferẽdas? *Neg.*

Atque adeò, an poſſit Magiſtratus Politicus, & vel ipſe Pontifex Summus, matrimoniũ perfectum jam conſummatumqué, quodqué ſecuta eſt copula carnalis, abſque legitimâ causâ diſſolvere? *Neg.*

Eccleſiaq;,aut quiſquam hominum,veteres divortii cauſas rurſus admittere? *Neg.*

Ideoqué malè quidam ex ordine veterum Epiſcoporũ mulierculis facultatem dederint ſeſe ſeparandi à viris abſq; ſonticâ causâ,poteſtatemqué renubendi? *Aff.*

An requiratur hîc ſemper cauſa expreſſa? *Aff.*

Annõ divortiũ quoq; fieri poſſit ex causâ nõ expreſsâ,præſertim à Principe? *Neg.*

Propinqua Cauſa Repudii vel Poſitiva eſt, vel Negativa.

Poſitivæ Cauſæ Repudii ſunt Juſtæ & Probabiles,ceu ſunt:Odiũ Capitale,Inſidiæ Capitales, Morũ Mutatio in deterius, Delictum,Capitis Diminutio Maxima,Ebrietas Profunda,Deformitas Superveniẽs,nec

ea quævis, verùm Enormis, Morbus Sonticus, Furor Perpetuus, Coëundi Impotentia, eaquè tam Naturalis quàm Accidentalis, Stuprum, Mœchia, Absentia Dolosa, Desertio Malitiosa, Religionis Sectævè Diversitas, Apostasia, denique Error, Vis, & Metus. Dico Positivas, quia illis positis ponitur repudium.

An liceat quâvis de causâ libellum repudii mittere? *Neg.*

An ergò desideretur justa, saltem probabilis? *Aff.*

An nominatim sponsalia dissolvantur dissensu, vel unius, vel utriusque partis, si fortè se invicem odisse cœperint, si, v g, sponsus à sponsâ, sponsa à sponso, abhorreat nimis, vel alia affectio effrenatiùs sponsum sponsamvé invaserit, cui locum non dare sit periculosissimum? *Aff.*

Itemné, si concubitus sit secutus? *Neg.*

An detur repudium, si conjux, conscius conjurationis, eam non manifestaverit, aut vitæ conjugis continuè insidiatus fuerit, vel consenserit insidiantibus vitæ conjugis, aut non steterit contra insidiantes? *Aff.*

Ideoquè rectè conjugum interfectoribus omnis spes conjugii negetur à Canonistis? *Aff.*

An actio repudii institui possit in sponsam ob mores mutatos, putà, si sponso ignoran-

gnorante, vel nolente, convivia extraneorum appetierit, si turpibus ludis aut spectaculis interfuerit, si foris pernoctaverit, si cum impudicis fuerit, vel etiam cum honestis, verùm per loca occulta? *Aff.*

An detur eadem actio in sponsum, si & ipse cũ impudicis mulieribus cœtum inierit, sive domi, sive foris, siue in eâdem civitate, sive in aliâ, si sponsæ castitati insidiatus fuerit, vel eâ abuti tentaverit, id est, eam alteri subjicere? *Aff.*

An, si minùs divortii, saltem repudii, causa sit delictum, v g, furtum, latrocinium, veneficium? *Aff.*

An ergò à sponso fure, latrone, vel furum ac latronum susceptore seu receptatore, venefico, discedere possit sponsa? *Aff.*

Et in genere propter delictum, ex quo quis relegatur? *Aff.*

Itemné ab excommunicato? *Aff.*

An sponsalia dissolvantur, non tantùm morte naturali, sed etiam civili? *Aff.*

An, si sponsalia inter pocula contracta sint, & tanta fuerit ebrietas, ut usum rationis affligeret, ebrietas hæc profunda sit justa causa repudii? *Aff.*

Itemné, si sponsus, cùm edormiviſſet crapulam, fidem datam repetierit? *Neg.*

Aut, si ad fidem, de futuro matrimonio interpositam, corporum conjuctio

acceſſerit? *Neg.*

An propter incidentem enormem deformitatem diſcedi poſſit à ſponſalibus? *Aff.*

Ideoqué repudiari notabiliter deformis? *Aff.*

An hæc cauſa quoque teneat in matrimonio perfecto, ſed nondum conſummato? *Aff.*

Annon dirimantur ſponſalia matrimoniumvé,(perſuade inconſummatum,) per infirmitatem ſupervenientē, eamqué gravem? *Aff.*

Putà ob morbos, ſive tranſitivos, ſive intranſitivos, verùm abominabiles incurabileſvé? *Aff.*

Et ſi, flagitantibuſné liberationem partibus, an conniventibus? *Aff:Utr.*

Recuſantibuſvé? *Diſt.*

Etiamné, ſi morbus fuerit ante contractum? *Diſt*

Atque adeò,annon in tali caſu non non retinenda ſit ſponſa uxor, quantumvis ægrotans incurabilirer? *Diſt.*

Nominatim,atque in ſpecie,annon ſponſalia matrimoniumvé incōſummatum reſcindi poſſint,ſi poſt contractum demum ſupervenerit lepra, elephantiaſis, paralyſis? *Aff.*

Morbuſvé Gallicus? *Aff.*

Et ſi, an propter timorem contagionis,

an verò

an verò propter fornicationē, unde contractus ille morbus est? *Aff:Utr.*

An ergò inficere contagio possit? *Aff.*

An furor quoque sit sponsalibus impedimento? *Dist.*

Saltem infirmet sponsalia postea interveniens? *Aff.*

Itemné, si cum furente sponso vel sponsâ coitum sit? *Neg.*

An idem impedimēto matrimonio? *Dist.*

Et si, contrahendoné, an contracto? *Aff: Prius:Dist:Post.*

Etiamné tunc, si cum furente concubuerit conjux sanæ mentis? *Neg.*

An ergò retinenda talis uxor furiosa? *Aff.*

Eiqué cohabitandum matrimonialiter? *Aff*

Ut non in eodem cubili, ita in eâdem domo? *Dist.*

Indissolubili interim manente vinculo? *Aff.*

An sponsalia possint contrahi, quæ non possunt esse sponsalia, matrimonium, quod non potest esse matrimonium? *Neg.*

Matrimoniumqué etiam illic esse possit, ubi non potest esse copula? *Neg.*

Ideoqué eunuchorum & castratorum conjugium non sit conjugium? *Aff.*

Neque tam solvatur, quàm nullum declaretur? *Aff.*

Utut non videantur posse velle tantùm, sed

ſed etiam agere, & ſi, cum affectuné magis, quàm effectu? *Aff: Prius.*

An igitur impotentia, tam naturalis, quàm accidentalis perpetua, quæ ante matrimonium contigit, ſit cauſa repudii? *Aff.*

Et conſequenter eunuchiſmus, exſectio, putà, ſi ſponſus è viro gallus Cybeles ſit factus, genitalium, ut non deprivatio, ita depravatio, ſeu læſio inſignis, reddens homines inutiles ad matrimonium, muliebrium coarctatio, denique frigiditas, eaqué perpetua? *Aff.*

Itemné, ſi poſt nuptiarum benedictionem, & torum communem, hæc accidant & accedant, ſtante matrimonio? *Neg.*

Atque adeò, qui uxore ob frigiditatem uti nõ poteſt pro uxore, an is eam habere poſſit pro ſorore, matrimonii nomine manente? *Neg.*

Exemplo Davidis, qui in matrimonium videtur duxiſſe Abiſagam, quantumvis impotens, verené? *Neg.*

Aut an, qui frigidus cum unâ eſt, propterea rectè frigidus eſſe præſumatur cum omnibus? *Neg.*

Et, qui uno aut aliquo tempore talis, etiam alio? *Neg.*

Univerſé, annon eunuchorum, caſtratorum, frigidorum conjugium ſit conjugium, ſaltem hactenus, ſi mulier noverit

illa

illa impedimenta, & nihilominùs contraxerit? *Aff.*

Et, an in tali casu rectè concedatur personæ, quæ naturæ vires adhuc habet integras, ut vivente altero impotenti possit contrahere cum aliâ? *Neg.*

Aut, annon rectè, si vir sciat se frigore laborare, & nihilominus uxorem ducat, talis impostor adigatur ad sumtus atque alimentationem ejus, quam decepit? *Aff.*

An stuprum quoque sit causa justa repudii? *Aff.*

Repudiariqué consequenter possit sponsa, quæ est passa vim, vel præcisam? *Aff.*

Adeoqué dissolvantur sponsalia ob fornicationem sponsæ? *Aff.*

Et si, an ipso delicto, an verò, si ex causâ delicti sponsus sponsæ mittat repudium? *Aff: Post.*

Annon interim sponsalia, etiam conditionata, transeant in matrimonium per concubitum sequentem? *Aff.*

Itemné antecedentem? *Neg,*

Atque adeò, an de sponsalibus omninò nullis fiat matrimonium per concubitum sequentem? *Neg.*

Et, si quis mulierem deduxerit domum, dequé eâ liberos susceperit, pòst verò eam sponsaverit per verba de futuro, prior concubitus heic operetur? *Neg.*

An talis virginali habitu prodire debeat

beat ad accipiendam benedictionem, quæ virginitatem ante tempus marito prodidit? *Neg.*

Aut, annon culpam coram Ecclesiâ præfante ministro nolens volens teneatur agnoscere? *Aff.*

An mœchia quoque etiam sit causa justa repudii? *Aff.*

Ideoqué, si citra repudium sponsa alii nupserit, lege Juliâ de adulterio possit accusari? *Aff.*

Sponsa item renunciare sponsalibus, seu discedere à sponsalibus, si sponsus habeat concubinam? *Aff.*

Atque adeò, annon sponsus de præsenti, secundam sibi desponsatam de facto cognoscens, committat adulterium? *Aff.*

Matrimoniumqué solvatur, si eam ducat, quam priùs polluit per adulterium? *Aff.*

Quòd si utrinque incidat adulterium, audiendusné sit, qui repudium petit? *Neg.*

Annon saltem, si alterutrâ ex parte? *Aff.*

Et, an mœchia, si pars innocens, dimissâ parte nocente, ducat, vel nubat? *Neg.*

An ex hâc quoque causâ repudium permiserit Moses? *Aff.*

An hoc Mosis repudium improbârit Christus? *Neg.*

Quid de absentiâ dolosâ, an & ea solvit spon-

ſponſalia matrimoniumvé? *Aff.*

Præſertim, ſi à principio ſit conventum in ſponſalibus de tempore nuptiarum? *Aff.*

Aut, an ſponſa vel ingratiis teneatur expectare ſponſum abſentem, etiam ultra tempus condictum in ſponſalibus? *Neg.*

Annon, ſi certum tempus non ſit appoſitum? *Aff.*

An in infinitum? *Neg.*

Aut per æquè multum tempus in provinciâ degentem, ac extra? *Neg.*

Quid de deſertione malitiosâ, an & ea ſolvit ſponſalia matrimoniumvé, præſertim ſi à principio convenerit in ſponſalibus inter contrahentes de tempore nuptiarum? *Aff.*

An deſertor, cui non placet individua vitæ conſuetudo, ſeu cohabitatio, quiqué adeò, ſi roget alter, tempus conſtitui, negat rogatus, dicitqué, ſe neque certo ullo conſtituendo, neque ullo unquam tempore, contracturum? *Aff.*

An deſertor, qui abeſt malo animo, ſponsâ incognitâ & inſalutatâ, ſi monitus ſit, aut, quoad ejus fieri potuit, de admonendo tentatum ſit, neque tamen comparet poſt trinam denunciationem? *Aff.*

An deſertor, qui ignotus, ubi ſit, & quæſitus diligenter, per annum, aut longius expectatus tempus eſt? *Aff.*

Spon-

Sponſus, inquam, peregrinans, aut peregrinaturiens potiùs? *Aff.*

An dies tollat obligationem ſemel natam, etiam conditionalem, adeoqué, qui ad certam diem ducere promittit, poſt illam abſolvatur? *Neg.*

Deſertioqué quævis faciat parti deſertæ jus alterarum nuptiarum? *Neg.*

Annon ſaltem deſertio, quæ religionis odio fit, in matrimonio impari? *Aff.*

Atque adeò, annon religionis ſectævé diverſitas, aut infidelitas ſuperveniens, diſſolvat ſponſalia & matrimonium, ideoqué fidelis poſſit ab infideli diſcedere, & ſacramentum conjugii abrumpere? *Aff.*

Etiamné, ſi infidelis ei velit cohabitare matrimonialiter? *Neg.*

Aut ob infidelitatem ſolam? *Neg.*

Annon, ſi aut vitæ periculum ſit adeundum, aut contra veram religionem quid faciendum perpetiendumvé, ut, ſi fidelem trahere velit ad peccandum infidelis, aut nolit ſine blaſphemiis ei cohabitare, cogere eum ad abominanda ſacrificia, atque alia impia patranda? *Aff.*

Vel, ſi ſponſus, derelictis Chriſtianorum ſacri, apertâ apoſtaſiâ ad Iudæos vel Paganos tranſierit? *Aff.*

An, ſi infidelis à fideli diſceſſerit, fideli vivente infideli liceat contrahere matrimonium? *Aff.*

Item-

Itemné parti impiè preſſæ, ſi non diſceſſerit? *Neg.*

Utrum crimen gravius, ἀπιστίας, an adulterii? *Aff: Poſt.*

Et, annon infidelis poſſit eſſe bonus maritus? *Aff.*

Similiterné adulter? *Neg.*

Annon ſubindè repudii cauſam quoque præbeat error? *Diſt.*

Saltem error, qui vocatur, corporis, corporalis, conditionis, qualitatis? *Aff.*

Etiamné, ſi errore cognito de conſenſionis ſpecie contiterit? *Neg.*

Aut dolus intervenerit, qui induxit in errorem, ut, ſi vitium aliquod callidè diſſimulatum ſit? *Aff.*

Annon in tali caſu adigi poſſit ad ſumtus & alimentationem partis deceptæ is eavé, qui vel quæ decepit? *Aff.*

An ſponſalia valeant facta per vim? *Neg.*

Annon tunc, ſi ſubſequatur alter liber conſenſus? *Aff.*

Non quidem ſint ſponſalia facta per vim, ſed pòſt ſævitiæ maximæ metus acceſſerit, aut verbera ingenius aliena, ſolventurné ex hâc causâ? *Aff.*

Præſertim ſi tantus ſit ſævitiæ metus, ut mulieri trepidanti vix ſufficiens cautio & ſecuritas præſtari poſſit? *Aff.*

An ergò ſponſus marituſvé ſævus tene

atur

atur præſtare cautionem de non offendendo? *Aff.*

Itemné, ſi hic ſævitiæ metus provenerit facto & culpâ ſponſæ uxoriſvé? *Neg.*

Aufugerit hæc dictam ob cauſam, an cogenda, ut redeat, abſque ſufficiente cautione? *Neg.*

Aut annon ille ſævus teneatur præſtare alimenta fugitivæ? *Diſt.*

Manente nihilominus vinculo? *Diſt.*

An idem quoque teneat in conjugio conſummato, adeoq; ſævitia, quemadmodum eſt cauſa repudii, ſit etiam divortii? *Neg.*

Atque adeò, an ſponſalia valeant facta per juſtum metum? *Neg.*

Annon ſaltem tunc, ſi ſubſequatur alter liber conſenſus? *Aff.*

Ideoqué, ſi ſponſalibus per metum initis poſtea de voluntario conſenſu apparuerit, ratum ſit conjugium? *Aff.*

Etiam injuratum? *Aff.*

Negativæ Cauſæ Repudii ſunt Injuſtæ & Improbabiles, ceu ſunt: Odium Amatorium, Inſidiæ bonis magis quàm vitæ factæ, Morum Alteratio ſeu Levicula Mutatio, Quaſi-Delictum, Capitis Diminutio Media & Infima, Ebrietas Superficiaria, Levis Deformitas, Invaletudo Modica, Furor Periodicus, Continentia ſeu Coeundi Inappetentia, Solicitatio ad

Stuprum

Stuprum Adulteriumvè, Abſentia Neceſſaria, aut ſaltem Probabilis, Deſertio Innoxia, Religionis ac Sacrorum Ἀδιαφορία *ſeu Indifferentia, denique Error oppoſitus Errori, Vis Vi, Metus Metui. His adde Sterilitatem, Senectutem, Paupertatem, Religionis Ingreſſum, Votum, Iuramentum, & ſi qua ſunt generis ejuſdem. Dico Negativas, qua illis poſitis negatur nihilominùs repudium.*

An leviſſimas quoque ob cauſas poſſint ſolvi ſponſalia & matrimonium, v. g, ſi introiit in ædes ater alienus canis, anguis per impluvium decidit? *Neg.*

Atque adeò, annon Moſes benè magnam repudiandi licentiam Iudæis popularibus ſuis conceſſerit? *Aff.*

Et ſi, an abſque numine? *Neg.*

An libertate illâ ulli celebres pietate viri in V.T. ſint uſi? *Neg.*

Annon interim Iudæi etiamnum retineant ſub Chriſtianis Principibus eam repudiandi libertatem, tanquam jus ſpeciale? *Aff.*

Non obſtante Chriſti cenſurâ, qui indulgentiam hanc Moſaicam reſtrinxit, immò revocavit? *Aff.*

Itemné Chriſtiani? *Neg.*

Ideoqué malè eam his obtrudat Bodinus? *Aff.*

An nominatim ſponſalia diſſolvantur

ob

ob odium amatorium, id est, odium non odium amantium, quorum ira amoris redintegratio esse solet? *Neg.*

An ergò retinenda sit sponsa sic satis odiosa, immò onerosa? *Aff.*

Etiamné insidiosa, si bonis magis, quàm vitæ, fortunis, quàm capiti, struxerit insidias? *Aff.*

An dissolvantur sponsalia accedente morum mutatione, verùm leviculâ? *Neg.*

Aut quasi-delicto? *Neg.*

Si, v. g, sponsus sit ebriosus, aut ebriosorũ susceptor, an inde, id est, ex hoc quasi delicto, in eum detur actio repudii? *Neg.*

Annon, si cogat suam ad idem crimen? *Aff.*

An capitis diminutio, quam vocant, media & minima, & ipsa sit causa repudii? *Neg.*

Solvanturqué sponsalia & nuptiæ, si quis salvâ libertate amiserit civitatem? *Neg.*

Aut in captivitatem inciderit, servitutemvé? *Neg.*

Quid de ebrietate superficiariâ, venitné & ea in censum causarum, ex quibus institui potest actio repudii? *Neg.*

Quid de deformitate levi, & invaletudine modicâ, annon saltem hinc nascitur actio repudii? *Neg.*

Atque adeò, annon propter uxoris infirmi-

firmitatem liceat ducere aliam, aut propter mariti debilitatem nubere alii? *Neg*:

Saltem ob morbum diuturnum, quantumvis ſanabilem? *Neg.*

Vel ſuperveniens aliud incommodum, ut ſi alteruter conjugum non conſummati matrimonii ſit factus ſurdus, claudus, mutus? *Neg.*

An idem quoque teneat in ſponſo ſponsâvé? *Diſt.*

Venio ad furorem, omniſné præpedimento atque impedimento ſponſalibus nuptiisvé, præpedimento cotrahendis, impedimento contractis? *Neg.*

Nominatim furor, qui dicitur, periodicus? *Neg.*

Annon ad minimum in ipſo articulo furoris, ſi tum inſaniviſſe conſtiterit contrahentem, cùm contraheret? *Aff.*

Aut, ſi furor ille ſit prorſus intractabilis? *Aff.*

Etiamné tunc, ſi in matrimonium intractabiliter furioſi, verùm per liquida ac dilucida, quod ajunt, intervalla, conſenſerit mulier, illequé ſibi redditus ratum habuerit atque acceperit conſenſum? *Neg.*

Aut, ſanæ mentis cùm eſſet, non contradixerit, nedum contravenerit? *Neg.*

Quid de continentiæ voto, & virginitatis propoſito, officitné ſpõſalibus & conjugio? *Neg.*

Atque

Atque adeò, an votum continentiæ jure possit concipi, aut, si conceptum sit, necessariò præstetur? *Neg.*

Annon interim, etiam absque legitimo consensu conjugis, alter conjux possit vel orationi vacare, vel continentiam aliquandò profiteri? *Aff.*

An virginis Mariæ factum heic duci valeat in exemplum? *Neg.*

Et vel ipsa, vel Ioseph, voverint virginitatem? *Neg.*

An vel sola solicitatio ad stuprum adulteriumvé ansam ac occasionem præbeat repudio? *Neg.*

Annon interim ejusmodi solicitator sit puniendus? *Aff.*

Etiam sponsus? *Aff.*

Et, an huic jus tori? *Neg.*

Contractusvé turpis, putà, si sines te cognosci, si te adulterandam tradideris, & si qui sunt generis ejusdem? *Neg.*

Absit sponsus ante ætatem jugalem, ex justâ & necessariâ causà, vel saltē non improbabili, ut, si absit Reipublicæ valetudinisvé causâ, si peregrè sit profectus, sive in provinciam, sive extra provinciam, an dabitur actio repudii? *Neg.*

Absit sponsus invitus, & nullo suo dolo, vel quòd sit captivus, justo metu deterritus, pulsus per factionem, exilioqué multatus, atque ita ex infortunio sit necessi-

tas,

tas, dabiturné actio repudii? *Neg.*

Annon, si necessitas illa sit ex delicto, & absentia ob causam improbabilem? *Aff.*

An ergò extra hunc casum & causam sponsa teneatur expectare spõsum absentem? *Aff.*

Et si, an per biennium, triennium, quadriennium, immò ulteriùs, immò tantisper, donec cessetnecessitas, & causa absentiæ? *Aff.*

An universè magis extra provinciam degentem, quàm in provinciâ? *Aff.*

An mora hæc sive expectatio contraveniat naturæ sponsaliorum? *Neg.*

Nuptiæqué sic spondeantur, ut statim contrahantur? *Neg.*

Ideoqué, si pòst constitutus sit dies taxativè, & die constituto non contrahantur nuptiæ, propterea solvantur sponsalia? *Neg.*

In specie, annon sponsus in pacto dotali se possit astringere, quòd non velit discedere à loco sponsæ? *Aff.*

An sic astrictus nihilominus, non obstante obligatione illâ, possit discedere, si oriatur nova causa, propter quam cogatur discedere, si, v g, non possit ferre aërem illius loci? *Aff.*

Et an tunc sponsa, nunc uxor, teneatur eum sequi? *Aff.*

An, quæ diximus de abſentiâ neceſſariâ & probabili, quoque teneant in deſertione innoxiâ? *Aff.*

Proqué deſertore ſit habendus ſponſus, qui abiit ob honeſtam cauſam, ſponsâ conſciâ, quiqué ſine culpâ abeſt, nec malo animo, aut ob causã à ſponsâ præbitam, vel per triennium? *Neg.*

Ideoqué perperam deſertor dicatur, qui valetudinis causâ abeſt, vel captivitate detinetur, aut, cui perſona, quæ ſe deſertam queritur, præbuit occaſionem deſerendi? *Neg.*

Atque adeò, an quævis diuturnior abſentia ſit habenda pro deſertione? *Neg.*

Pariaqué heic ſint, diſcedere ab aliquâ, & aliquam abs ſe abigere? *Neg.*

Ideoqué ſemper examinandæ ſint cauſæ emãſionis, cur & ubi fuerit, qui emanſit, quid egerit? *Aff.*

Atque, ut verbo abſolvam, annon impleantur ſpõſalia, etiam poſt longiſſimam moram, ſi aliæ nuptiæ interea contractæ non ſint, quando adjectum tempus non eſt? *Aff.*

Immò, ſi adjectum ſit tempus? *Aff.*

An religionis & ſacrorum ἀδιαφορία ſeu indifferentia vitiet ſponſalia matrimoniumvé? *Neg.*

Aut error nominis, fortunævé? *Neg.*

Nominatim error in pulchritudine, divitiis,

vitiis, nobilitate? *Neg.*

Aut vis non-vis, metus non-metus, id est, vis à nemine illata, metus à nemine incussus? *Neg.*

An sterilitas rectè accenseatur causis repudii? *Neg.*

Saltem comperta? *Neg.*

Atque adeò, an incurabilis sterilitas possit liquidò demonstrari? *Disq*

Dato, quòd possit, an propterea notandus nigro thetâ, culpandusvé, qui fœminam manifestæ sterilitatis duceret? *Dist.*

Itemné senectus? *Neg.*

An ergò senibus quoque dandum sit jus nuptiarum? *Aff.*

Etiam capularibus, si minùs in officium naturæ, saltem in adjutorium? *Aff.*

Atque adeò, annon in articulo mortis possit contrahi matrimonium, vel ab eo morituro seu moribundo, qui in rebus Veneris nihil potest? *Aff.*

An articulus ille intelligendus sit de illo morientis momento, in quo anima exhalatur, & quo de disputatur, vitæné sit an mortis tempus, an verò ἐν πλάτει, cum aliquâ latitudine, de habitu, inquam, reducibili ad exercitium? *Aff: Post.*

An igitur matrimonium quoque illic esse possit, ubi non potest esse copula? *Dist.*

Morientiſqué matrimonium teneat ? *Aff.*

Ideoqué ægrotus, conſtitutus in extremis, queat cum concubinâ inire conjugium? *Aff.*

Iuvat quærere ulteriùs, annon paupertas quoque ſit juſta cauſa repudii, ſi, v g, ſponſa poſt contracta ſponſalia ad egeſtatem ſit redacta? *Neg.*

Minimùm tunc, ſi certam ſummam dotis nomine promiſerit, quam nunc præſtare non poteſt, ſi, inquam, ſponſalia ſint facta ſub eâ conditione? *Aff.*

Adhuc ampliùs, an religionis ingreſſus, votum, juramentum, aliquid hîc poſſint? *Neg.*

Atque ita, an, ſi quis juratam fidem dederit, ſe velle cum aliquâ contrahere matrimonium, & pòſt cupiat ingredi religionem mutatâ voluntate, poſſit? *Neg.*

Annon interim liceat utrique parti pœnitere ante copulationem, etiam poſt deſponſationem juratam? *Aff.*

Sponſalitiaqué promiſſio jurata ſit obligatoria in quarto modo, ideoq; omninò cogens? *Neg.*

Annon ſaltem tunc, ſi quis conceptis verbis juraverit, ſe non dimiſſurum ſponſam uxoremvé? *Neg.*

Atque adeò, annon is nihilominus ex causâ poſſit mittere repudium, non obſtante

ſtante juramenti religione? *Aff.*

An Papa obtentu boni publici diſpenſare heic poſsit? *Neg.*

Denique, annon capite plectendus, ſi minùs naturali, ſaltem civili, qui temerè repudium facere præſumſerit, & aliis atque aliis nuptiis ſe irretierit? *Aff.*

Propinqua Cauſa Divortii & ipſa, vel Negativa eſt, vel Poſitiva.

Negativæ ſunt Injuſtæ & Improbabiles, ejuſdem prædicamenti & prædicationis cum prioribus, unde non datur actio repudii: Si non repudii, ergò multò minùs divortii, quia divortium repudio majus, repudium divortio minus. Inde igitur ἀπὸ κοινοῦ huc repetenda, quæ hujus ſunt ſedis & loci.

Poſitivæ ſunt Juſtæ & Probabiles. Quæ duùm generum. Vel enim ſunt Divortii Faciendi, vel Patiendi.

An pluribus, quàm duobus modis, conjugium conſummatum, ex Dei verbo, Deoqué autore, dirimatur, adulterio videlicet & deſertione? *Neg.*

An eadem heic adulterii, quæ deſertionis, ratio? *Neg.*

An ergò aliud Chriſtus, aliud Paulus, in hoc argumento, adeoqué Paulus loquatur de diverſo caſu à dominico, an verò de diverſo modo tantùm adulterii, id eſt, non tantùm de diſceſſione per di-

vortium, factum cum primâ, sed etiam de matrimonio contracto cum alterâ, hoc est, de adulterio? *Aff: Prius: Neg: Post.*

Ideoqué de solâ dimissione seu desertione, non etiam alterius ductione? *Aff.*

Atque adeò, an mœchia committatur in dimittendo? *Neg.*

Saltem in ducendo aliam? *Neg.*

An ergò dictum Servatoris de adulterio, & alterum Apostoli de desertione, sint negativa seu exclusiva, an verò taxativa atque exceptiva? *Aff: Post.*

Ideoqué non extendenda ad alios casus extra adulterium & malitiosam desertionem? *Aff.*

Et, annon hîc Matthæus, Marcus & Lucas sibi contradicant? *Neg.*

Immò ipse Apostolus Paulus sibi, qui superioribus causis alibi addit infidelitatem? *Neg.*

Atque adeò, si infideli placeat consuetudo fidelis, an Paganismus solus sit justa causa divortii? *Neg.*

Aut cuiquam ad causas divortii, in verbo Dei expressas, liceat adjicere alias? *Neg.*

Causa Efficiens Propinqua Divortii Faciendi est Adulterium alterutrius Conjugis: Quod nihil aliud, quàm vitiatio ejus, quæ alteri nupta est, vel etiam non nupta, profecta ab eo, cui alia nupsit: sic dictum,

vel

vel quòd adulter alterius uterum terat, vel quòd ad alterum eat, ſitque ad alterius torum.

Duplex numero: Simplex & Compoſitum.

Adulterium Simplex eſt, cùm innuptus rem habet cum nuptâ, ſolutus cum ligatâ.

Adulterium Compoſitum eſt, cùm nuptus rem habet cum nuptâ, ligatus cum ligatâ.

Dico faciendi, quia hìc pars innocens ſe habet ἐνεργητικως, ſive activè, dum partem nocentem à ſe dimittit.

An adulterium ſit cauſa legitima divortii? *Aff.*

An ſolùm & ſola? *Neg.*

Sempervé? *Neg.*

Ideoqué non ſemper in causâ adulterii detur actio divortii? *Aff.*

Non utique, ſi maritus ipſe ſit convictus de fornicatione adulteriové, aut ſi ipſe induxerit uxorem in adulterium, vel tentaverit eam proſtituere ac ſubjicere alteri, aut ſi uxor probabiliter maritum crediderit eſſe mortuum, atque ita nupſerit, vel cognita ſub mariti ſpecie fuerit, marituſvé aliam ſub ſpecie uxoris cognoverit, vel etiam vi oppreſſa & compreſſa fuerit, vel denique poſt alterutrius adulterium congreſsi denuò fuerint conjuges? *Aff.*

Ideoqué, cùm utrinque incidit' adulterium, non audiendus ſit, qui divortium petit? *Aff.*

Annon interim actio adulterii, & ex eo divortii, inſtitui poſſit in uxorem, ſi marito ignorante, vel nolente, convivia extraneorum appetierit, ſi turpibus ludis aut ſpectaculis interfuerit, ſi foris pernoctaverit, ſi cũ impudicis fuerit, vel etiam cum honeſtis, verùm per loca occulta? Itemqué in maritum, ſi & ipſe cum impudicis mulieribus, ſive domi, ſive foris, ſive in eâdem civitate, ſive in aliâ, cætum inierit, aut uxoris caſtitati inſidiatus fuerit, eâqué abuti tentaverit, aut accuſaverit eam adulterii, quod non convicerit? *Neg.*

Si minùs quoad vinculum, ſaltem quoad torum & habitationem? *Diſq.*

An id propriè dictum divortium? *Neg.*

An ergò propriè dicto divortio non tantùm uſus conjugii abrumpatur, verùm etiam vinculum ipſum conjugale? *Aff.*

Adeoqué ipſo jure matrimonium diſſolvatur per adulterium, an verò eatenus, ſi maritus, acetum in pectore habens, petat divortiũ, probatoqué crimine mittat repudium? *Aff: Poſt.*

An adulterium quoque committi poſſit ſine duobus? *Diſt.*

An

An differat à ſtupro? *Aff.*

Et ſi, an ut ſpecies à genere, ita ut omne quidem adulterium ſit ſtuprum, non contrà omne ſtuprum adulterium? *Aff.*

Annon interim lex utroque verbo utatur promiſcuè, & καταχρησικῶς, modò loco generis, modò loco ſpeciei? *Aff.*

Nominatim, atque in ſpecie, an adulterium cõmittat non tantùm is, qui cum alienâ matrefamilias rẽ habet, ſed etiam, qui cum innuptâ, ſaltem de Iure Divino? *Aff.*

Ideoqué, ſi maritus rem habuerit cum ſolutâ, putà virgine viduâvé, adulterium id ſit nuncupandum, non ſtuprum, de eodem Iure? *Aff.*

Immò adulterium committat, qui vel aſpexerit mulierem libidinoſo animo? *Aff.*

Etiamné in foro ſoli, & coram judice ſeculi, niſi quis ruperit latus in alienâ? *Neg.*

Atque adeò, an omnis violatio fidei conjugalis protinus ſit adulterium? *Neg.*

Aut adulterium, ſi quis duas ſimul uxores duxerit? *Neg.*

Saltem, ſi qua pluribus nupſerit? *Aff.*

Aut repudium miſerit, ſed non è lege, vel, ut licentioſiùs peccaret, alterq; eam, vel cognoverit, vel duxerit, ſciens, non è lege repudium miſſum eſſe, & eo fine

missum esse? *Aff.*

An cum sponsâ quoque alterius committi possit adulterium, sive desponsata sit verbis futuri temporis, sive præsentis, sive domum jam ducta sit, & à sponso cognita, sive non? *Aff.*

Ideoqué Vasallus, qui sponsam domini cucurbitaverit, rectè amittat Feudum? *Aff.*

An ergò adulterium quoque ibi esse possit, ubi non est torus, verùm initiatio aut spes quædam tori? *Aff.*

Universè, an adulterium tantùm committatur inter liberas personas, id est, ingenuas & libertinas? *Neg.*

An verò etiam in viles & abjectæ conditionis fœminas, tabernariam, furnariam, lenam, scenicam, servi contubernalem? *Aff.*

Causa Efficiens Propinqua Divortii Patiendi est Desertio Malitiosa alterutrius Conjugis. Dico Patiendi, quia hîc pars innocens se habet παθητικῶς sive passivè, dum à parte nocente ultrò deseritur. Addo Malitiosa, quia non audit desertio, ubi malus animus fallendi, & dolus malus abest. Desertio namque crimen est, at crimen non est absque dolo, & eo quidem malo. Quamvis enim, qui deserit, non adeat protinus alterius torum, ideoquê dolo vacare videatur, tamen reverà non vacat, quia eo ipso,

quod

quod deserit, disturbat, quantum in se est, divini humanique juris consortium. Aliter Absentia Contumax nuncupatur, differentiæ causá: Sunt enim quinque genera Absentiarum: Necessaria & Probabilis simul, ut quando quis abest causá Reipublicæ, in legatione, vel militiá: Probabilis, verùm non ita Necessaria, ut quando quis abest causá studiorum: Necessaria, sed non Probabilis, qualis in relegatis, & his, qui metu criminis absunt: Voluntaria sine Contumaciâ, qualis in mercatoribus, & aliis, qui sui commodi causâ absunt: denique Voluntaria cum Contumaciâ, quæ & Malitiosa dici potest, qualis in iis, qui discedunt ab uxoribus, nulla honestâ causâ coacti, sed vel levitate, vel impatienti â freni conjugalis, vel aliis non necessariis de causis, atque hæc hujus est loci, dummodò contumacia illa sit perpetua.

An quævis diuturnior absentia sit pro desertione habenda? *Neg.*

Aut quævis desertio tribuat parti desertæ jus divortii? *Neg.*

An paria heic, discedere ab aliquâ, & aliquam ab se abigere? *Neg.*

Proqué desertore habendus, qui propter causam à præsente præbitam abest? *Neg.*

Aut cui persona, quæ se desertam queritur, ac divortium flagitat, occa sionem

præbuit deſerendi? *Neg.*

Vel, ſi quis ſuperſtitione ſuæ religionis detentus non ſequatur conjugem, aut quæ maritum profugum causâ religionis non comitetur? *Neg.*

Atque adeò, an deſertio malitioſa, ſi maritus causâ legationis, militiæ, negociationis, navigationis, peregrinationis, valetudinis, propter captivitatem, aut aliâs voluntate conjugis abſit in negocio honeſto, neceſſario, probabili? *Neg.*

Annon, ſi deſertioni titulum harum rerum præferat? *Aff.*

Extraqué territorium cùm ſit, abnuat redire, quantumvis requiſitus, & admonitus? *Aff.*

Atque ita non non ſit deſertor, qui expectatus decennium, quæſitus diligenter eſt abſens? *Aff.*

Quiqué dolosè abeſt, monituſqué eſt, aut, quoad ejus fieri potuit, de admonendo tentatum eſt, neq; tamen comparuit poſt trinam denunciationem? *Aff.*

Et in genere ille, cui non placet cohabitatio, atque individua vitæ conjugalis conſuetudo? *Aff.*

Finis Repudii & Divortii vel Univerſalis eſt, vel Particularis.

Univerſalis eſt Publica Ordinis Conjugalis Honeſtas, & Exemplum ad delinquentes contra eam.

An retinere olim licuerit de Jure Civili adulteram? *Neg.*

Annon ſaltem nunc de Jure Civili eodem? *Aff.*

Ideoqué pars innocens poſſit cogi, ut recipiat partem nocentem, ut maximè eam pœniteat probri? *Neg.*

Annon interim pœnitentem poſſit recipere, aut penes ſe retinere volens? *Aff.*

Aut, annon talis, qui uxorem adulteram à ſe dimittere non vult, & ipſe neceſſe habeat pœnitere ad tempus? *Neg.*

Et, an rectè David, quòd receperit Michol, Saulis filiam, ſibi ereptam, alteri traditam? *Aff.*

Universè, an facto ſemel legitimè divortio, etiam poſt divortium, matrimonium poſſit redintegrari honeſtè, interveniente reconciliatione mutuâ? *Aff.*

Aut pœnitudine partis pœnitendæ? *Aff.*

Præſertim, ſi per errorem fortè factum ſit divortium, aut adulterium ſupervenerit à parte illius, quæ petiit divortiũ? *Aff.*

An poſſit accuſare adulterii priùs admiſſi, qui reducit adulteratam, vel accuſari adulterii, qui retinet? *Neg.*

Et, annon videatur remiſiſſe crimen, cùm vel petiit conjunctionem, vel diſſimulavit? *Aff.*

Cumquê ſic reducitur repudiata, an idem præſumatur durare matrimonium,

an verò ſuccedere novum? *Diſq.*

An hæc cõventio quoque locum habeat poſt nuptias dimiſsi dimiſſævé, contractas cum aliâ aliové? *Neg.*

Adeoqué dimiſſam recipere vir poſsit, poſt nuptias dimiſſæ, initas cum alio, recipere item repudiatum mulier, poſt nuptias viri alias? *Neg.*

Quòd ſi innocens certis legibus redierit in gratiam cum nocente, nec pareat nocens illis legibus, annon adhuc divortium facere potis ſit pars nocens? *Aff.*

Itemné, ſi corporum commixto facta fuerit? *Neg.*

Atque adeò, an danda ſit divortii licentia, ſi vel poſt compertum crimen privatim quis redierit in gratiam cum nocente, vel ab uſurâ corporis ejus non abſtinuerit? *Neg.*

Annon interim ſatius, immò bis ſatius ſit in foro animæ & conſcientiæ, ſuo loco nocentem perſonam deferre, eamqué cõvictam ablegare & dimittere? *Diſq.*

Ideoqué tantùm non lenocinii crimen incurrat, qui uxorem convictam adulterii reducit? *Neg.*

Aut propter famam & honorem liberorum delictum ei condonat, in favorem matrimonii? *Neg.*

Et, an rectè Juſtinianus quinquennii pœnitentiam adulteris impoſuerit, exactoq;

ctoqué illo ſpacio poteſtatem his novarum nuptiarum fecerit? *Diſq.*

Adeoqué unquam adulter poſsit ducere, adultera nubere? *Aff.*

Præſertim ſi ſolum vertant, ſcandali vitandi causâ? *Aff.*

Mortemqué oppetierit pars adverſa? *Aff.*

Mœchuſvé conſequenter poſsit ducere mœcham? *Diſq.*

Particularis & ipſe nō Simplex, ſed Duplex. Vel enim concernit Partem Innocentem, vel Nocentem.

Reſpectu Partis Innocentis eſt Liberatio à Parte Nocente. Ex alieno ſiquidem delicto puniri nemo debet, quod hic fieret cum parte innocente, ſi partem nocentem retinere cogeretur, aut per ejus abſentiam commodis ſecundioris conjugii carere.

An potior & penſior ſit ſponſi maritivé cauſa in repudio divortiové, quàm ſponſæ uxoriſvé? *Neg.*

Et, an aliquid hîc liceat illis, quod non liceat his? *Neg.*

Adeoqué par ducentis & nubentis ſit jus hâc parte, atque in his, quæ communia ducenti & nubenti, ideoqué correlativum? *Aff.*

Ita ut idem jus ſit nubenti adverſus ducentem, atque ducenti adverſus nubentem? *Aff.*

Et,

Et, quemadmodum potest vir repudiare mulierem adulteram, ita mulier possit repudiare virum adulterum? *Aff.*

Ideoqué libellum repudii ac divortii quoque mittere possit fœmina? *Aff.*

Eâque de re rectè Proculeja & Terentia nuncium remiserint olim maritis? *Aff.*

Annō saltem deterior heic fuerit fœminarum conditio per legem & consuetudinem, tam Hebræorum, quàm Romanorum, præsertim veterum, ita ut fuerit viro jus repudii & divortii, non item mulieri? *Aff.*

Atque adeò, an jus divortii voluntarii, concessi ob duritiem, mulieres quoque habuerint in V T? *Neg.*

Annon saltem in causâ & casu adulterii? *Aff.*

Et, an justè moribus Romanis marito olim licuerit accusare uxorē adulteram, privatâ autoritate vel capitaliter animadvertere in uxorem adulteram, deprehensam in adulterio, repudium dare uxori adulteræ, non contrà? *Neg.*

Justiusqué multò moribus Christianis uxor, non tantùm generali capite injuriarum, privato judicio adversus maritum adulterum possit agere, sed etiam publico, neque civiliter tātùm, ad separationem matrimonii, verùm criminaliter quoque, ad irrogationem pœnæ? *Aff.*

Neque

Neque ad divortium tantùm, ſed etiam conſequentia divortii? *Aff.*

Annon conſequenter juſtè quoque moribus noſtris, tam huic, quàm illi, in caſu adulterii & malitioſæ deſertionis, novarũ nuptiarum fiat gratia? *Aff.*

Ideoquè parti innocenti debeat eſſe integrum, ſi ſe continere non poſsit, ut ſoluto adulterio deſertionevè matrimonio, vel ſuperſtite perſonâ nocẽte, novas ineat nuptias? *Aff.*

An inſcio magiſtratu? *Neg.*

Aut, ſi temerè diverterint? *Neg.*

Vel non ſimpliciter alter conjugum à mutuo convictu ſeceſſerit, verùm etiam extra territorium aufugerit, animo non redeundi? *Aff.*

An ſufficiat heic citatio ac denunciatio trinundina, an verò expectandum ſit præcisè decennium, vel etiam mors? *Aff: Prius: Neg: Poſt.*

An, ſi deinde redeat deſertor ter citatus, debeat puniri? *Aff.*

Et, vel virgis cædi, vel capite plecti? *Aff: Prius: Diſq: Poſt.*

Nominatim, atque in ſpecie, an uxor marito ſuperſtitante, extra caſum deſertionis, poſsit alteri nubere, etiamſi benè longo tempore abfuerit, niſi de morte ejus ſit certiorata? *Neg.*

Ideoquè malè Jus Civile permittat jus alte-

alterarum nuptiarum præsenti, etiamsi non constet cerrò de morte absentis? *Aff.*

Annon interim in dubio absens maritus præsumatur mortuus, si, diligenti licet habitâ inquisitione, ignoretur? *Neg.*

Saltem, si navis, quâ vehebatur, passa naufragium? *Neg.*

Aut constet eum ab hostibus, vel latronibus, piratisvé interceptum? *Neg.*

Nubat interea uxor alii, marituſqué prior superveniat, & conjugem suam repetitum eat, quid, tenebiturné redire ad priorem maritum, quamlibet post longum tempus reversum, derelicto eo, quicum contractum per alterius absentiam matrimonium est? *Aff.*

Etiamné, si conjugii pignora liberi accesserint? *Aff.*

An hi liberi illegitimi? *Neg.*

Adultervé, qui contraxit? *Neg.*

An ergò uxor contracto matrimonio teneatur expectare maritum absẽtem ex justâ causâ in infinitum? *Neg.*

Saltem donicum cessêt necessitas, causa absentiæ? *Aff.*

Respectu Partis Nocentis est Pœna partis Nocentis, cui sic jus suum tribuitur, dum dimittitur, utut impropriè. Cum enim suspenditur à matrimonio pars nocens, propriè jus suum non illi redditur, sed parti innocenti seu læsæ, eò quòd ad eum jus

propriè

propriè ſpectet, cui facta injuria eſt, quoniam privatio & habitus in eodem.

An lex Moſaica de adulterii pœnâ ſit merè forenſis, an verò mixti generis, id eſt, partim forenſis, partim moralis? *Aff: Poſt.*

Ideoqué etiam nos obliget, ſaltem in tantum, quantum moralis? *Aff.*

Cumqué ut ſic ſit perpetuæ obſervātiæ, ideò non minore, quàm capitis pœnâ, ſit plectendum hoc crimen, ut quod homicidio par, & majeſtatis violationi proximum? *Aff.*

Et quidem, tam in viro, quàm in muliere, cùm uterque peccet æquè graviter, ſaltem de Jure Divino? *Aff.*

Etiamné Canonico? *Neg.*

Et an rectè, ac verbo Dei convenienter, Triburienſe atque Aurelianenſe concilia ſtatuerint, ut, ſi vel adulter vel adultera confugiſſent ad Eccleſiam, non traderentur judici præſidivé loci, aut traderentur quidem, verùm interpoſitâ juramenti religione, ipſos non violatum iri? *Neg.*

Rectè item ſciverit Concilium Toletanum Octavum, ut, ſi adoleſcens adulterii convictus poſt publicam pœnitentiam timuiſſet incōtinentiæ lapſum, liceret ei ad priſtinum conjugium redire, verùm tantiſper, donec poſſet temporis maturitate adipiſci continentiæ ſtatum? *Neg.*

An

Annon ſaltem id rectè, quòd veteres Epiſcopi adulteris non dederint pacem, hoc eſt, à communione ſacrorum hos ſuſpenderint? *Aff.*

Itemné, quòd perpetuò? *Neg.*

Saltem relapſos peractâ pœnitẽtiâ? *Neg.*

Ideoqué convenienter perpetui anathematis uſus ex Eccleſiâ ſit ſublatus? *Aff.*

Etiam quoad Clericos ſeu Eccleſiaſticos? *Diſt.*

Atque adeò, annon in eccleſiaſtico munere cõſtituti, ubi adulterii ſemel ſunt cõvicti, rectè in perpetuum à miniſterio excludantur? *Aff.*

Itemné ab eccleſiæ ſinu? *Neg.*

An ergò aliud ſit ab eccleſiaſticâ functione arcere, aliud ab eccleſiæ gremio? *Aff.*

Annon ſaltem rectè, quòd ad quinquenniũ Laicos ſeu Seculares, ut Synodus Eliberina, vel etiam ad ſeptennium, ut Synodus Ancyrana? *Neg.*

Et quidem ſine ſpe ullâ matrimonii, ne quidem poſt ſolennem ſeptennalem pœnitentiam? *Neg.*

Eâque de re optimo conſilio decretum hoc Leo Papa abrogârit? *Aff.*

Quid de concilio Toletano primo, rectené Clericis conceſsit, ut uxores adulterii convictas domi vinctas tenerent, jejuniiſqué, non tamen mortiferis, macerarent?

rarent? *Neg.*

Quid de concilio Neocæsarienſi, rectené Clerico optionem dedit, ut, ſi uxor ejus eſſet lapſa in adulterium, vel uxorem adulteram, vel Clericatum dimitteret? *Aff.*

Itemné rectè idem concilium Laicum, cujus uxor & ipſa lapſa in peccatum adulterii, prohibuit miniſterio, niſi uxorem adulteram dimiſiſſet? *Diſq.*

Venio ad Jus Civile, conſtatné ſibi in articulo de pœnâ adulterii? *Neg.*

An ergò ſubindè aliud atque aliud ſanciat, aliud Vetus, aliud Novum, aliud Noviſſimum? *Aff.*

Atque adeò, an rectè de Jure Veteri à Romulo patre pœna adulterii arbitrio mariti patriſvé fuerit permiſſa, ita ut liceret marito in adulterum, deprehenſum in turpitudine, agere atque animadvertere privatim, tã plebeium quàm illuſtrem, patri item, ſi quo caſu ſuperveniſſet, occidere re recenti tam adulterum quàm adulteram, non etiam adulterum tantùm? *Neg.*

Aut jus necis rectè ab eodem jure ſit datum in adulteram conjugem vel prægnantem marito, non item in adulterum conjugem uxori? *Neg.*

Atque ita conſequenter malè Jus Vetus tribuerit privatis, quod denegatum eſt magi-

magiſtratibus? *Aff.*

Ideoqué caſtiùs aut caſtigatiùs multò Jus Novum, quod uxori adulteræ pœnam capitis vult infligi, ſive rem habuerit cum alieno marito, ſive cum cœlibe, marito verò tunc demum, ſi rem habuerit cum nuptâ? *Aff.*

An & Noviſſimum, quo pœna capitalis ſtatuto adulteris planè eſt remiſſa, atque ex eo intermiſſa? *Neg.*

An ergò vir & mulier in causâ adulterii peccent æquè graviter, ideoqué æquè graviter ſint puniendi? *Aff.*

An in pœnæ hujus definitione conveniat Iulio, Conſtantino, Juſtiniano, & Carolo Quinto? *Neg.*

Adeoqué pœna Legis Iuliæ in ſacrilegos temeratores alienarū nuptiarum fuerit gladius, an verò relegatio? *Aff: Poſt.*

Annon ſaltem gladius de Conſtantini Magni Conſtitutione? *Aff.*

An hanc gladii pœnam rectè adulteræ Juſtianianus remiſerit, verberatamqué in monaſterium detrudi voluerit, repetendā à marito intra biennium, ſi minùs, tondendā, monaſterioqué in perpetuum mācipandā, ereptâ ſpe omni ulterioris conjugii? *Neg.*

Aut in pecuniariam converterit Carolus Quintus, qui primum adulterium decem florenis Carolinis multari voluit, iteratum

ratum viginti, tertiatum arbitrariâ pœnâ? *Neg.*

Annon olim quoque pœna adulterii fuerit pecuniaria? *Disq.*

Vtri rectiùs, Parthiné & Saxones, quorũ illi nulla delicta adulterio graviùs vindicabant, hi adulteras strangulatas cremabant, mœchosqué super rogos suspendebant, donec morerentur, an Zaleucus, qui adulteros oculis privavit, Diogenes, qui testium suspensione, Ægyptii, qui narium mutilatione, Germani, qui verberatione ignominosâ hos multabant, Cumæi, qui dedecorosâ circumductione, Athenienses, qui ῥαφανιδῶσι, quam sic vocant? *Disq.*

Si maritus velit adulteram recipere, & propter famam ac honorem liberorum huic delictum condonare, annon planè remittenda esse videatur pœna in honorem matrimonii? *Neg.*

Ac non potius adulterii pœnâ plectendus maritus leno, qui quid de adulterio uxoris suæ cepit, sive jam precium pro comperto stupro acceperit, sive quid aliud, sive denique quâ obligatione ex eo liberatus fuerit? *Aff.*

Itemné, si nihil ceperit, sed aut precibus exoratus adulterum dimiserit, aut negligentiâ, vel culpâ, vel patientiâ, nimiâvé credulitate, uxoris adulteria indeprehensa

henſa tulerit,aut uxorem in adulterio deprehenſam retinuerit, vel damnatam receperit, ſi frugi ſit facta? *Neg.*

Annon ſaltem adulterii pœnâ teneantur ii, qui lenoni marito domum ſcientes locant, aut,cùm ignorantes locâſſent, eundem non expellunt? *Neg.*

Lenones, inquam,& lenæ, qui nuptas proſtituunt, qui domum,agrum,vineam, blaneum, adulterii causâ præbent? *Aff.*

Et in genere, quorum ope, conſilio, ſuaſu, dolo malo,factum eſt adulterium? *Aff.*

Aut curatum, ut vir fœminavé, in adulterio deprehẽſi,pecuniâ aliâvé pactione ſe redimerent? *Diſt.*

Internuncii, pararii, atque, ut ita dicam, proxenetæ ſceleſtæ libidinis? *Aff.*

Etiamné, ſi vel gratis id faciant? *Aff.*

Uti &, qui uxores habent quæſtuarias, etſi uni tantùm atque alteri earum faciant copiam? *Aff.*

Aut, qui infamandæ uxoris causâ adulterum ſubjiciunt? *Aff.*

Adulteriiqué damnatam ſcientes ducunt, damnatové nubunt? *Neg.*

Quiqué poſt tres denunciationes, à marito miſſas, cum uxore ejus deprehenduntur? *Diſt.*

Cubile alienum quis ſit ingreſſus, poſuerit veſtimenta, conſcenderit alterius

torum,

torum, concusserit, prostraverit alterius uxorem, aut non tam prostraverit vi invitam, quàm inclinaverit volentem, & cùm jamjam irruiturus esset, supervenerit maritus, vel quis alius, tenebiturné pœnâ adulterii, diceturq; admisisse hic talis capital? *Aff.*

An ergò solus adulterii conatus heic sufficiat, si verbis, litteris, munusculis quis solicitaverit, oscula sumserit, impudicè attrectaverit? *Neg.*

Et vel osculum vi extorserit, idqué in publico? *Neg.*

Ideoqué malè Publius Mænius, immò bis malè, quod criminaliter animadvertit in libertum, gratum admodum sibi, eò quòd nubilis jam ætatis filiæ suæ osculum dedisset? *Aff.*

Adeoqué, an propter osculum luxuriosum vel nupta mulier easdem debeat ferre pœnas, quas ferret ob adulterium? *Neg.*

Annon interim extra ordinem sint puniẽdi hi alienarum nuptiarum solicitatores, & importuni matrimoniorum interpellatores? *Aff.*

Stuprare quis voluerit, sed præter expectationẽ adulteraverit, & contrà, adulterare quis voluerit, sed præter expectationem stupraverit, ille nuptam, quam rebatur esse innuptam, hic innuptam,

quam rebatur esse nuptã, quæstionis est, an vel ille teneatur pœnâ adulterii, vel hic stupri, licet uterque operam dederit rei illicitæ? *Neg.*

Cognoverit quis per errorem nõ suam, aut quæ se per errorem substraverit non suo, adulteriiné pœnam incurrit, vel ille, vel ista? *Neg.*

Sit maritus ab hostibus captus, aut suæ publicævé rei causâ diu absit, & uxor lõgo tempore transacto, falsis rumoribus inducta, quasi soluta priore vinculo, secundis nuptiis sit juncta, quæritur, an ab adulterii pœnâ sit immunis? *Aff.*

Itemné, si ficta mariti mors argumentum præstiterit faciendis nuptiis? *Neg.*

An hoc temperamentũ quoque locum habeat in militum uxoribus? *Neg.*

An concubina quoque teneatur lege Juliâ de adulteriis? *Neg.*

Saltem sponsa, sive futuri sive præsentis temporis verbis desponsata? *Aff.*

Adeoqué omnes, qui verè adulterium committunt, etiamsi illæ, cum quibus rem habent, sint vulgares, id est, viles genere & conditione? *Aff.*

Neque primus tantùm, qui alterius uxorem adulteravit, sed etiam secundus, tertius, quartus, & sequentes, donec alterius uxor est, quæ violatur? *Aff.*

Etiamné tunc, si marito deserto, pas-

sim

sim ac sine delectu, meretricio more se prostituerit illa, quæ dicitur esse alterius uxor? *Neg.*

An lege Juliâ, nõ quà Juliâ tamen, quoq; etiã teneatur Christianus, ducens Judæã, Mahumedanam, Paganam? *Aff.*

Itemné, si cognoverit tantùm? *Neg.*

Et, an perindè id habendum, ac si cum mare aut bruto quis esset cõgressus? *Neg.*

Denique, annon judex adulter quoque punire possit adulterum? *Aff.*

An idem punire unum adulterium per alterum? *Neg.*

Matéria Repudii & Divortii sunt, illius Spõsus & Sponsa, Maritus & Vxor matrimonii cõsummandi, hujus Maritus & Vxor màtrimonii consummati, legitimâ conjunctione, & συζυγία γαμικῇ, devincti, sed fidem sponsalitiam ac conjugalem ex alterutrâ parte violantes. Mentionem facio vinculi & conjunctionis, quia sunt casus, quos repudii & divortii dicimus, qui nec sunt tamen: Ubi autem nihil est ligatum, nec solutum.

An sit propriè dictum repudium, vel divortium, quando personæ, quæ citra parentum consensum, eorumvé, qui parentum sunt loco, vel in gradibus de jure divino prohibitis, vel per dolũ erroremvé, in substantiã conjugii impingentem, sponsalia matrimoniumvé contraxerunt, à se

invicem ſeparantur? *Neg.*

Cum, inquam, ſponſalia & matrimonium ſunt ipſo jure nulla, ita ut confirmari nullâ ratione poſſint, ne quidem, ſi benedictio Eccleſiæ acceſſerit, & copulatio corporum ſit ſubſecuta? *Neg.*

An ergò tum demum ſit locus repudio & divortio, cum vera & rata ſponſalia nuptiævé dirimuntur? *Aff.*

Forma Repudii & Divortii conſiſtit in diſſolutione obligationis illius mutuæ, & legitimæ conjunctionis, ejuſque tam mentalis, quàm corporalis, per competentem judicem factâ, quemadmodum vel ipſum utriuſque vocabuli etymon innuit. Dicitur enim repudium à re pudendâ, eò quòd fiat ob rem pudendam, id eſt, à conjuge pudente contra conjugem pudendum: Divortium verò, vel à divertendo, quòd conjuges ſoluto conjugio divertant, inque diverſas partes abeant, res ſuas ſibi habere atque agere juſſi, translatione ſumtâ à divortio aquarum, rerumque ſimilium, quæ initio fuerunt ſimul, vel à mentium diverſitate, quòd diremto matrimonio pars nocens mentem mutâſſe convincatur, quam habuit, cum matrimonium contraxit, ſic dictum εὐφημίας ἕνεκα, *molliſſimo nomine, quòd alter contrahentium ab altero deflectat, & à cõtractu recedat, ſicut diſſolvi tunc emtio dicitur, cum ab eâ diſceditur.*

An

An ſit verum repudium & divortium, an verò fribuſculum fribiuſculum friguſculum frivuſculum friviculum friviuſculum, id eſt, frivum & frivolum, ſi non fiat animo perpetuam conſtituendi diſſenſionem? *Aff: Poſt.*

Ideoqué malè Seneca appellet moroſæ uxoris quotidiana repudia, ſæpè litigantis, & in gratiam redeuntis? *Aff.*

Nec meliùs Canoniſtæ, qui ad ſolutionem vinculi cõjugalis nullam docent dari cauſam? *Aff.*

Atque adeò, annon divortium vinculum ipſum ſolvat matrimonii, non aliquid tantùm matrimonii? *Aff.*

Ideoqué afferat & inferat omnimodam abſciſſionem atque abſceſſionem conjugalem, oppoſitam perpetuæ conſenſioni ac conſuetudini vitæ individuæ? *Aff.*

Separationemqué, tam mentalem, quàm corporalem? *Aff.*

CAPUT V.

Finis Conjugii, iſqué duplex, quorum alterum proximè exprimit vocabulum Matrimonii, alterum cognatum vocabulum Conjugii. Vtriusque Notatio Grammatica. Conjugii duo gradus, Sponſalia &

Nuptiæ. Sponſalia definiuntur, & dividuntur in Pura ac Conditionata, utraque in Publica & Clandeſtina. Quid ea? Nuptiæ hinc & ipſæ definiuntur. Harum ſolennia & Ritus, tã apud Paganos, quàm Noſtrates, id eſt, Chriſtianos. Dubia, ſive Quæſtiones Controverſæ, incidenter & pro re natâ.

FInis Societatis Cõjugalis vel Primarius eſt, vel Secundarius.

Primarius eſt ἡ Γένεσις, Liberorum Procreatio, tum ratione Speciei, & ſic tendit ad generis humani multiplicationem, tum ratione Individui, & ſic conſulit honori natorum, dum id operam dat, ut liberorum procreatio ſit legitima, hoc eſt, fiat in conjugio, non extra illud.

Secundarius eſt ἡ Βοήθεια, Mutuum Adjutorium, conſiſtens in animorum conjunctione, & officiorum conjugalium reciprocatione fideli.

An præter duos nominatiſſimos fines conjugii, deſcriptos in textu, detur tertiarius? *Neg.*

Adeoqué vagæ libidinis coërcitio & ipſa ſit finis conjugii ex Dei inſtituentis inſtitutione? *Neg.*

Ideoq;

Ideoqué verba illa,(non eſt bonum,hominem eſſe ſolum,) tantùm ſint accipienda de prænominatis duobus finibus? *Aff.*

Neque tantùm de fine conjugii ſecundario, verùm etiam primario? *Aff.*

An iſtic conſideratum remedium incontinentiæ? *Neg.*

Talequé remedium Adamo,pro conditione ejus temporis, fuerit neceſſarium? *Neg.*

Universè, annon matrimonium πρώτως καὶ κυρίως, ſuiqué naturâ, fiat τῆς γενέσεως ἕνεκα, liberorũ procreandorum gratiâ? *Aff.*

Ideoqué non valeat matrimonium,adjectâ conditione in contrahendo, quæ ſit contra iſtam matrimonii naturam? *Aff.*

Et conſequenter, annon huic inſtituto repugnet votum continentiæ perpetuæ, quale Monachorum, votum virginitatis, quale Monialium, & in genere perpetui cœlibatus profeſſio? *Aff.*

Etiamné viduitatis profeſſio? *Neg.*

Vagavé libido, & quæ hanc libidinantium libidinem ferè comitari amant, procuratio abortus, conceptionis eluſio, expoſitio liberorum natorum? *Aff.*

Cumqué hic ſit finis conjugii primarius atque architectonicus, an ergò matrimonium contrahi poſſit ad certum tempus, donec proles ſuſcipiatur? *Neg,*

Saltem interveniente Ecclesiæ dispensatione? *Neg.*

Adeoqué, an Ecclesia dispensare heic possit? *Neg.*

Annon finis conjugii, saltem κοινώνιας, sit studiorum, consiliorum, operarum, officiorum communicatio, duobus verbis, Mutuum Adjutorium? *Aff.*

Ejusqué intuitu rectè senibus, si minùs in officium & remedium, minimùm in auxilium deficientis naturæ, detur concedatur jus nuptiarum? *Aff.*

Etiam depontanis, id est, capularibus & decrepitis? *Aff.*

Atque ita senes, licet uxoribus ob naturæ defectum non possint ampliùs uti pro uxoribus, eas nihilominnus habere possint pro sororibus, immò pro uxoribus, manente matrimonii, & nomine, & re? *Aff.*

An hunc finem quoque assequantur Eremitæ seu Anachoretæ? *Neg.*

Ideoqué ei non non repugnet vita Eremitica & Anachoretica? *Aff.*

An tam ille quàm hic locum habeat, non tantùm in hâc vitâ, sed etiam in alterâ? *Neg.*

Et convenienter conjugium sit tantùm status hujus seculi? *Aff.*

Ideoqué dissolvatur morte partium? *Aff.*

Aut

Autfiniatur potiùs,quàm diſſolvatur? *Aff.*

Alterum horum finium ſubjicit vox Matrimonii, quæ à matris nomine, non jam adepto, ſed cum omine mox adipiſcendo, id eſt, non tam ab actu maternitatis,quàm à ſpe: alterum vox conjugii, quæ à junctâ fide, ſeu jugo, quo invicem jugantur mas & fœmina, vir, inquam, & mulier, ad perferendas res ſecundas pariter atque adverſas, quoniam nubendo, non proſperæ tantùm, ſed omnis vitæ ac fortunæ,initur ſocietas. Aliter Connubium audit,quod nihil aliud, quàm jus legitimi matrimonii ſeu conjugii, uxoriſque jure ducendæ nubendique facultas, ſicut commercium emendi vendendique invicem cluit jus.

An matrimonium, conjugium, connubium, nuptiæ, ſint vocabula ſynonyma, & termini æquipollentes, ſaltem uſu loquendi? *Aff.*

Etiamné uſu artis? *Neg.*

An conjugata? *Aff.*

Et ſi,realiané,an nominalia? *Aff: Prius: Neg:Poſt.*

An rectè Scholaſtici nugivenduli matrimonii originationem arceſſant, jam à mare κατὰ νόμῳ, quaſi marinomium, jam à materiâ κατὰ μόνῳ,quaſi materinomium, jam a matre & monendo, quaſi matrimonium, id eſt, matris monitum? *Neg.*

Annnon nubendo omnis vitæ ac fortunæ

tunæ ineatur ſocietas? *Aff.*

An verba, omnis vitæ, hoc loco ſint accipienda de totâ vitâ, an de omni vitâ, hoc eſt, omni vitæ genere? *Aff: Vtr.*

Et ſi, an ergò matrimonium contrahi nequeat ad tempus? *Aff.*

Aut neceſſariò uxor comitari teneatur maritũ rebellem, homicidam, furem, proſcriptum, excommunicatum, extorrem, inquam, domo, penatibus, foro, eccleſiâ, urbe, putà, ſi domicilium alicubi conſtituerit? *Aff.*

Eâdemqué operâ ferre, quod ferendum eſt marito ex luxuriâ maleficiové? *Neg.*

Minimùm alimenta præſtare vel bannito? *Aff.*

Et, annon uxor Caini ſecuta Cainum in exilium ſit, poſt commiſſum homicidum? *Aff.*

Etiamné erronem & vagabundum tenetur ſequi uxor? *Diſt.*

Saltem tunc, ſi ſcivit eum eſſe talem tempore contracti matrimonii? *Aff.*

Itemné, ſi ignoravit? *Neg.*

Atque adeò, annon mulier uxor, ſi vir maritus antea ſolitus ſit ſæpiùs & longiùs peregrinari, videatur tacitè nupſiſſe in eam conditionem? *Aff.*

Aut, annon in caſu, quo non tenetur ſequi maritum peregrinantem, vel peregrinaturientem veriùs, interim alii poſſit nubere? *Neg.* Annon

Annon teneatur ſequi peregrinantem, ſi modica ſit peregrinatio, vel maritus ex causâ ſe transferat ad alia loca, mutando domicilium? *Aff.*

Nominatim maritum, vitæ profeſſione hiſtrionem, ludionem, circumcellionem, circumforaneum? *Aff.*

Itemné, ſi probare poſſit, quòd de induſtriâ certâ ſede non maneat, vel quòd crudeliter aut turpiter ipsâ uti cõſtituerit, quodqué licentiam tantùm, quâ ipſi nocere poſſit, non verum conſortium, captet? *Neg.*

Annon contrà maritus teneatur uxorem circumducere? *Aff.*

Et, ſicut infortunium tanti ſocii, ita crimen, vel ille, vel illa, ferre? *Neg.*

Conjugio accidunt Sponſalia & Nuptiæ, tanquam duo quidam gradus, quibus matrimonium legitimum perficitur, ideò primitùs introducti, tum ne tanti momenti obligatio protinùs, ſed duobus diſtinctis actibus, abſolveretur, tum ut medio temporis intervallo diſpici poſſet, num aliquid eſſet, quod matrimonii conſummationem impediret, quoniã conſummato matrimonio res in integrum reſtitui in virgine nullo modo poteſt, in viduâ ſine maculâ non poteſt, tum denique, ut ſic honeſtati conſuleretur, quod non videbatur poſſe fieri, ſi ſtatim, poſtquam facta eſt ſtipulatio, ad concubi-

tum effreni libidinis impetu contrahentes proruerent.

An ſic ſpondeantur nuptiæ,ut illicò contrahantur? *Neg.*

An ergò ad matrimonium requirantur præcedanea ſponſalia? *Aff.*

Et conſequenter tempus aliquod intercedere debeat inter pactũ matrimonium, & nuptias, id eſt, inter diem ſponſionis, & executionem ejus? *Aff.*

Etiamné, ſi ſponſi ſint maturi, ſponſæ nubiles? *Aff.*

Atque adeò, annon aliquantillum ſpacii dandum ſit paratui nuptiarum,conſuetudinibuſqué & dotibus expediundis, etiamſi primo die viripotentes ſponſi, viripatientes ſponſæ ſint? *Aff.*

Annon ampliandum ſubindè ex causâ, proferendumvé? *Aff.*

Saltem ante ætatem jugalem? *Aff.*

Immò etiam poſt ætatem jugalem, juſtâ & neceſſariâ de causâ, probabilivé? *Aff.*

An rectè his cauſis accenſeantur,abſentia, infortunium, invaletudo ſponſi ſponſævé, morbi & mortes ſuorum, luctus? *Aff.*

Ideoqué non abs re laborent ſuſpicionibus contracta ſponſalia, agente parente in extremis? *Aff.*

Annon præſtet ea trahere? *Aff.*

An

An interjecto hoc tempore inter ſponſalia & nuptias, poſt deſponſationem, ante copulationem, alterutri parti liceat pœnitere? *Diſt.*

Similiterné poſt juratam deſponſationem? *Diſt.*

Annon Eccleſia interim tales poſſit cogere ad matrimonium conſummandum? *Neg.*

Saltem cenſurâ eccleſiaſticâ notare ſubterfugientes judicium ejus? *Neg.*

Annon punire magiſtratus eum, qui cum ſponſâ, ſive virgine, ſive viduâ, ante benedictionis ſolennia rē habuit? *Aff.*

Ideoquê meritò culpandus ſit mos earum regionum, ubi ſponſi peractis ſponſalibus cum viduis mox cōſueſcunt? *Aff.*

Ut rem mittam in compendium, annon culpam coram eccleſiâ, præeunte in verba miniſtro, publicè debeat agnoſcere, quæ virginitatem ante benedictionem ſacram ſponſo prodidit? *Diſq.*

Quiq; ex tali concubitu tollitur filius, ſi ante nuptias ac ſolennē benedictionem mortem obeat ſponſus pater, jure illegitimi veniat, & jure quidem? *Aff.*

Sponſalia ſunt mentio & promiſsio ſive repromiſsio futurarū nuptiarū, facta legitimè & ritè inter cōtrahētes, aliàs absētes, aliàs præſentes. Tribus, quod ajunt, verbis, futurarum nuptiarum promiſſa legitima. Vel

pleniùs

pleniùs & planiùs. Sponsalia sunt contractus, quo mas fœminæ, fœmina mari, conjugium legitimè promittit, eique se conjugem futurum stipulatur, sic dicta à spondendo, quia moris fuit veteribus, spondere ac stipulari, seu stipulatione promittere, sibi hanc, & non aliam, uxorem futuram. Hinc stipulatio, sive promissio dotis, Sponsio appellatur, & qui puellam spondet, Sponsor, & cui spondetur, Sponsus, & quæ spondetur, Sponsa, actus verò ipse sponsalis, Sponsalia. Græci μνηστεία exponunt, atque in eâ mentione promissionem nuptiarum subintelligunt, geminam ob causam. Vt ita ἡ μνηστεία sit mentio promissionis in genere, in specie verò mentio promissionis conjugalis, ipsa, inquam, petitio mulieris in uxorem, ipsa actio petendi mulierem in uxorem, ipse actus exercitus ambiendi.

An in hâc materiâ differant vocabula, spondere, sponsare, despondere? *Aff.*

Annon interim autores classici utantur his promiscuè, ita ut, sicut despondere nihil est aliud, quàm se accepturum spondere, ita sponsare nihil sit aliud, quàm facere sponsalia, compromitterequé in matrimonium futurum? *Aff.*

An mentio hîc sit quælibet verbificatio, an verò gestio & dispositio? *Aff: Post.*

Adeoqué verba in hoc contractu non tã sint enunciativa, quàm dispositiva? *Aff.*

Atque

Atque adeò, an aliquid interſit, utrùm teſtatio interponatur, an quis ſine ſcripturâ promittat? *Neg.*

Dumqué ſpondent conſponſi, annon ſpondeant ſimul & ſemel omnes tres conjunctiones, perſuade animorum, ſolennium, & corporum? *Aff.*

Pactoné nudo, an conſenſu? *Aff: Poſt.*

An ergò ſufficiat nudus cõſenſus ad conſtituenda ſponſalia? *Aff.*

Et ſi, an deſideretur purus, abſolutus, præſens, an verò cum tractu aliquo temporis? *Aff. Poſt.*

Ideoqué omnia ſponſalia ſint de futuro, nulla de præſenti, cùm ſint ſpes nuptiarum, non ipſæ nuptiæ, aut nuptiæ quidem, verùm ſperatæ? *Aff.*

Eâqué de re Canoniſtæ malè hæc ſecent in ea, quæ de futuro & quæ de præſenti, per verba, ducam, duco, nubam, nubo? *Aff.*

Annon interim aliquo modo poſſint excuſari Canoniſtæ, intuitu executionis matrimonii? *Aff.*

Ideoqué diviſio hæc ſponſaliorum Canoniſtica, utut vitioſa, & non recta, tamen, quia uſu invaluit, ſit ſuo loco retinenda, ſaltem non negligenda? *Aff.*

An ergò, admiſsâ hâc diſtinctione, ſit aliquod diſcrimen inter ſponſam & ſponſam, ſponſam de præſenti, & ſponſam de futuro? *Aff.*

Et

Et illa verè ac propriè uxor, non etiam hæc? *Aff.*

Contrahantur ſponſalia ab impubere verbis præſentis temporis, de præſentiné ea, an futuro? *Aff: Poſt.*

Annon veriſimiliter ex parte puberis de præſenti, ex parte impuberis de futuro? *Aff.*

Iuvenis puellæ fidem dederit in hæc verba: Volo te habere uxorem, neque unquam deſeram, nemo nos divellet, niſi mors: Sponſaliané de præſenti, an de futuro? *Aff: Prius.*

Itemné, ſi quis dicat: Iuro, promitto, quòd nunquam aliam accipiam uxorem, præter te? *Neg.*

Annon ſaltem inde oriatur obligatio conditionalis, & contra talem detur actio, ſi acceperit aliam? *Aff.*

An ideò, quia juravit? *Neg.*

Aut quaſi juramentum ſolum efficiat ſponſalia de præſenti? *Neg.*

An ergò propter conditionis appoſitionem? *Aff.*

Condictum ſit: Si Titius moriatur, contraho: Sponſaliané, an matrimonium? *Aff: Prius.*

Dictum ſit: Placet conſentire per verba de præſenti in maritum: matrimoniumné, an ſponſalia in hâc formulâ? *Aff: Prius.*

Quid

Quid de his formulis: Promitto, quòd te deſpõſabo, quòd te deſpõſavi: ſapiuntné ſponſalia, an matrimonium? *Diſt.*

Quid de illis: Volo te accipere in ſponſum & maritum, accipio te in ſponſum & maritum: inferuntné ſponſalia, an matrimonium, an verò ſpõſalia ſimul & matrimonium? *Diſq.*

Quid iſtis: Promitto ducere & habere, accipiã & habebo: reſipiuntné ſponſalia, an matrimonium? *Aff: Prius.*

Sit dictum: Ducis me? Et redictum: Duco verò: matrimoniumné? *Aff.*

Sit dictum interrogatoriè: Sum tua uxor? Et redictum reſponſoriè: Tu es mea uxor: matrimoniumné, an ſponſalia? *Aff: Prius.*

Etiamné, ſi non præceſſerit interrogatio? *Diſt.*

Sit reſponſum ad verba alterius partis, Promitto, quòd hodiè te habebo uxorem: matrimoniumné? *Aff.*

Etiamné, ſi alter de ſponſalibus egerit, alter de matrimonio, ille de alliis, hic de cæpis, ille de anſeribus, hic de anatibus? *Neg.*

Atque adeò, an contractum ſit matrimonium, ſi ſit reſponſum, habebo, roganti matrimoninm præſens? *Neg.*

Saltem contracta ſponſalia? *Neg.*

Sit dictum: Ego vos duco in uxorem, & ſingu-

ſingulæ reſpõdeant, ego te in virum accipio: contractumné matrimonium? *Neg.*

Dicat unus: Ab hoc die te habebo in uxorem: Alter ſive alius: Ego verò habebo te uxorem: contractané, vel ab illo ſponſalia, vel ab hoc matrimonium? *Neg.*

Annon ſponſalia, ſi ſic dicam: Placet mihi tecum contrahere matrimonium, volo tecum contrahere matrimonium, volo contrahere, volo ducere? *Aff.*

Annon matrimonium, ſi ſic dicam: Volo te habere, volo te tenere in uxorẽ, volo te accipere in virum? *Aff.*

Mulier viro dicat: Tu me perpetuò ludis, ego verò vellem, te agere ſeriò: Vir mulieri reponat: Ego verò agam ſeriò, eductumqué mox digito ſuo annulum digito immittat mulieris, contractumné ex eo contractu matrimonium eſt? *Aff.*

Aut pronuncientur verba, verùm deliberatò, accitis teſtibus, ſolennibuſqué aliis cõparatis, quæ aliâs videri inepta matrimonio poterant, inferuntné matrimonium? *Aff.*

Atque adeò, an ducam, accipiam, habebo, dabo, deſponſabo, nubam, ſint verba inepta matrimonio, an verò tempus verbi? *Aff: Poſt.*

Ideoqué, ſi dubitetur, utrùm ſponſalia ſint de præſenti, an de futuro, judicandũ ſit ex verbis, an verò ex mente &

ſenten-

ſententiâ cõtrahentium, aliiſqué circumſtantiis? *Aff: Poſt.*

Si item dubitetur, an verba ſe habeant ad matrimonium, an verò ad ſponſalia, ad matrimonium, ſeu pro matrimonio potiùs, quàm ad ſponſalia, ſeu pro ſponſalibus, ſint interpretanda? *Aff.*

Etiã contra fundantem ſe in verbis? *Aff.*

Annon interim, ſaltem ὡς πολὺ, & ſecũdum communem contrahendi ſtilum, ſponſalia exprimantur per verba futuri temporis, matrimonium per verba præſentis temporis γραμματικῶς? *Aff.*

Etiamné Λογικῶς? *Neg.*

An obligent contracta? *Aff.*

Et ſi, an præcisè? *Neg.*

Adeoqué promiſſio ſponſalitia ſit per emtoria, atque omninò cogens, ita ut alter contrahentium ducere, alter nubere teneatur, uterque abſciſsè? *Neg.*

Annon interim ex his detur actio? *Aff.*

Perqué ſponſalia ſponſus obligetur in tantum ſponſæ, ſponſa ſponſo, ille ad ducendum, hic ad nubendum? *Aff.*

An per acceptionem munerum, oſcula, amplexus, deducantur in matrimonium? *Neg.*

Vlteriusvé tentamentum? *Diſt.*

Nominatim per cognitionem carnalem? *Aff.*

Universè, an contrahere poſſint omnes

nes ſponſalia, qui & nuptias? *Aff.*

An itẽ omnes nuptias, qui ſpõſalia? *Neg.*

Ideoq; etiã, qui ducere & nubere nequeunt, poſſint nihilominùs deſponderi? *Aff.*

Etiam impuberes? *Aff.*

An hi, ſicut poſſunt contrahere ſponſalia de futuro, ita poſſint cõtrahere ſponſalia de præſenti? *Neg.*

Aut quovis tempore? *Neg.*

Etiam à primordio ætatis? *Neg.*

Atque ante ſeptimum annum, ſeu expletum ſeptennium? *Neg.*

Annon ſufficiat, ſi ultimus anni dies ſit cœptus? *Aff.*

Aut modicum ſuperſit de nominatiſſimo anno? *Neg.*

Anticipationiqué heic ſit locus, etiam cis ſeptimum annum? *Neg.*

Præſertim, ſi malitia ſuppleat ætatem? *Diſq.*

Aut major ſeptennio, cum minore, proximâ tamen ſeptennio, cõtrahat? *Neg.*

Vel pro contrahentibus ſpondeant parentes? *Neg.*

An ergò contracturos ſponſalia, ſecundum legis taxationem, ad minimum conveniat eſſe ſeptennes? *Aff.*

Ideoqué, ſi contrahentes ſint infra aut intra illam ætatem, nullius momenti ſint ſponſalia? *Aff.*

Ne quidem, ſi parentum conſenſu juſ-

ſuvé

ſuvé ſint inita, vel inter utramque, vel inter alteram perſonā minorennem? *Aff.*

Annon nihilominùs ſic contracta convaleſcant temporis tractu, ſequenti habitatione? *Aff.*

Aut, ſi deſponſi ex parentum conſenſu impuberes, ætatis defectū ſupplente malitiâ, coërint? *Aff.*

Atque adeò, annon etiam in ſponſalibus his interpretativis, ut quidem ea vocant Canoniſtæ, neceſſarius ſit, non tantùm parentum, verùm etiam contrahentium conſenſus? *Aff.*

Ideoqué, ſi adultiores facti mutârint animum, & cōtraxerint aliud matrimonium, volentibus tamen ac faventibus parentibus, illud valere debeat, non ſponſalia? *Aff.*

Itemné, ſi nolentibus? *Neg.*

Eaqué propter, ne quidem completo atque exacto ſeptennio, contrahere poſſit filius abſque patre tutorevé? *Aff.*

An olim ante decimum vel undecimum annos ſolita fuerint contrahi? *Neg.*

Annon ſaltem ante duodecimum? *Aff.*

Eamqué ob cauſam valuerint ſponſalia, illo tempore contracta, ſi verbis res eſſet peracta, & ſic eſſet dictum: Ego te in uxorem accipio, ſuo videlicet tempore: etſi contrahentes eſſent impuberes? *Aff.*

Etiamné, ſi promiſſionem habuiſſent de nuptiis cōtrahendis ante duodecimum annum,

annum, & legitimam ætatem? *Dist.*

Aut in gradibus prohibitis? *Neg.*

An ergò, ubi nuptiæ inhibitæ, ibi etiam sponsalia inhibita esse intelligantur? *Aff.*

An sponsalitia, convivium, arrhæ, stipulationes, desiderentur ad contrahenda sponsalia? *Neg.*

Ideoqué ea sine his quoque possint contrahi? *Aff.*

Atque adeò, an adhuc sponsalia fiant interpositis stipulationibus, sic dictis, quòd actum facerent stipulum, id est, firmum? *Neg.*

An fœminæ quoque potuerint stipulari? *Neg.*

Saltem parentes, & filiis, & filiabus? *Aff.*

An absens absenti quoque possit desponderi? *Aff.*

Et consequenter sponsalia possint fieri per epistolam, interpretem, proxenetam, procuratorem, sequestres nuncios ac renuncios? *Aff.*

Annon interim requiratur, ut sit missus nuncius ille, per quem contrahi dicitur matrimonium? *Aff.*

Ideoqué non sufficiat, ut quis sponte suâ eat, & nunciet, se audîsse, cum Titius dixit, velle se Cajam capere in uxorem? *Aff.*

Et,

Et, an tale matrimonium ratificetur, ſic contractum? *Neg.*

Ideoqué accedere debeat ratihabitio? *Aff.*

Annon ſufficiat tacita? *Diſq.*

An idem jus heic ſervetur & teneat in ſponsâ abſente, quod in ſponſo? *Aff.*

An ſponſi rectè appellentur conjuges? *Neg.*

Saltem conjuges initiati? *Aff.*

An his jus tori? *Neg.*

Eaqué propter ſint puniendi, ſi jure eo velint uti? *Aff.*

Annon interim ſponſa efficiatur eo ipſo, dum ſpondet, de foro & domicilio ſponſi? *Neg.*

Adeoqué, ſicut ſponſalia à nuptiis, ita ſponſa differat à nuptâ? *Aff.*

An ſit vidua, quæ fuit ſponſa? *Neg.*

Aut ab eâ lugendus ſit ſponſus? *Neg.*

Eademné, quæ pacta, ſperata? *Aff.*

An ergò ſperata, pacta, ſponſa, ſint vocabula ſynonyma? *Aff.*

Itemné vox deſtinata? *Neg.*

Sponſalia hæc universè vel Pura ſunt, vel Conditionata: Quorum illa ſine conditione, hæc cum conditione contrahuntur.

Conditio illa vel Licita eſt & Poſſibilis, vel Illicita & Impoſſibilis.

Conditio Licita eſt, quæ non eſt contra naturam aut honeſtatem matrimonii.

Con-

Conditio Poſsibilis eſt, quæ in manu ac poteſtate eſt contrahentis.

Conditio Illicita atque Impoſſibilis contrà: Quæ ideò habentur pro non adjectis, id eſt, aut nullis, aut annullativis.

An ſponſalia, ubi purè unus, alter ſub conditione contraxit? *Neg.*

Et, an ſponſalia poſſint contrahi ſub conditione? *Aff.*

An teneat conditio, ſi alter ei non conſenſit? *Neg.*

Matrimoniivé contractus conditionalis, non extante conditione? *Neg.*

Saltem tunc, quàndo ſponſalia ſub conditione ſecutus eſt concubitus? *Aff.*

Aut, ſi ſublata conditio eſt? *Aff.*

Conſenſuſné matrimonialis, an verò ſponſalitius, cum dico, accipio te uxorem, ſi centum dederis? *Aff: Poſt.*

Matrimoniumné, an ſponſalia ſub conditione, ſi dico, accipio te uxorem, cum id fiet? *Aff: Poſt.*

Contraxi ſub conditione, ſi patri placeret, ſponſaliané? *Aff.*

Sit conditio honeſta, pertinens ad conjugium, annon ſuſpenditur conſenſus, matrimoniumqué impeditur, donec impleatur conditio? *Aff.*

Aut annon, ſi conditio quidem ſit licita, verùm peregrina, ut, ſi Romanus vicerit Parthum, favore matrimonii habeatur

tur pro non adjectâ? *Neg.*

Quid de necessariâ conditione, si cras sol orietur, vitiatné & ipsa? *Neg.*

Quid de turpi, eâvé, quæ est contra naturam matrimonii, ut, si furtum feceris, si patrem occideris, si sines te cognosci cognitione fornicariâ, si te adulterandam tradideris, si quæstum, si abortum feceris, si vites generationem, si virginem te invenero, donec aliam, vel ditiorem, invenero, quàm diu mihi fueris bona, accipio te ad biennium, vitiantné? *Aff.*

Atque adeò, an matrimonium possit contrahi sub conditione turpi ac resolutoriâ matrimonii? *Neg.*

Omnesné turpes conditiones sint ejusdem generis? *Aff.*

Ideoqué vitient omnes? *Aff.*

An & hæ conditiones sint turpes, si castè vives, si conjugale debitum negaveris, quoties id mihi exigere non licet? *Neg.*

Aut contra substantiã matrimonii illa, si veneris ad exequias meas? *Aff.*

Quid de conditione palàm impossibili per naturam, ut, si quis dicat ad cæcam, & visu orbatam, accipio te uxorem, si me videris, aut de facto impossibili, ut si quis dicat, accipio te, si digito cœlum tetigeris, vitiantné? *Aff.*

Etiamné illa conditio sit impossibilis,

si Pontifex dispensabit, aut, si licebit ducere consobrinam? *Neg.*

Utraque Sponsalia vel Publica sunt, vel Clandestina.

Sponsalia Publica sunt, quæ palàm contrahuntur, in præsentiâ testiũ idoneorum, & publicà autoritate eorum, qui matrimonio de jure, & possunt, & debent copulare.

An locus faciat, ut quid sit publicum, vel privatum? *Neg.*

Inqué loco publico possit quid fieri clam, & contrâ in privato publicè? *Aff.*

In loco publico sponsalia clandestina, & contrà in privato publica? *Aff.*

An sponsalia publica semper valeant? *Neg.*

An nominatim in gradibus de jure divino prohibitis? *Neg.*

Annon anteferenda clandestinis, si hæc concurrant? *Aff.*

Etiamné, si antecedant, putà, si sponsus & sponsa cõfiteantur, se sponsalia clãdestina priùs contraxisse, idqué probent per unum testem, vel publicam famam viciniæ? *Aff.*

Annon saltem hæc illis, clandestina publicis, si ad clandestina sponsalia accesserit copula? *Neg.*

Quòd si utraque pars confiteatur sponsalia publica, vel una pars neget, verùm

per

per alteram probetur, quæritur, possintné compelli ad consummandum matrimonium contrahentes? *Aff.*

An ergò per unius confessionem plenè probetur matrimonium? *Neg.*

Saltem utriusque confessio partis probet plenè pro matrimonio? *Aff.*

Itemné, si videantur fateri ad vitandam pœnam? *Neg.*

Aut in præjudiciũ alterius matrimonii? *N.*

Annon saltem tunc probet plenè confessio unius, si currat adversus cõtractum matrimonium in incommodum ipsius fatentis, ad tori separationem? *Dist.*

An uni huic, stante simul famâ, sit credendum, alleganti propriam turpitudinem? *Dist.*

An in specie probetur matrimonium hâc confessione, si quis fateatur, se, ut muliere potiretur, non animo contrahendi eam sponsâsse? *Aff.*

Siqué probata verba sint, quæ matrimonium indicunt, censeatur simul probatum matrimonium? *Aff.*

Etiamné, si probata sint facta, quæ afferunt & inferunt matrimonium? *Aff.*

Annon facta verbis heic sint pleniora & potiora? *Aff.*

Omnibusné, etiam solennizatis? *Neg.*

Atque adeò, annon ex instrumento nuptiali quoque etiam probetur matrimonium? *Aff.*

Aut, annon præsumatur matrimonium contractum, si nec de contracto, nec de contrahēdo matrimonio loquatur instrumentum, sed de matrimonio simpliciter? *Aff.*

An item, si de ipso matrimonio, & de verbis, per quæ illud est contractum, sit instrumentum? *Aff.*

Aut in alio instrumento publico appellatio uxoris sit perscripta? *Dist.*

Annon nominatio, cohabitatio, coitio, fama, simul juncta, probent matrimonium? *Aff.*

Æqualitasvé magna? *Aff.*

Quid de testibus, an desiderantur & ipsi in matrimonio contrahendo? *Aff.*

Et si, an semper? *Neg.*

Aut quivis? *Neg.*

Et, si non, an omni exceptione majores? *Aff.*

Vnusné, an plures? *Neg: Prius: Aff: Post.*

Quinquené ad minimum, an verò septem, octové, decemvé, quindecimvé? *Neg.*

Adeoqué fraudulentum sit, quod cum minori numero sit? *Neg.*

An certus numerus possit definiri? *Neg.*

Ideoqué requirantur plures paucioresvé pro contrahentiū qualitate, locorumqué ac temporum opportunitate? *Aff.*

Si

Si plures, uniné magis pro matrimonio ſit credendum, quàm pluribus contra matrimonium? *Diſq.*

Etiamné Doctori, dicenti pro? *Diſq.*

Vel ſi ſentiat contra communem? *Neg.*

Ut pertexam cœptam telam de teſtibus, poſſuntné eſſe teſtes in materiâ matrimonii aleatores, & in genere homines infames de facto? *Neg.*

Saltem ignobiles, tenues, humiles? *Aff.*

Etiamné pauperes? *Diſt.*

Nominatim pauperes, qui tales ſunt facti ſuâ culpâ? *Neg*

Neque pauperes tantùm, verùm etiam mendici? *Neg.*

Ipſæ quin etiam fœminæ? *Aff.*

Vel cum ſine viri volunt dicere teſtimonium conſenſu? *Aff.*

Quid de proxenetis, aut proxeneticum habētibus, poſſuntné eſſe mediatores hâc parte? *Diſt.*

Annō ſaltem volente utrâqué parte? *Aff.*

Quid de nunciis & domeſticis, an horum teſtimonium valet in matrimonialibus? *Diſt.*

Annon domeſtici pro domeſtico, ſi commodum & incommodū vertatur inſeparabile? *Aff.*

Quid de amicis & compatribus, annon ſaltem horum teſtimonium recipiendum in præſenti contractu? *Diſt.*

Quid de cognatis, ſtatné teſtimonium, quod perhibetur ab his in causâ cognatorum circa matrimonium? *Diſt.*

Annon, cum valdè ſunt honeſti, quì ſupra communem famam aliquid habēt, cum juncti utrique parti, cum ejus quoque cognati partis, quæ affectare matrimoniū non habet, pro quâ dicere ad matrimonium obligandum nunc volunt teſtimonium? *Aff.*

Itemné, ſi ſoli veniant dicere teſtimonium de matrimonio, quod coram multis aliis contractum eſt, ſi plures numero ſoli, cum teſtimonium venit contra matrimonium? *Neg.*

Annon, ſi nulli alii interfuiſſe dicantur contractui matrimonii præter cognatos, aut, ſi non repellantur penitus? *Aff.*

Similiterné, ſi affectio cognatorum ſit ad ipſum matrimoniū, ſequé percupidos eſſe oſtendant matrimonii, ſiqué injuria fieret ſic cognationi, non ſequente matrimonio, neque tam teſtimonium dent affectioni in cognatum, quàm affectioni ad rem præſentem? *Neg.*

Aut, ſi majorem habeant affectionem ad unam partem, cum dicunt contra matrimonium? *Neg.*

Sint uterque nobiles & divites, ſed alter nobilior & ditior, an excludentur à teſtimonio ferendo, qui cognati ſunt partis

tis minùs nobilis & divitis? *Neg.*

Virqué adeò sit nobilis, qui plebejam admodum diligat, an admittentur cognati, ut de matrimonio contracto probent? *Disq.*

Annon saltem, ut probent de vehementiâ amoris? *Aff.*

An mater heic suspectior sit consanguineis? *Aff.*

Convenienterqué pater & frater? *Aff.*

Annon interim magis recipiatur testimonium patris pro filio, fratris pro fratre, quàm matris pro filio filiâvé? *Aff.*

Sponsalia Clandestina sunt, quæ clam, remotis arbitris, & nullis testibus idoneis præsentibus, aut in præsentiâ testium quidem, sed citra consensū parentum, eorumvè, qui parentum sunt loco, contrahuntur.

An sponsalia clandestina sint sponsalia substantialiter? *Neg.*

Saltem apud Deum? *Neg.*

An ideò rectè prohibeantur legibus? *Aff.*

Omniané illa sint clandestina sponsalia, quæ contra prohibitionem generalem vel specialem, expressam vel tacitam, contrahuntur? *Neg.*

Quæqué quid habent clandestinitatis? *Neg.*

Annō interim sola per se clandestinitas vitiet sponsalia? *Aff.*

Etiamnè matrimonium? *Aff.*

Atque adeò, an dicantur clam facta ſponſalia matrimoniumvé, quæ per interpoſitam perſonam ſunt facta, aut quibuſdam amicis intervenientibus? *Diſt.*

Sine teſtibus omninò, vel cum teſtibus, verùm clam eos, quorum intereſt? *Aff.*

Noctuvé? *Diſt.*

Aut in gradibus prohibitis? *Neg.*

Annon, cum teſtibus injungitur notariové, ne quid dicant? *Diſt.*

An clandeſtinum matrimonium, quando in periculo mortis cõtrahitur cum eâ, ex quâ erat proles, & quidem abſque teſtibus, quòd non vacet tum cõtrahere publicè? *Neg.*

An clandeſtinum matrimonium, ſi præmiſſa edicta non ſunt, denunciationeſqué factæ non ſunt, quas præmitti ex conſuetudine oportebat, etiamſi ſit cõtractum in præſentiâ plurium teſtium? *Aff.*

Annon aliquâ ſuſpicione laborent teſtes, qui dicunt, ſe matrimonio clandeſtino interfuiſſe? *Aff.*

Adeoqué, an ullus numerus teſtium ſit ſatis, ſi ſecretò res acta? *Neg.*

Nuptiæ ſunt ſolennis ligitimorum ſponſaliorum benedictio & conſummatio, ſive, quod eodem recidit, legitima viri & mulieris conjunctio, individuam vitæ conſuetudinem continens: ſic dictæ à nuptu, hoc

eſt,

est, opertione vel velamento, quòd velum lutei coloris, (flammeum vocabant,) capiti sponsæ obduceretur, in signum pudoris, vel etiam subjectionis, ut sciret, se viro subjectam esse, & disceret esse humilis.

An nomen nuptiarum denotet conjunctionem animorum & corporum, an verò solennitatem celebritatem & festivitatem circa illã conjunctionem? *Dist.*

Annon solennitas illa potiùs sit accidens nuptiarũ, & concubitus seu corporum conjunctio usus atque opus nuptiarum? *Aff.*

An ut sic rectè dicantur solvi? *Neg.*

Aut an desiderent ut sic concubitum? *Neg.*

Atque adeò, an viri æquè ac fœminæ dicantur nubere? *Aff.*

Ideoqué vocabulum nubendi sit & activum, & passivum? *Aff.*

An de viro non dicatur, nisi fœdè atque inhonestè? *Neg.*

Annon interim nubere ad fœminas pertineat, ducere ad viros? *Aff.*

Et an illæ nubant viris, an verò cum viris? *Aff: Post.*

Aut annon sibi nubant invicem? *Aff.*

An vir absens possit ducere, fœmina non item nubere absens, seu duci absens? *Aff.*

Annon saltem absenti, seu accipi absens? *Aff.*

An ergò nuptiæ posſint fieri inter abſentes? *Aff.*

Omninè tempore, etiam quadrageſimali? *Aff.*

Et, an rectè menſe Majo non nupſerint priſci, viduæ feſtis tantùm diebus, virgines cæteris, exceptis iis diebus, qui vulgò inauſpicati habebantur? *Neg.*

Aut nonniſi vere Perſæ, noctu Lacedæmonii? *Neg.*

An aliquid interſit, utrùm ſimul an ſeparatim habitent nupti, conjunctim an ſeorſim? *Diſt.*

Annon interim unum idemqué uxori cũ marito ſit & eſſe debeat domicilium? *Aff.*

Ideoqué mulier nubendo mutet domicilium? *Aff.*

Domuſqué adeò mariti ſit domicilium matrimonii? *Aff.*

Eò quòd individua vitæ ſocietas nõ permittat, ut aliud uxoris aliud mariti ſit domicilium? *Aff.*

An domicilium quoq; mutet ſponſa ante contractas nuptias? *Neg.*

Quid de Caricarum mulierum conſuetudine, quarum nulla cum marito cepit cibum, probandané? *Neg.*

Earumvé, quæ maritum deſerunt, neceſſariò alium locum domicilii quærentem, approbandané? *Neg.*

Ritus

Ritus Nuptiarum & Nuptialium Sacrorum varii apud varios fuerunt, alii priſcis moribus ac temporibus in Paganiſmo, alii noſtris in Chriſtianiſmo.

An ſolennitates nuptiales pertineant ad eſſentiam matrimonii? *Neg.*

Annon interim conſenſus, nuptias efficiens, per ſolēnia, velut per gradus quoſdam, progrediatur? *Aff.*

Ritus Paganorum universè plus religioſitatis quàm religionis habuerunt. His peragendis tres dies deſtinati, quorum primus appellitabatur Προαύλια, *proximus* Αὐλια, *ultimus* Ἐπαύλια.

Προαύλια *continebant deſponſationem virginis, & ejus ſolennia.*

Αὐλια *ipſas nuptias, & harum ſolennia.*

Ἐπαύλια *repotia, erantque quaſi appendicula quædam nuptiarum, & nuptialium ſacrorum.*

An rectè in deſpondendo Macedones Thraces Triballi panem gladio diviſum, Numidæ lutum ex utriuſque contrahentis ſputo temperatum, Teutones capitis raſuram, Cimbri unguium ſegmenta, Armenii aurium inciſionem, Elamitæ digitorum annularîum cæſuram, Sicyonii calceos, Pannones lares argenteos adhibuerint? *Neg.*

Aut, an rectè cæsci in nuptialibus sacris obsérvârint auspicia, secutiqué omina sint immolato porco in honorem Iunonis, exemto felle, igne & aquâ lustralibus in limine positis, accensis facibus pineis, comâ novæ nuptæ hastæ cuspide discriminatâ, adhibitis ferreo annulo sine gemmâ, & tribus assibus, quorum unum in manu ferre spõsa, alterũ in pede, tertiũ in sacciperio, farre item tosto & cibis Venereis superadditis, ducto hymenæo cũ choreis, prælato asparago, nucibusqué sparsis? *Neg.*

Annon saltem id rectè, quod sponsæ prætulerunt colum cum lanâ, & fusum cum stamine, tanquam futuri operis auspicia? *Aff.*

Quodqué præcinuerunt hanc cantilenam: ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον? *Aff.*

Nodumqué Herculeum adhibuerunt? *Neg.*

Clavemvé tradiderunt ad designandum dominium? *Aff.*

Etiamné tunc rectè, si eam tradiderunt ad designandam partus felicitatem? *Neg.*

Aut, quod inunxerũt postes adipe, lectũqué in atrio domus ad ipsam januam posuerunt, ad connotandam eandem? *Neg.*

Ritus Christianorũ constãt Proclamatione, Copulatione Publicâ, Mutuâ Arrharum Exhibitione, Officii Conjugalis Recitatione, Convivio Nuptiali, & Deductione ad Domum

mum Sponſi. Quorum rituum alii ſunt de neceſſitate conjugii, alii de honeſtate: de neceſsitate duo primi, de honeſtate reliqui.

Annō propter homines & leges deſideretur publicatio conjugii, denunciatioqué certificatoria? *Aff.*

Et conſequenter, annon trinundina promulgatio in ſolenni cœtu eccleſiæ noſtris moribus ſit neceſſaria? *Aff.*

Sicut & ſolennis nuptiarum in eccleſiâ benedictio? *Aff.*

An vetus, & juſtis de cauſis introducta? *Aff.*

Annon videri poſſit profecta eſſe à primâ illâ benedictione, quâ Deus Adamo copulavit Evam? *Aff.*

An ergò neceſſe ſit neceſſitate abſolutâ, ut nuptiæ celebrentur in eccleſiâ? *Neg.*

Annon illic celebratæ ſint maximè publicæ? *Aff.*

Atque adeò, annon conventus hominum fidelium faciat eccleſiam, atque ut in facie eccleſiæ dicatur contractum eſſe matrimonium? *Aff.*

An nuptiæ neceſſariò deſiderent dotem, donationem propter nuptias, inſtrumenta dotalia? *Neg.*

Arrhaſvé? *Neg.*

Annon interim dentur utiliter, tanquam ſignum argumentum & pignus contractus? *Aff.*

Et ſi,

Etsi, an queant duplicari, triplicari, quadruplicari, & in genere augeri? *Aff.*

An in quâcunque quantitate augeri, ita ut excedant dotem, & donationem propter nuptias? *Neg.*

Universè, parvænè potiùs sint dandæ, quàm magnæ? *Aff.*

Quòd si arrhæ traditæ non sint, & confessio sit de ipsis receptis, annon propter confessionem censeantur corporaliter traditæ? *Dist.*

An inducant sponsalia, nisi aliæ significationes concurrerint? *Neg.*

Annon saltem tunc, si accesserit osculum, manuum junctio, vel matrimonii tractatus? *Neg.*

Minimùm, si tractatum matrimonii consuetudo mox & concubitus sit secutus? *Aff.*

Tractatuivé de matrimonio tractatio maritalis fuerit juncta? *Aff.*

Atque adeò, annon hæc tractatio maritalis probet saltem quasi possessionem matrimonii? *Aff.*

Quid de convivio nuptiali, an necessarium? *Neg.*

Quid de deductione solenni sponsæ in domum mariti, an necessaria simpliciter? *Neg.*

An quid faciat, an verò potiùs ostendat factum? *Aff: Post.*

An-

Annon ſponſalia tranſeant in matrimonium per ductionem ſponſæ in domum ſponſi, ſi ductio facta ſit nuptiali formâ, atque ad manendum? *Aff.*

Itemné, ſi illa, quæ domum ducta eſt, ſit impubes? *Neg.*

Adeoqué teneat donatio, quæ fit in viâ, dum ducitur uxor ad viri domum? *Neg.*

Annon facta in domo viri? *Aff.*

An ergò inde, quòd vir domum adeat mulieris, mulier ædes frequẽtet viri, quòd domi fuerit puella, in mensâ, in lecto, ocyùs inferantur ſponſalia matrimoniumvé? *Neg.*

Annon tunc, ſi acceſſerit & nomen uxorium, & quid aliud, quod ſoli uxori convenit? *Aff.*

CAPUT VI.

Cõſtitutio Societatis Domeſticę Perſonalis Simplex Integralis Principalis, continens alteram Societatem Simplicem, quę dicitur Paterna. Societas Paterna definitur. Ejus proponuntur atque exponuntur Cauſæ, & ipſæ bis binæ numero. Cauſa Conficiens ejus Remota, Propinqua, Proxima, tam Ordinaria, quę Coitus, quàm Extraordinariæ, quę

Legi-

Legitimatio & Adoptio. Quid utraq;, & quotuplex? Vbi de Conjunctione seu Vnione Prolis quædam παρεμβολικῶς: Convenienterqué de iis, qui per Naturam, vel Legem, nequeunt adoptare. Materia subindè, seu Personę Societatis hujus Constitutivæ. Earum definitio, & alterarum, putà Liberorum, divisio in Legitimos nec Naturales, Naturales nec Legitimos, & Legitimos & Naturales, nec Legitimos nec Naturales. Forma præfatæ societatis, & Finis, isqué duplex. Dubia, seu Quęstiones Controversæ, incidenter & pro re natâ.

CONstitutio Societatis Domesticæ Personalis Simplex Integralis est, quæ continet partes ejus integrantes.

Estque vel Principalis, vel Minùs principalis.

Constitutio Societatis Domesticæ Personalis Simplex Principalis complectitur alteram Societatem Simplicem, quam vocant Paternam, proximè cùm naturalem tum necessariam ad τὸ εἶναι sive esse ejus

ὁλομε-

ὁλομελὲς *integrale.*

An ſocietas paterna ſit pars eſſentialis familiæ, adeoqué neceſſaria ad eſſe ejus ſubſtantiale? *Neg.*

Annon interim concurrat ad ejus, non quidem ſupplementum, ſed complementum? *Aff.*

Et ſi, an ſicut res familiaris? *Neg.*

Aut ut effectus? *Neg.*

Vel ut finis? *Neg.*

Minimùm ut pars? *Aff.*

Annon finis aliquandò poſſit eſſe pars? *Aff.*

Etiamné tunc, ſi partium ea ſit conditio, ut ſuâ operâ producant finem? *Neg.*

An hæc conditio hîc habeat locum? *Neg.*

Adeoqué ſocietas hæc non tam inchoativè conſideranda ſit, ſeu ratione ortus, quàm perfectivè, ſeu ratione termini, id eſt, non tam in eſſe ſuo producibili, quàm in eſſe producto? *Aff.*

Neque ut pars familiæ conſtitutæ, verùm ut conſtituendæ? *Aff.*

Societas hæc Paterna, ἡ Κοινωνία Παλεικὴ, *eſt altera ſocietas domeſtica perſonalis ſimplex integralis principalis, vigens inter parentes & liberos, per naturalem conſecutionem aut civilem deducta ex primâ ſimplici, dividuam vitæ conſuetudinem continens, inſtituta ſecundum naturam, ad propagationem,*

nem, hoc est, generis conservationem in specie, quoniam in individuo id conservare per naturæ leges non licet.

An societas paterna sit societas contradistincta à conjugali? *Aff.*

Ideoqué per eam accedat relatio aliqua nova, quæ in conjugali societate non fuit? *Aff.*

Causæ ejus & ipsæ bis binæ numero: Efficiens, Materia, Forma, & Finis.

Causa Efficiens Societatis Paternæ, vel Remota est, vel Propinqua, vel Proxima.

Causa Efficiens Remota est Deus Optimus Maximus, paternitatis & filiationis æternum ac castigatissimum exemplar, unde omnia alia exempla paternitatis & filiationis in hominibus.

An societas paterna seu patria sit institutionis divinæ? *Aff.*

Et consequenter sancta, ac Deo placens? *Aff.*

Contrariaqué sterilitas, oppositа liberorum generationi, inter maledictiones divinas, atque in pœnis? *Aff.*

Semperné? *Neg.*

Saltem ὡς ἐπὶ τὸ πολύ? *Aff.*

Ideoqué, sicut ἡ ἀτεκνία in malis, ita ἡ πολυτεκνία καὶ εὐτεκνία in bonis, dispēsativè? *Aff.*

Et tam illa, quàm hæc, fatalis? *Aff.*

Causa

Causa Efficiens Propinqua est Natura, quæ dictis hominibus, quasi cum lacte materno, præter procreationis appetitum, insinuavit amorem erga natos.

An societas paterna seu patria quoque sit institutionis naturalis, seu de naturæ instituto? *Aff.*

Eaqué propter appetitus generandi convenienter ex naturâ & sexus discrimine deducatur? *Aff.*

Adeoqué, procreatio sobolis,& cura ejus, quod procreatum est, utraque in secundis sit accepta ferenda naturæ? *Aff.*

Causa Efficiens Proxima, vel Ordinaria est, vel Extraordinaria.

Ordinaria est Coitus, sive Legitimus, sive Illegitimus.

An relatio paternitatis & filiationis non tantùm oriatur ex congressu legitimo, sed etiam illegitimo? *Aff.*

Ideoqué nihil interfit, saltem istactenus, utrùm quis vago concubitu sit susceptus, an verò certo, ordinato, legitimo? *Aff.*

Extraordinaria est Legitimatio & Adoptio.

Legitimatio est actus, quo quis legitimatur, id est, ex illegitimo fit legitimus.

Estque duplex. Vel enim fit per Principis Rescriptum, vel per Subsequens Matrimonium.

An

An legitimatio vitium ipsum extinguat, an verò prohibeat tantùm, ne edat effectus, qui illegitimos sequuntur? *Aff: Post.*

Annon, ut legitimatio sit valida, necessarius sit consensus, non tantùm legitimantis, sed etiam legitimati? *Aff.*

An id etiam teneat in legitimatione infantis? *Neg.*

Ideoqué legitimatio infantis valeat etiam absque ejus consensu? *Aff.*

Annon saltem in legitimatione puerorum infantium desideretur horum consensus, postquam fuerint facti majores? *Neg.*

An legitimatio faciat verè legitimos, an verò fingat potiùs? *Aff: Post.*

Ideoqué legitimati non tam sint legitimi, quàm habeantur pro legitimis, hoc est, sint legitimi Politicè atque Oeconomicè, non etiam Ethicè? *Aff.*

Consequenterqué, legitimati quidem dici possint, non item legitimi? *Aff.*

An admittendi ad sedilia nobilium, & principatuum successiones? *Dist.*

Saltem ad collegia? *Dist.*

Nominatim opificum? *Aff.*

Eaqué propter statuta opificum, de spuriis non admittendis ad artificia, ad legitimatos nequeant applicari? *Aff.*

Et in genere legislatorum sanctiones, de his non admittendis ad dignitates atque honores? *Aff.*

Legi-

Legitimatio, quæ fit per Principis Reſcriptum, nihil eſt aliud, quàm imputatio gratuita honoris jurium ac privilegiorum, quibus licet uti frui legitimis.

An Princeps tantùm poſſit diſpenſare, Pontifex verò Romanus legitimare, & quidem pleniſſimè, id eſt, tam collativè, quàm reſtitutivè? *Neg.*

Pluſqué ad legitimandum valeat autoritas hujus, quàm illius? *Neg.*

Adeoq; Princeps tantùm in ſuo territorio queat legitimare, Pontifex etiam in alieno? *Neg.*

Si minùs directè, ſaltem indirectè? *Neg.*

Et conſequenter legitimatio Pontificis corrigat ipſam radicem matrimonii, contra juris prohibitionem contracti, Principis verò legitimatio non extinguat vitium, ſed ſupprimat tantùm ſecundum quid, ne edat effectus? *Neg.*

Atque adeò, an vel ille vel iſte poſſit omnem maculam ſpurietatis, ortam ex defectu natalium, ſeu radicem vitioſitatis illegitimæ, quâ infectus eſt ſpurius, delere funditus, ut nulla planè remaneat litura, à jure naturæ inuſta, nulla cicatrix vulneris, in legitimato? *Neg.*

Tollere, inquam, cauſam, ex quâ exſurgunt illegitimi, atque abolere labem genituræ per reſtitutionem ad jus naturæ? *Neg.*

Concubitumq; vagum canonizare, hoc eſt,

est,ex fornicario facere conjugalem? *Neg.*

Et vel ipse Deus restituere virginem post ruinam? *Neg.*

An nominatim Pōtifex possit legitimare ad Feuda cujuscunq; generis, etiã ea, quæ vocant Dignitatum, seu Regalia? *Neg.*

Annon saltem Princeps? *Dist.*

Vel cum præjudicio populi, & legum fundamentalium? *Neg.*

Idcircoqué sic legitimatus ad successionem regni,jure ab eâ possit repelli? *Aff.*

Universè, an Princeps possit potestate hâc restituendi natalibus uti in præjudicium tertii? *Neg.*

Nataleſqué suorum subditorum versare pro libitu? *Neg.*

Et vel in alterius territorio legitimare? *Neg.*

Annon interim, legitimati etiam extra territorium legitimantis, pro talibus debeant agnosci,vel vicinitatis jure? *Aff*

Atque adeò, annon Principis rescripto legitimari quoque possit nepos ex filio spurio præmortuo? *Aff.*

Etiam infans? *Aff.*

Immò nondum natus? *Aff.*

Immò Principis ipsius, qui legitimat, filius illegitimus? *Aff.*

Et consequenter Princeps absolutus per se ipsum dispensare possit cum liberis? *Aff.*

Et si, an quà pater, an verò quà Princeps? *Aff: Post.*

Ut

Ut breve faciam: Annon in his omnibus legitimatio Principis omni vitio & obreptionis & ſurreptionis carere debeat? *Aff.*

Ideoqué, cum quem legitimat, citandi ſint omnes, quorum intereſt? *Aff.*

Nominatim legitimi, ſi qui ſunt, & agnati, præſertim proximiores? *Aff.*

Legitimatio, quæ fit per Subſequens Matrimonium, nihil eſt aliud, quàm poſticipatio legitimarum nuptiarum, conſenſu ſuperioris facta, ſuperinducta in favorem liberorum legitimandorum, & ſolatium ſterilis infœcundivè conjugii.

An poteſtas legitimandi etiam competat privatis? *Neg.*

Et, ſi non, an in legitimatione, quæ fit per ſubſequens matrimonium, opus ſit publicâ autoritate? *Aff.*

Ideoqué neceſſe ſit, ut pater, qui legitimare cupit ſuum per ſubſequens matrimonium, exprimat Principi, ſe vel noluiſſe, vel etiam non potuiſſe dignè commodevé cum concubinâ contrahere matrimonium? *Aff.*

An ſubſiſtat legitimatio, etiamſi matrimonium contractum ſit in articulo mortis? *Aff.*

Aut à ſene decrepito, in quo non eſt ſpes prolis? *Aff.*

Annon requiratur, ut conjuges ſint æ-

qualis

qualis conditionis? *Neg.*

Atque adeò, an filius per ſubſequens matrimonium legitimetur, ex illegitimo coitu conceptus, tempore, quo matrimonium eſſe non poterat? *Diſt.*

Nominatim filius adulterinus, etiamſi natus ſit ex patre conjugato, & muliere ſolutâ? *Neg.*

Universè, an ſic, ut decet, legitimatus, mediante matrimonio juſto, in quod tranſiit mater, præferendus ſit fratri ſecundogenito, ante ejus legitimationem ſuſcepto? *Neg.*

Atque ita quidem præferendus, ut à jure promogenituræ, aliiſqué prærogativis, hunc excludat? *Neg.*

Annon ſaltem ſic legitimatus excludat fœminas à ſucceſſione ibi locorum, ubi viget ſtatutum, quòd maſculi fœminis præferantur? *Aff.*

Atque ita ſtatutum, excludens fœminas ſtantibus maſculis, etiam habeat locum ſtantibus legitimatis? *Aff.*

Et conſequenter ſic legitimatus ſuccedat in Feudis, nominatim in Feudis Dignitatum? *Diſt.*

Legitimatioqué, quæ fit per ſuperveniens matrimonium, porrigatur quoque etiam ad nepotes ex filio præmortuo? *Aff.*

Et ſi, an neceſſe ſit, ut filius tempore contra-

contracti matrimonii adhuc vivat, quò legitimentur nepotes ex eo nati? *Neg.*

Denique, annon subsequens matrimonium omne vitium fortean tollat, rescriptum Principis non item? *Neg.*

Utraque Legitimatio vel Absoluta est, vel Limitata: Harumquè altera in totum, altera in tantum legitimat, illa ad omnes juris effectus, hæc ad aliquos, atque in Principe Dispensatio, in Privato Dispositio dicitur.

An præter enarratos modos legitimandi nostris moribus recepti sint alii, putà Legitimatio per Curiæ Oblationem, & Nominationem? *Neg.*

An rectè antiquati? *Aff.*

Inprimis Curiæ Oblatio, quam sic vocant? *Aff.*

Annon huic successerit Oblatio in Religionem, Curiæ Cœlesti factam? *Neg.*

Adeoquè legitimatio acquiri possit per religionis ingressum? *Neg.*

Uter modus efficaciùs operetur, naturales natalibus restituendi, rescriptumnè Principis, an matrimonium? *Disq.*

An præter has species detur legitimatio plenissima, soli competens Pompifici Romano? *Neg.*

Quid de legitimatione absolutâ, annon confert omnia jura legitimorum activè & passivè? *Aff.*

Quòd si legitimatio sit limitata, quæritur, an filius possit succedere, nisi in eo, quod patri placuit? *Neg.*

Filia item, si instituatur in minori portione, quàm in legitimâ, petere supplementum? *Neg.*

Sit legitimatio in principio restricta, sed habeat in fine clausulam generalem, quæritur, annon ab eâ reguletur, præsertim si patris precibus fuerit cõformis? *Aff.*

Ideoqué legitimationum efficacia pendeat & dependeat ex tenore institutionis? *Aff.*

Convenienterqué legitimatio dispensatio dispositio differant? *Aff.*

Et si, annon legitimatio restituat ad omnes juris effectus, dispensatio & dispositio ad aliquos tantùm? *Aff.*

Ideoqué, si quis à Principe legitimetur ad honores dignitates successiones per dispensationem, legitimatio hæc ultra casum factæ dispensationis non debeat extendi? *Aff.*

Adoptio est actus, quo quis adoptatur, id est, ex non filio in alicujus filium eligitur. Vel sic: Adoptio est legitima alicujus in locum filii electio sive optio, inventa in subsidium nuptiarum, & compendium eorum, qui filiis carent.

Bipartita ferè. Vel enim fit Principali Rescripto, & dicitur Arrogatio, vel Imperio

rio Magiſtratus Inferioris, & dicitur Adoptio Præcisè Sumta.

An adoptio & adoptatio differant? *Neg.*

An ejus cauſa liberorum orbitas? *Aff.*

An modus acquirendæ nobilitatis? *Neg.*

Ideoqué ignobilis à nobili adoptatus minimè per adoptionem conſequatur nobilitatem? *Aff.*

Annon ſaltem modus acquirendæ patriæ poteſtatis? *Aff.*

Hincqué adeò, ſicut mediante adoptione acquiritur patria poteſtas ex unâ parte, ita diſſolvatur atque extinguatur ex alterâ? *Aff.*

Civiliterné tantùm, an etiam naturaliter? *Aff. Prius: Neg: Poſt.*

An adoptio inſimul extinguat jus & onera patriæ? *Neg.*

Annon interim imperio unius civitatis ſubtrahatur, qui adoptatur à cive alterius civitatis? *Diſt.*

An alia civilis, alia eccleſiaſtica? *Neg.*

Adoptioqué adeò eccleſiaſtica inducat ſpiritualem cognationem? *Neg.*

An ſemper nomen generis? *Neg.*

Arrogatio eſt, cùm hominem ſui juris adoptamus, id eſt, eum, qui patrem non habet: ſic dicta, quòd ille, qui adoptabat, rogaretur, utrùm eum, quem adoptaturus erat, juſtum ſibi filium eſſe vellet, & ille, qui adoptabatur, utrùm id fieri pateretur: vel,

quòd non niſi rogatione latâ ad populum fieret, tranſlatoquè populi imperio in Principem, principali autoritate.

An differant arrogatio & adoptio? *Aff.*

Et ſi, an ut ſpecies & genus, an verò ut ſpecies duæ ſibi oppoſitæ? *Quodl.*

An temerè atque inexploratè permittenda? *Neg.*

Atque adeò, an arrogari poſſit is, qui non eſt veſticeps? *Diſt.*

Saltem Principis reſcripto, & causâ cognitâ? *Aff.*

An nominatim in arrogationem ſeu arrogandos dare poſſit pupillos tutor? *Neg.*

Adoptio Præcisè Sumta eſt, cùm filiumfamiliâs adoptamus, id eſt, eum, qui patrem naturalem habet.

An adoptentur ſemper, qui naturâ priùs fuerunt filii? *Neg.*

Annon ſæpè, qui fuerunt quidem, ſed exiêrunt? *Aff.*

Annon ii, qui ſic adoptantur, & prænomen, & nomen, & cognomen ſumant familiæ adoptantis? *Aff.*

An cenſeantur adoptati ſolenniter ii, quos loco filiorum alimus, atque etiam affectu quodam proſequimur, filioſquè appellamus? *Neg.*

An non tantùm in filii, ſed & in nepotis locum, liceat adoptare? *Aff.*

Etiam-

Etiamné in nepotis locum, licet filium non habeat adoptans? *Aff.*

An, qui ſic adoptant, ſint propriè parentes, juraqué omnia parentum habeant? *Neg.*

Annon interim in adoptivos ejuſmodi ſeu fiduciarios patres transferantur onera adoptatorum? *Aff.*

Eâqué de re liberos adoptatos teneantur alere? *Aff.*

An item dare dotem? *Diſt.*

Adoptioni huic affinis eſt Conjunctio ſive Vnio Prolis, quæ nihil aliud, quàm pactum inter parentes, eorumque ex diverſo matrimonio utriuſque ſuſceptos & ſuſcipiendos liberos, præſuppoſito filiationis jure, de mutuâ invicem ſucceſſione, coram ordinario loci magiſtratu, cum cauſæ cognitione adhibitis iis, quorum intereſt, & actis intervenientibus ritè initum.

Annon parentes tale pactum, & talem contractum, poſſint inire privatim? *Neg.*

Cæterùm adoptare poſſunt omnes, qui non Naturâ vel Lege prohibentur.

Naturâ prohibentur: Furioſi, ob vitium animi: Caſtrati, ob vitium corporis, ſeu generandi impotentiam: Minores decem & octo annis, uti & minores natu in genere, quia per naturam filium habere nequeunt: Qui in locum fratris geſtiunt alios adoptare, cùm per naturæ curſum frater à fratre

non

non poſsit procreàri.

Lege prohibentur: Minores ſexaginta annis, quia intereſt Reipublicæ, cives operam dare liberis: Fœminæ, niſi fortè ad ſolatium liberorum amiſſorum ipſis peculiari Principis indulgentiâ hæc gratia fiat extra ordinem: Servi, ut qui ipſimet ſunt in poteſtate.

An adoptio locum habeat in iis perſonis, in quibus natura non habet locum? *Neg.*

Adeoqué queat adoptare, qui nequit generare? *Diſt.*

Ideoqué tam in adoptante, quàm in arrogante, conſideranda ſit ætas, utrùm liberis gignendis ſit idonea? *Aff.*

Annon adoptantem conveniat eſſe ad minimum octodecem annis majorem eo, quem adoptat? *Diſq.*

Conſequenterqué nequeat adoptare infans, impubes? *Aff.*

Et univerſè ii, qui in poteſtate liberos habere non poſſunt? *Aff.*

Annon ſaltem tutor fidei ſuæ commiſſos? *Neg.*

Quòd ſi adoptetur ſervus, ecquid, conſequiturné jus & nomen filii? *Neg.*

Saltem libertatem? *Aff.*

Atque adeò, annon cæcus, ſurdus, mutus, claudus, poſsit adoptare, adoptariné: *Aff.*

Item-

Itemné caſtratus? *Diſt.*

Materia Societatis Paternæ ſunt ipſæ Perſonæ, Societatis hujus Conſtitutivæ, Parentes putà & Liberi.

Parentes ſunt perſonæ principes hujus ſocietatis, habentes liberos.

Suntque Pater & Mater.

An parentum appellatione veniant, non tantùm pater & mater, id eſt, parētes primi gradus, ſed etiam avus & avia, proavus & proavia, abavus & atavia, tritavus & tritavia, id eſt, parentes reliquorum graduum? *Aff.*

Adeoqué omnes aſcendentes in infinitum? *Aff.*

Ideoqué ortum noſtrum non ſolùm patri & matri acceptum ferre debeamus, ſed omnibus aſcendentibus, etiam ultra tritavum & tritaviam? *Aff.*

Annon ſubindè parentum appellatione quoque veniant cognati & affines, verùm militari vulgariqué ſermone ſcilicet? *Aff.*

Pater eſt perſona princeps hujus ſocietatis, generans liberos ἐνεργητικῶς *activè.*

Mater eſt perſona deinceps hujus ſocietatis, generans liberos παθητικῶς *paſſivè, aut diſpoſitivè potiùs, id eſt, universè magis paſſivè, & per conſequens minùs activè, quàm pater,*

An patris & matris nomen ſit juris & poteſtatis? *Aff.*

Neque naturæ tantùm, ſed imitationis ſeu ſimilitudinis, doctrinæ ſeu informationis, honoris ſeu dignitatis, reverentiæ, ætatis? *Aff.*

An patris nomine etiam intelligatur avus, maximè in his, quæ benignè accipienda, atq; interpretatione adjuvanda ſunt? *Aff.*

An nomine matris etiam avia? *Aff.*

Adeoqué differant pater & pater patrimus, mater & mater matrima, pater & paterfamiliâs, mater & materfamiliâs? *Aff.*

Annon in generatione ſobolis pater ſe habeat activè? *Aff.*

Ideoqué vox patris non ineptè, (perſuade ad præſens inſtitutum,) derivetur à patratione rei Venereæ, vel quòd patefaciat omnia, & ipſum ſemen, quaſi pantater, omnia conſervans? *Aff: ſaltem Diſq.*

Annon in generatione ſobolis mater ſe habeat paſſivè, ſaltem universè magis paſſivè, quàm pater? *Aff.*

Ideoqué vox matris non ineptè iterum ducatur à materiâ, aut materia potiùs à matre? *Aff: ſaltem Diſq.*

An ergò, ſicut materia libri eſt membrana & atramentum, materia domus, calx, cæmenta, tigna, tegulæ, ſic materia ſobolis ſit mater? *Neg.*

Ideoqué in generatione ſobolis ſe illa habeat diſpoſitivè potiùs, quàm merè paſſivè? *Aff.*

An in hoc argumento conveniat Ariſtoteli cum Medicis? *Neg.* Et,

Et, si non, utri rectiùs, Aristotelesné, qui asserit, marem exhibere vim generatricem alterius animalis similis, fœminam verò exhibere materiam conceptui, an Medici, qui virile semen volunt fungi munere agentis & materiæ simul, fœminam verò non solùm sanguinem menstruum exhibere, ut materiam generationis, verùm etiam semen emittere, vi agente ac generante præditum? *Affi. Posi.*

An ergò ab utroque conferatur semen ad generationem, tam mare, quàm fœminâ? *Affi.*

Annon interim semen fœminæ, secundum communem naturæ cursum, sit liquidius tenuius & magis aquosum, maris autem crassius calidius & magis coctum, ideoqué γενικώτερον? *Affi.*

Atque adeò, annon in generatione prolis masculinæ prædominetur semen masculinũ seu patris, & cõtrà in generatione prolis fœmininæ semen fœmininum seu matris? *Affi.*

Et consequenter mas & fœmina haud aliter differant in primâ conceptione, quàm per majorem minoremvé calorem? *Affi.*

An fœmina sit mas læsus, sive occahonatus? *Neg.*

An nemo, aut semo, id est, ne homo quidem, minimùm semihomo? *Neg. Utr.* Monstrumvé? *Neg.*

An præter naturæ, seu facultatis geneticæ & plasticæ, institutum? *Neg.*

Saltem principale, particularevé? *Dist.*
Etiamné universale? *Neg.*
An intendatur, ut finis, an verò pro fine tantùm? *Aff: Prius: Neg: Post.*
Ideoqué in suo genere sit perfecta, si minùs comparatè, saltem absolutè? *Aff.*
An in hâc materiâ differant mater & genitrix? *Aff.*
Et si, annon mater propriè dicatur de homine, genitrix de quovis animali? *Aff.*
Consequenterqué, mater propriè dicatur genitrix intelligentis personæ, impropriè verò & metaphoricè etiam ad alias animantes, immò ipsas quoque arbores, & res inanimatas, transferatur? *Aff.*
Liberi sunt personæ deincipes hujus societatis, habentes parentes.
Suntqué Filius & Filia.
An liberorum appellatione tantùm veniant filii & filiæ, id est, liberi primi gradus, an verò etiam nepotes & neptes, pronepotes & proneptes, abnepotes & abneptes, atnepotes & atneptes, trinepotes & trineptes, id est, liberi reliquorum graduum? *Aff.*
Adeoqué omnes descendentes in infinitum? *Aff.*
Etiam ii, quos parentes in potestate habere nequeunt? *Aff.*
An

An ergò fruſtrà ſint inventa nomina ſingularum cognationum, ut aliter filii, aliter nepotes, & cæteri ex his deſcendentes, appellentur? *Neg.*

Ideoqué toties ſit his utendum, quoties lex non omnibus deſcendentibus quid vult præſtitum, ſed ſolis his, qui nominatim enumerantur? *Aff.*

Hocqué intuitu differant liberi & poſteri? *Aff.*

Liberi item & heredes? *Aff.*

Conſequenterqué τέκνα ἢ παῖδες καὶ υἱοὶ? *Aff.*

Annon liberorum nomine plurativo etiam unus filius filiavé ſignificetur, & filii appellatione omnes liberi? *Aff.*

Itemné filiæ appellatione? *Neg.*

An liberi, qui contra formam humani generis ſunt procreati, id eſt, partus monſtroſi? *Neg.*

Universè, annon liberi ſint quaſi partes & appendices parentum? *Aff.*

Et ſi, naturâné & rei veritate, an verò fictione juris tantùm? *Aff. Prius.*

Annon interim perſonam completam referant Phyſicè? *Aff.*

Eoqué non obſtante pater & filius nihilominùs habeantur pro unâ perſonâ? *Aff.*

Et tam pater ſit pars corporis filii, quàm filius pars patris? *Aff.*

Cauſa filii cauſa patris, vox filii vox pa-

tris, ita ut, quod unus fecit & dixit, alter feciſſe & dixiſſe videatur? *Aff.*

Domus patris domus filii, patrimonium patris patrimonium filii? *Aff.*

Ideoqué, quod habet pater, illud etiam habere filius intelligatur, ſaltem naturaliter? *Aff.*

Et, ſi ille dives, etiam hic talis eſſe præſumatur? *Aff.*

Eâqué de re pater cum filio nequeat agere furti? *Aff.*

Filius eſt perſona generata maſculina, habens patrem & matrem.

Filia eſt perſona generata fœminina, habens matrem & patrem.

Unde filii nomen ſit deductum deducendumvé, an à Græco υἱὸς, addito ex more Æolico digammâ, an à φύω, quod eſt naſcor, unde φύλον, genus, υ tranſeunte in ι, an verò ab amore, ut filii ſint quaſi φίλοι, an denique à filo, quòd filum, id eſt, faciem & lineamenta parentum ferè ſoleant referre? *Diſq.*

Annon filiorum appellatione in genere veniãt omnes deſcendentes in infinitũ? *Aff.*

Etiam nepos? *Diſt.*

Si minùs ex proprietate ſermonis, ſaltem ex interpretatione? *Aff.*

Etiam poſthumi ſive poſtumi? *Aff.*

Etiam filiæ? *Aff.*

Etiam

Etiam filiæ posthumæ sive postumæ? *Aff.*

An contrà filiarum nomine etiam filii? *Neg.*

Annō fortean ideò dicti liberi, ut parentes meminissent, se illis non perpetuò imperaturos? *Aff.*

Synonymaqué filius & filiusfamiliâs, filia & filiafamiliâs? *Neg.*

An quis duorum patrum possit esse filius? *Aff.*

Aut qua duarum matrum filia? *Neg.*

Saltem mater horum semper certa, pater incertus? *Aff.*

Ideoqué probatione filiationis subindè sit opus? *Aff.*

An probatio filiationis naturalis sit possibilis? *Neg.*

Et in manu ac potestate filii? *Neg.*

Adeoqué probatio filiationis, etiam post confessionem matris, detur alia, quàm probabilis & præsumtiva? *Neg.*

Annon ex solennitatibus, tabulis, deductione ad domum, & universè, conjecturis verisimilibus, certitudo parentis saltem probabiliter possit demonstrari? *Aff.*

Nominatim ex eo, si quis ex viro & uxore simul habitantibus domi sit natus? *Aff.*

Et, annon hæc conjectura adeò præponderet, ut, licet interim mulier cum aliis consuetu-

ſuetudinem habuerit, præſumatur tamen potiùs mariti filius, quàm adulteri? *Aff.*

An requiratur inſuper, ut filium ab iis, quos parentes aſſerimus, filiorum more tractatum educatumqué conſtet? *Aff.*

Nominatumqué ita à parentibus, tam in judicio, quàm extra judicium, datâ operâ, neque blandiendi animo? *Aff.*

Abſque hoc ſit, an ex ſolâ enunciativâ nominatione filii inducatur poſſeſſio filiationis? *Neg.*

Saltem quaſi-poſſeſſio? *Neg.*

Etiamſi nominatio filii ſæpiùs fuerit iterata atque reiterata? *Neg.*

Annon ad cumulum probationis etiam aliquid conferat fama? *Aff.*

Solané? *Neg.*

Aut, ſi ab uno ea manârit? *Neg.*

Nominatim fama viciniæ, ſi talis à vicinis quoque fuerit habitus? *Aff.*

Atque adeò, annon in dubiis fama, præſertim viciniæ, cæteris ſit præponenda conjecturis? *Aff.*

Liberi hi universè, vel Legitimi ſunt ſed non Naturales, vel Naturales quidem ſed non Legitimi, vel & Legitimi & Naturales, vel nec Legitimi nec Naturales.

An quadripartita hæc liberorum diſtinctio ſit Juris Civilis, an verò Naturalis? *Aff. Prius.*

An Theologorum hypotheſibus & Juri Divino

Divino consentanea? *Neg.*

Ideoqué cum grano salis accipienda, atque ad Lydium sacrarum litterarum lapidem examinanda? *Aff.*

Itemné ad naturæ? *Aff.*

Adeoqué regulariter lex naturaliter potiùs, quàm civiliter, sit intelligenda? *Aff.*

Etiam hîc? *Aff.*

An ergò nomen naturalis aptum natum sit comprehendere, tam legitimos, quàm illegitimos? *Dist.*

Liberi Legitimi sed non Naturales sunt, qui dicuntur Arrogati & Adoptivi: Factitii sive Fictitii alio nomine.

An adoptatus seu adoptivus & adoptatitius seu adoptativus differant? *Aff.*

An arrogati atque adoptivi filii sint verè filii, seu veri filii, an verò imaginarii tantùm? *Aff: Post.*

Ideoqué per fictionem tantùm, & non verè, liberorum nomine contineantur? *Aff.*

An impari jure cum reliquis? *Aff.*

Annon interim reverentiam filialem debeant patribus, à quibus sunt arrogati atque adoptati? *Aff.*

An his possint succedere, hereditatemqué eorum adire? *Dist.*

An nominatim succedere in Feuda arrogantibus atque adoptantibus? *Neg.*

Vel à successione excludere fœminas? *Neg.*

Ideo-

Ideoqué non neceſſarii, ſed commodati tantùm atque inſitivi ſint heredes? *Aff.*

Liberi Naturales ſed non Legitimi ſunt, qui è concubinis more Romano ſuſcipiebantur: ſic dicti, quòd non lege civili, verùm ex generatione naturali tantùm eſſent filii, exquè eâ commixtione nati, quæ, ſi conſenſus acceſſiſſet, potuiſſet in matrimonium coàleſcere. Aliter Nothi nominantur, verùm ſtrictè nimis.

Annon filius naturalis in genere ſit is, qui ſanguine & naturâ tuus, non factus adoptione? *Aff.*

In ſpecie is, quem ſola natura genuit, non honeſtas conjugii? *Aff.*

Specialiſſimè verò moribus Romanis is, qui ex parentibus ſolutis ortus, inter quos juſtæ nuptiæ contrahi potuiſſent? *Aff.*

Ex concubinâ, inquam, unicâ, atque in domo indubitato affectu concubino conjunctâ? *Aff.*

Annon rectè, legitimi reſpectu, filius naturalis dicatur privatus? *Aff.*

Ideoq; non nō odioſus ſit Juſtiniani favor, quo ex concubinatu ſuſceptos proſequitur, dum eos ad æqualem ſucceſſionem vocat cum legitimis in bonis maternis? *Aff.*

An hic Imperatoris favor ſit extendendus ad Baſtardos, ex fornicatione, ſeu illicito pellicatu, ſuſceptos? *Neg.*

Nedum ad bona paterna? *Neg.*

Atque

Atq; adeò, an naturales ex cõcubinis ad hereditatẽ patris cõcubini sint admittẽdi? *Neg.*

Saltem his debeatur legitima ex bonis paternis? *Neg.*

Annon interim integrum sit patri, etiam naturalem filium, si legitimis liberis careat, heredem instituere, dummodò legitimam relinquat ascendentibus? *Dist.*

Si minùs de Jure Divino, saltẽ de Civili? *Aff.*

Liberi & Legitimi & Naturales sunt, qui ex justis nuptiis nascuntur.

An septimo mense legitimus partus nascatur? *Aff.*

An etiam ille partus sit legitimus, qui ante septimum post contractas nuptias mensem est natus? *Neg.*

Et, an eũ maritus cogatur agnoscere? *Neg.*

Maritus diem obeat, & intra decem proximos ab excessu menses nascatur filius, quæritur, an sit legitimus? *Aff.*

Itemné, si nascatur mense undecimo? *Neg.*

Saltem initio undecimi? *Aff.*

Sponsus, antequam sponsam domum duceret, cum eâ sit congressus, quæritur, an filius, ex eo coitu natus, sit legitimus? *Dist.*

Etiamné tunc, si, qui post sponsalia concubuit, ante nuptias, ac solennem benedictionem, mortem obierit? *Neg.*

Liberi nec Legitimi nec Naturales sunt, qui vel ex meretricio coitu, vel ex stupro, adulterio, incestu concipiuntur. Communiter

niter *Spurii appellantur, quasi passim &* σποράδην, *atque incerto patre, concepti, quem nuptiæ solùm ostendunt,* σκότοι καὶ ἀπάτορες *Græcis: item Vulgò Quæsiti, quoniam vago concubitu & volgivagâ Venere susceptipatrem ostendere nequeunt, vel, si queunt, eum habent, quem habere non licet: Et in genere Nothi, sive Illegitimi, à* νὸ καὶ ἔθος, *quasi præter morem, id est, legem suscepti, vel* παρὰ τὸ νὸ ἢ θεῖον, *quasi privati eo, quod divinum censetur inter homines, id est, legitimis nuptiis. Quòd si virgo, vel vidua, in quam stuprum committitur, sit honestæ existimationis, sed ignobilis, mas verò stuprum in eam committens, sit nobilis, qui inde nascuntur, Bastardi propriè vocantur,* von der boesen art/ *eò quòd sint degeneris ferè animi: Sicut vice versâ, si virgo, vel vidua, in quam stuprum committitur, sit nobilis, mas verò, stuprum in eam committens, sit ignobilis, qui inde nascuntur, Manseres indigetantur, voce barbaricâ, neque aliis notâ, quàm quorum ex linguâ desumta est.*

An spurii & nothi differant? *Neg.*
Saltem secundum Justinianismum, id est, idiotismum Juris Civilis Romani? *Aff.*
Itemné naturales & nothi? *Dist.*
Saltem secundum idem jus? *Neg.*
Atque adeò, an ex libero & ancillâ, liberâ &

râ & ſervo nati, rectè vocentur ſpurii ſecundum idem jus? *Neg.*

Aut hodiequé dentur nothi ſecundum idemmet? *Neg.*

An ergò tam ſpurii quàm nothi nomen ſit generale, comprehendens omnes eos, qui ex damnato coitu, id eſt, extra juſtum matrimonium, incerto patre, certâ matre, naſcuntur? *Aff.*

Aut certo quidem patre, extra matrimonium tamen? *Aff.*

An tam illi, quàm hi, ſint in patris poteſtate, aut de patris agnatione civiliter? *Neg.*

Huicqué poſſint ſuccedere civiliter, id eſt, jure agnationis? *Neg.*

Minimùm quoad legitimam? *Neg.*

Aut in defectu legitimorum, agnatorumvé? *Neg.*

Nunquid matri, ſi minùs civiliter, ſaltem naturaliter, id eſt, jure cognationis? *Aff.*

Etiamné illuſtri? *Neg.*

Atque adeò, annon ſpurii regulariter & rectè excludantur ab honoribus, qui integræ dignitatis hominibus conferri ſolent, immò debent? *Aff.*

Et ſi, an tam ii, qui certum patrem nequeunt demonſtrare, quàm ii, qui eum queunt demonſtrare? *Aff.*

Tam inferioris conditionis ſpurii, qui Manſeres vulgò, quàm ſuperioris, qui Baſtardi? *Aff.*

Et

Et tam ipsi, quàm ipsorum descendentes? *Disq.*

Neque à majoribus honoribus seu dignitatibus tantùm, verùm etiam à minoribus? *Aff.*

Idqué de rigore Juris, tam Naturalis, quàm Divini & Canonici? *Aff.*

Ideoqué, si alius legitimè natus competitor extiterit, is spurio, vel imparibus cæteris, in honorum petitione meritò sit præferendus? *Aff.*

Annon interim admitti possint in subsidium, præsertim in defectu genuinorum? *Aff.*

Et si non patrissent, hoc est, non persistant in sordibus parentum? *Aff,*

Sed in subsidium scilicet, non præsidium? *Aff.*

An dispensatione ac veniâ Pontificis Episcopivé heic sit opus? *Neg.*

Saltem Principis? *Dist.*

Atque adeò, annon spuriorum suspensionem ab officiis ex lege positivâ princeps possit præscindere, sublatâ causâ suspensionis? *Aff*

Aut, annon mulier spuria, si nubat legitimo, absolvatur à maculâ spurietatis, fiatqué legitima? *Aff.*

Et si, an propterea probandus sit Davidis concubitus cum Bathsabéâ, quia ex eo prodiit regum sapientissimus Salomon? *Neg.*

Aut

Aut ideò minùs quis ſit ſpurius, quia eſt Clerici Beneficiati filius? *Neg.*

Vel ſuſceptus ex virgine ſtupratâ per vim? *Neg.*

Fœminâ vé auguſtæ conditionis? *Neg.*

Ex concubinâ, pellice, viduâ? *Neg.*

Denique, an, ſicut civiliter, ita etiam naturaliter, dentur S.P, id eſt, ſpurii, & conſequenter naturaliter quis naſcatur ſine patre? *Neg.*

Hocqué non obſtante extra conjugium pater nihilominùs ſemper ſit incertus? *Diſt.*

Si minùs incertitudine perſonæ, minimùm incertitudine conditionis? *Aff.*

Forma Societatis Paternæ conſiſtit in obligatione, partim naturali, partim voluntariâ, quæ eſt, ſaltem eſſe debet, inter Parentes & Liberos, ſive Natos, ſive Factos, prodeunte ex στοργῆ καὶ ἀντιπελαργίᾳ, *naturali vel civili, gignentis erga genitum, arrogantis atque adoptantis erga arrogatum atque adoptatum, & contrà.*

An conſenſus ſit cauſa formalis ſocietatis paternæ? *Neg.*

Et, ſi non, annon ſaltem obligatio, conſequens atque excipiens illum conſenſum? *Aff.*

An obligatio illa ſit ἀναίσθητος, an verò ἀντίσθητος? *Aff: Poſt.*

Si ἀντίσεφος, an æqualis, an verò inæqualis? *Aff: Poſt.*

Si inæqualis, majorné liberorum, quàm parentum, an contrà? *Aff: Prius.*

Ideoqué faciliùs liceat patri abjicere curam filii, quàm filio patris? *Aff: iterum Prius.*

Atque adeò, an liberi unquam reſpondere poſſint beneficiis parentum? *Neg.*

Dumqué his benefaciunt, eis benefaciant, & non potiùs reddant gratiam pro beneficiis? *Neg: Prius: Aff: Poſt.*

Non tam promerendo novam, quàm exolvendo veterem? *Aff.*

Finis Societatis Paternæ vel Primarius eſt, vel Secundarius.

Primarius eſt Propagatio, ſeu Conſervatio Generis in Specie, id eſt, Individuorum ſucceſſivâ ſubſtitutione. Habet enim hoc natura, ut tendat ad ſui Conſervationem, & quidem vel in Individuo, vel in Specie. In conſervationem individui vergit natura particularis: In conſervationem ſpeciei natura univerſalis.

Secundarius eſt Solatium Domeſticum, in ipsâ dividuâ vitæ conſuetudine.

An primæ cauſæ perennitas ſit omnibus rebus imitabilis in individuo? *Neg.*

Et ſi non, an ergò natura univerſalis ſpeciei conſervationem intendat, etiam cum pernicie individui? *Aff.*

An

Annon interim parentes quasi renascantur in liberis superstitibus, & repueraſcant quodammodò in posteritate? *Aff.*

Ideoqué liberorum fortuna saltem hactenus attineat ad parentes demortuos? *Aff.*

Et consequenter eadem sit familia, quæ centum ab hinc annis fuit, licet ex eâ memoriâ nullus superſit, quemadmodum eadem navis Theſei, quæ novis subindè tabulis refecta ab Athenienſibus, ob toties reiteratam refectionem? *Aff.*

Annon finis societatis paternæ, saltem δευτέρως, atque in secundis, sit Recreatio & Solatium? *Aff.*

An ad hunc finem occupandum neceſſaria sit cohabitatio partium, id est, neceſſe sit, ut parentes ac liberi continenter habitent unà? *Neg.*

Ideoqué filius, peregrè profectus, non desinat esse filius-familiâs, id est, non desinat esse de familiâ, licet non sit in familiâ, hoc est, loco familiæ? *Aff.*

CAPUT VII.

Cõstitutio Societatis Domesticę Personalis Simplex Integralis Minùs Principalis, continens tertiam Societatem Simplicem, quæ dicitur Herilis. Societas Herilis definitur.

Ejus

Ejus proponuntur atque exponuntur Cauſę bis binę numero. Cauſa Conficiens ejus Remota, Propinqua, Proxima. Materia, ſeu Perſonæ Conſtituentes. Harum definitio, & diviſio, præcipuè Servi, in Naturalem, Legalem, & Voluntarium ſive Conductitium. Servus Naturâ quis? Servus Lege quis, & quotuplex? Modus Servitutis ex Iure Gentium, ratione Captivitatis, unde Mancipia, & Nativitatis, unde Vernæ. Vbi de Manumiſſione quædam παρεμπτικῶς, eiqué oppoſitâ Revocatione in Servitutem ob Ingratitudinem: Vti & de iis, qui dicuntur Cenſiti, & Glebæ Aſcripti, qui non tam Servi, quàm Serviles. Modus Servitutis ex Iure Civili, tum ratione Venditionis ſeu Venundationis, unde Servus, qui dicitur Emtitius, Venalitius, item Aere Redemtus, tum ratione Sententię ſeu Damnationis, unde Servus Pœnæ. Servus Conductitius ſive Mercenarius quis? Forma Societatis præſentis, & Finis, iſqué duplex: Dubia, ſeu Quæ-

ſtiones

ſtiones Controverſę, incidenter & pro re natâ.

CONſtitutio Societatis Domeſticæ Perſonalis Simplex Integralis Minùs Principalis complectitur tertiam Societatem Simplicem. quam vocant Herilem; & ipſam cùm naturalem tum neceſſariam, non tam ad τὸ εἶ) ejus, hoc eſt, eſſe, quàm ad τὸ εὖ, hoc eſt, benè eſſe. Vivi ſiquidem ſine ſervis, at non commodè, poteſt.

An ſocietas herilis ſit pars eſſentialis familiæ? *Neg.*

An neceſſaria ſimpliciter ad τὸ εἶναι ejus, ſive eſſe? *Neg.*

Annon ſaltem ad τὸ εὖ εἶ), ſive meliùs eſſe? *Aff.*

Adeoqué neceſſaria, ſi non ἁπλῶς, ſaltem καλά τι? *Aff.*

An ergò per ſervorum miniſterium melior fiat noſtra conditio, non deterior? *Aff.*

Societas hæc Herilis, ἡ Κοινωνία Δεσποτικὴ, eſt tertia ſocietas domeſtica perſonalis ſimplex integralis principalis, vigens inter dominum & ſervum, liberè ac legitimè conſentientes, orta ex mutuâ utriuſque ad imperandum ac parendum obligatione, dividuam vitæ conſuetudinem continens, inſtituta ſecundum naturam, ad ſui & ſobolis

ſuſtentationem, domeſticumque auxilium.

An peccatum ſit cauſa hujus vitæ ſtatus? *Diſt.*

An hic vitæ ſtatus quoque locum fuerit habiturus in ſtatu, quem vocant, innocentiæ? *Diſt.*

Et ſi, an ergò in illo ſtatu inſimul locũ fuerit habitura ſuperioritas & inferioritas, antecedentia & conſequentia, & in genere diſparitas, ut ætatis & ſexus, ita conditionis? *Aff.*

Cauſæ ejus & ipſæ bis binæ numero: Efficiens, Materia, Forma, & Finis.

Cauſa Efficiens Societatis Herilis, vel Remota eſt, vel Propinqua, vel Proxima.

Cauſa Efficiens Remota eſt Deus Optimus Maximus, conditor domini & ſervi, dominii & ſervitutis, quam latis legibus per ſervum ſuum Moſen ſanxit, & certis finibus circumſcripſit, quaſique cancellavit.

An ſocietas herilis ſit inſtitutionis divinæ? *Aff.*

Et conſequenter ſtatus ſanctus, ac Deo placens? *Aff.*

An Euangelium eum tollat? *Neg.*

Et, ſi non, an ergò optimè conſiſtat cum Chriſtianâ, tum libertate, tum charitate? *Aff.*

Fraternitatevé ſpirituali? *Aff.*

Redemtionevé? *Aff.*

Ideoqué non omnis ſervitus ſit damnabilis inter Chriſtianos? *Aff.*

Chriſtianiqué adeò, ſalvo Chriſtianiſmo, Politi-

Politico gentium jure possint inter se constituere servitutes? *Aff.*

Annon interim, quemadmodum à Gentilibus peccatum fuit in excessu hâc parte, id est, immanitate, item à Christianis in defectu aliâ parte, id est, nimiâ humanitate? *Aff.*

Præsertim sub exortum renascentis Christianismi? *Aff.*

Atque adeò, annon saltem hactenus rectè Christiani, quòd propositâ libertate servitia gentilium ad amplectendam Christianam religionem prolectârunt? *Neg.*

Quodqué asyla Ecclesiarum his aperuerunt? *Neg.*

Proqué ipsorum liberatione distraxerunt clinodia seu cimelia sacra? *Disq.*

An ergò aliqua misericordia sit injusta? *Aff.*

Atque in ipsâ Ecclesiâ, ubi maximè quem misereri convenit, cautè remedium intercessionis ab Ecclesiâ sit usurpandũ? *Aff.*

Neque omnis servus liberandus? *Aff.*

Eodemq; adeò loco hæc Christianorũ liberalitas sit habenda, quo altera illa huic cognata, quâ impunitatem Judæis decreverunt, si recepissent baptisma, dum id non fecissent modò in fraudem, simulatevé, aut obstante delicti atrocitate? *Aff.*

Eamqué ob causam promiscuus ille zelus, in asserendis vindiciis secundum libertatem, uno impetu sit probandus, si indi-

gnis ſimul promiſit cum dignis? *Neg.*

Nominatim iis, quos magnitudo ſceleris, ſtudium inveteratum rebellionis, libido latrocinandi, aut execrabilis ingratitudo, ſub ſervitute continet ac detinet? *Neg.*

Adeoqué, an juſtæ vindiciæ, quibus reſtituitur is, qui ſuâ reſtitutione reſtituentem ſit deſtructurus? *Neg.*

Aut pia liberatio illius, cui cum libertate extrema affertur pernicies? *Neg.*

Eaqué propter næ rectè Paulus & Petrus vetent, prætextu Chriſtianæ libertatis dominis jus ſuum à laſcivientibus ſervis eripi, ne Eccleſia malè audiat hoc nomine? *Aff.*

Atque adeò, annon ſervus fugiens peccet mortaliter? *Aff.*

Furtumqué ſui faciat, contra Dei inſtitutoris inſtitutionem? *Aff.*

Et utriuſque Inſtrumenti interdictum? *Aff.*

Cauſa Efficiens Propinqua eſt Natura, quæ alios animi dotibus, id eſt, neceſſariis dominationis inſtrumeutis, inſtruxit, hoſque imperare, alios iiſdem exarmavit, ſed contrà corporis viribus, id eſt, neceſſariis ſervitutis adminiculis ſuccinxit, quos parere ſuperioribus voluit.

An ſocietas herilis quoque ſit inſtitutionis naturalis, ſeu de naturæ inſtituto? *Aff.*

Et ſicut mas ac fœmina affecti ad conjugium naturâ, ita dominus & ſervus ad ſocietatem herilem? *Aff.* Ideo-

Ideoqué, tam dominatus, quàm ſervitutes, originaliter ſint juris naturæ primævi? *Aff.*

Neque magis violenta, & contra naturam inducta, argui queat ſervitus, quæ contra jus naturale negativum, per jus naturæ ſecundævum, robur aſſumſit, quàm dominiorum diſtinctio, quam contra naturalem rerum omnium communionem induxit idem jus, dummodò non convellat dignitatem hominis poſitivam, quam quiſque actu acquiſivit, & inductâ ſervitute injuſtè perdit? *Aff.*

Convenienterqué ipſius naturæ ductu, meritiſſimo ſuo imperent, parentes liberis, ſeniores junioribus, prudentes imprudentibus, ſapientes ignaris, meliores deterioribus, generoſi minùs generoſis, potentiores imbecillioribus, cultiores barbaris, ſuperiores inferioribus, & in genere majores minoribus? *Aff.*

Annon interim Deus etiam contra jus naturæ poſſit imperare, ut major ſerviat minori? *Diſq.*

Saltem illud declinare ex causâ, ſi ſcilicet ſub jus naturæ factum, quo de agitur, non cadat? *Aff.*

Atque adeò, an alius dominatus, aut alia ſervitus naturalis, poni aut defendi poſſit, quàm qui quævé ex principiis naturalibus fluit, judicioqué rectæ rationis? *Neg.*

Ideoqué, tam ille, quàm iſta, definiri de-

beant, non ex errore & opinione communi hominum, moribuſqué corruptis, verùm ex eo, quòd conveniant principiis immotis, à Deo in primâ creatione, cùm lex naturæ implantaretur, hominibus inſitis? *Aff.*

Neque tam ex omnium hominum catholico conſenſu, quàm ſaniorum, cultiorum, & meliorum? *Aff.*

Iccircò, ſi dominatus aliquis, aut qua ſervitus, fuerit introducta contra naturam, (id quod fit, cum prava conſuetudo depravat naturam, aut pravæ opiniones præconceptæ delent nota naturæ principia,) utut multis hominibus ea videatur juſta, an propter hanc errantium multitudinem queat poſſit excuſari ab extremâ injuriâ? *Neg.*

Conſequenterqué, utut jus ipſum Phyſicum poſitivum nequeat mutari, queat tamen negativum, id eſt, error homullorum ſeu hom[illegible]ulorum, qui jus illud perperam arripiant, atq ue in actum deducunt? *Aff:*

Universè, an fortunâ homines heic ſint æſtimandi, an verò moribus atque ingenio? *Aff: Poſt.*

Fieriqué adeò poſſit, ut ſit dominus Oeconomicè, qui eſt ſervus Phyſicè, & contrà? *Aff.*

Et ſi, an ſicut, qui eſt dominus vel ſervus Phy-

Phyſicè, eſt ſemper & ubique talis, item, qui eſt Oeconomicè ? *Neg.*

Cauſa Efficiens Proxima eſt, partim Conſenſus, ſive mavis, Contractus ſuperveniens ac ſuperinductus naturæ, privato partium contrahentium in hâc ſocietate ſtudio & commodo, partim Neceſſitas atque Indigentia. Cùm enim liberis & conjugi proſpicere teneatur paterfamiliâs, non poſſit autem huic rei ſolus ſufficere, hinc neceſſariò prodit tertia ſocietas eorum, qui manus patrifamiliâs commodant, cùm non magis ſubſiſtere poſſit dominus ſine ſervo, quàm cæcus ſine claudo, quorum ille pedes claudo greſſumque miniſtrat, hic lumina cæco pro pedibus, redhoſtimenti loco.

An conſenſus contrahentium quoque etiam deſideretur in hâc ſocietate ? *Aff.*

Etiamné in iis, qui naſcuntur tales, id eſt, vel domini, vel ſervi ? *Aff.*

Annon interim quis honeſtè compelli poſſit ad ſerviendum ? *Diſt.*

Nominatim integer aliqu[illegible]rdo, aut tota natio ? *Aff: Prius: Neg: Poſt.*

Atque adeò, annon dominus & ſervus ſe appetant naturaliter διὰ σωτηρίαν, propter ſalutem ? *Aff.*

Ideoqué, tam dominatus, quàm ſervitutes, favore neceſſitatis atque utilitatis privato-publicæ ſubſiſtant ? *Aff.*

Neque coram juſtitiæ tantùm tribunali,

rùm etiam æquitatis? *Aff.*

Si juſtitiæ, diſtributivæné, an commutativæ? *Aff: Prius.*

Materia Societatis Herilis ſunt ipſæ Perſonæ, Societatis hujus Cõſtitutivæ, quarum altera dicitur Dominus ſeu Herus, altera Servus ſeu Famulus.

An dominus & ſervus referantur ad ſe invicem, ſibiqué mutuò acceptum referre habeant, quod ſunt? *Aff.*

Annon interim, non obſtante hâc relatione æquali, ſe habeant inæqualiter? *Aff.*

Idqué tam naturaliter, quàm civiliter? *Aff.*

Et ſi, an ſicut dominus eſt ſervi dominus, cætera ſuus, ſic ſervus ſit domini ſervus, cætera ſuus? *Neg,*

Aut, ſicut dominus habet πρόσωπον, ita ſervus? *Neg.*

An ergò planè ſit ἀπρόσωπος civiliter? *Neg.*

Mortuuſvé? *Neg.*

Quadrupediqué ſimilis? *Neg.*

Saltem rectè ei negentur actus liberi atque ingenui? *Aff.*

Omneſné, nominatim ſententiæ dictio, teſtimonii perhibitio, teſtamenti-factio? *Neg.*

Civitaſvé? *Neg.*

Juſvé? *Neg.*

Ideoqué affici poſſit injuriâ? *Aff.*

Etiam

Etiam à domino? *Aff.*

An ab eo distinguendus habitu? *Aff.*

Characteribusvé? *Neg.*

Dominus seu Herus est persona princeps hujus societatis, habens servum seu famulum. Nomenclatione suâ simul comprehendit Dominam seu Herã, cùm quasi commune nomen utrumque sexum contineat, non quidem ῥηματικῶς *nominaliter, verùm* πραγματικῶς *realiter.*

An vocabulum domini semper sit vocabulum conditionis, jurisvé? *Neg.*

Adeoq; is tantùm sit dominus, qui rei alicujus proprietatem atque usumfructum habet? *Neg.*

Annon subindè sit vocabulum honoris & reverentiæ? *Aff.*

Et ille δεσπότης Græcis, Latinis herus, hic κύριος? *Aff.*

An ergò vocabulum δεσπότου & heri sit dominii vocabulum potiùs, quàm honoris, vocabulũ κυρίου honoris potiùs, quàm dominii? *Aff.*

Annon filiifamiliâs quoque subindè vocentur domini? *Aff.*

Propriené, an abusivè? *Aff: Post.*

Atque adeò, annon κυρίως κύριος, qui plenum dominium habet, id est, jus ac potestatem re quâpiam, tum utendi, tum abutendi, quatenus Jure Civili permitti-

mittitur, jus, inquam, plenè ac liberè de re aliquâ disponendi, extra quàm, si quid lege prohibeatur? *Aff.*

An, ut sic, duo possint esse unius ejusdemqué rei in solidum domini? *Neg.*

Aut duplex numero & substantiâ dominium? *Neg.*

Servus seu Famulus est persona deinceps hujus societatis, habens dominum seu herum. Nomenclatione item suâ comprehendit Servam seu Famulam.

An omnium servorum sit eadem natura, & conditio? *Aff: Prius: Neg: Post.*

Notioqué? *Neg.*

Et consequenter, an differant servus & famulus, serva & famula? *Aff.*

Annon interim subindè famulus accipiatur pro servo, famula pro servâ? *Aff.*

Differant item servus & minister, servitus & ministerium? *Aff.*

Immò servitus & servitium? *Aff.*

Et apud Græcè loquentes, οἰκέτης, ὑπηρέτης, δοῦλος? *Aff.*

Nec non servire atque in servitute esse? *Aff.*

An denominatio servi rectè ad ancillam quoque interpretando extendatur? *Aff.*

Ideoqué servis legatis etiam ancillæ debeantur? *Aff.*

An contrà ancillis legatis etiam servi? *Neg.*

An

An non tam comparentur ancillæ ideò, ut pareant, quàm ut operentur, ornent, comant, lavent, lanam ducant, focum inſtruant? *Aff.*

Atque adeò, annon liceat vel integras ſervorum familias alere? *Aff.*

An ſemper quoque deceat, & conſultum ſit? *Neg.*

Ideoqué meritò vapulet Lycurgus, quòd multitudinem Helotarum & Peneſtarum non ſuſtulerit è Republicâ? *Aff.*

An clanculum vi Sophiſticâ tollendi? *Neg.*

Saltem exarmandi? *Aff.*

Neque antè ad bellum armandi, quàm eis ſit cautum de libertate? *Aff.*

Quiqué ſunt animoſiores cæteris, manumittendi? *Aff.*

Etiam extra caſum neceſſitatis? *Aff.*

Itemné illi, qui ob ingenii hebetudinem ſeipſos alere nequeunt? *Neg.*

Aut à quibus nihil eſt periculi? *Neg.*

Universè, an ſervitus perſonalis ſolvatur morte ejus, cui debetur? *Diſt.*

Non tantùm horaria ſeu temporaria, ſed etiam perpetua? *Neg.*

An talis ſervitus fuerit nota apud Hebræos? *Aff.*

Et frequentata etiam inter ipſos Hebræos? *Diſt.*

Aut eorum exemplo frequentanda in-

ter Christianos? *Disq.*

Servus sic sumtus universè vel Naturalis est, vel Legalis, vel Conductitius sive Mercenarius.

Servus Naturalis seu Naturâ est, qui propter rationis atque ingenii debilitatem, neque sibi consulere, neque seipsum aut alios regere potest, iis interim corporis viribus, & mentis viriculis est præditus, ut & labores perferre, & aliorum mandata dextrè exequi possit: Hederæ non absimilis, quæ, cùm suis viribus exsurgere nequeat, vicinæ domus patrocinium apprehendit, cumque proprio robore subsistere non possit, aliena fulcra circumspicit.

An detur servitus aliqua naturalis, vel, quod eodem recidit, an quædam servitus oriatur immediatè ex jure naturæ? *Aff.*

Ideoqué, si non omnis, saltem aliqua servitutis species, sit rationi & æquitati naturali consentanea? *Aff.*

Præsertim post lapsum, atque in naturâ corruptâ? *Aff.*

Particulariqué, non universali? *Aff.*

Neque negativè tantùm, & per non repugnantiam, sed positivè quoque? *Aff.*

An inde rectè inferatur contrarium, quòd homo ad imaginem Dei primitùs fuerit creatus, quæ inter alia in dominio consistebat? *Neg.*

Vel, quòd naturâ omnes homines ex æ

quo

quo naſcantur liberi? *Neg.*

Servituſqué, prout quidem nunc eſt, ſit moleſta & miſerabilis ſervienti? *Neg.*

Atque adeò, annon illa voluntaria potiùs, atque utilis ſervienti? *Aff.*

Et ex omnibus ſervitutibus juſtiſſima? *Aff.*

Ideoqué minimè exterminanda è Republicâ? *Aff.*

Quin reducenda potiùs, ſi exulet? *Aff.*

Annon præter hanc ſervitutis ſpeciem quoque detur alia, quæ contra naturam? *Aff.*

An utrobique eadem ſit ſubjectionis ratio? *Neg.*

Et, ſi non, an ergò ſervi naturâ ſubjiciantur domino, & quoad actiones, & quoad principium actionum, ſervi contra naturam quoad actiones tantùm, non etiam principium activum? *Aff.*

Quid de Florentini famosâ definitione, qui ſervitutem finit, quòd ſit conſtitutio juris gentium, quâ quis dominio alieno contra naturam ſubjicitur, curritné quatuor pedibus, atque exprimit ſpecificè omnes ſervitutes? *Neg.*

Et primò, an ſervitus ſit conſtitutio juris, ac non potiùs res aut jus conſtitutum? *Aff: Poſt.*

Adeoqué annon præter Jus Gentium, etiam nudum Naturæ Jus, Civilequé Roma-

num

num, Consuetudinariumqué, novam servitutis constitutionem introducat? *Aff.*

Ideoqué, cùm variæ servitutum sint species, eæqué diversæ, malè Florentinus ab unâ inferat ad alteram indistinctè, quasi quælibet servitus esset contra naturam, quia quædam deprehenditur esse contra naturam? *Aff.*

Annon saltem hactenus hæc ejus definitio possit admitti, si per jus gentium intelligatur jus humanum, perqué servitutem durior forma servitutis? *Aff.*

Neque tam natura, quàm privilegium ejus? *Aff.*

Servus Legalis seu Lege est, qui vel bello captus, vel propter alias causas alterius potestati est subjectus, ad cujus nutum atque arbitrium vivere, seseque componere cogitur.

Et quidem, vel Jure Gentium, vel Civili.

An præter servitutem naturalem quoque detur legalis? *Aff.*

An servitus hæc legalis sit justa ἁπλῶς καὶ ὅλως, simpliciter atque absolutè, an verò κατά τι tantùm, secundum quid? *Aff: Post.*

An juri divino contraria? *Neg.*

Ideoqué tolerabilis in Republicâ? *Aff.*

Etiam Christianâ? *Aff.*

Jure Gentium Servi fiunt dupliciter: Captivi-

ptivitate, & Nativitate.

An ex jure gentium ſit excogitare plures modos ſervitutis, quàm unum? *Neg.*

Annon interim docendi causâ rectè conſtituantur duo, ſi minùs antecedenter, ſaltem concomitanter & conſequenter? *Aff.*

An dictum jus queat derogare juri naturæ, vel collectivè, vel diſtributivè, id eſt, vel in totum, vel in tantum? *Neg.*

Et conſequenter, annon jus naturæ & gentium ſint ſubordinata? *Aff.*

Ideoqué ſe invicem explicent, non tollant? *Aff.*

Servus Legalis Jure Captivitatis eſt, qui in militiâ captus, cumque à victoribus jure belli occidi potuiſſet, ſervatus eſt: ſic dictus, quòd Imperatores, captâ civitate, ſub haſtâ captivos vendere, ac per hoc ſervare, neque occidere ſolerent. Romuli nepotibus Mancipium audit, quòd ab hoſtibus manu caperetur, captuſq; ſervituti māciparetur, atq; in manum, id eſt, poteſtatem emtoris ageretur. Græcis hominibus Ἀνδράποδον, ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς καὶ πόδος, *quoniam id domino olim, quod οἱ πόδες ſuperiori corpori: An. quia ſine pede ab alieno ſit ſuſpenſus capite talis, quaſi diceres* ἄνδρος ἄποδα? *Ad hanc claſſem referas licet Servum Deditium, qui ſe ex obſidione dedit dedidit in manum ac poteſtatem victoris.*

Annon, ſi non promiſcuè omnis, ſaltem

tem aliqua ſervitus bellica, jure divino, naturali, gentium, ſubſiſtat? *Aff.*

Præcipuè tunc, ſi vitæ captorum parcatur, perqué eam cogitet Princeps hoſtes ſuos punire, quos jure ſummo interficere poterat? *Aff.*

Pœnaqué contingat autores tantùm? *Aff.*

Iiqué, qui in vincula conjiciuntur ſervitutis, ſint homines perditi, corpus ac vitam ſtipendio vendentes? *Aff.*

Neque domeſtici fidei, & communium ſacrorum? *Aff.*

Aut membra ejuſdem Reipublicæ? *Aff.*

Adeoqué, annon etiamnum hodiè liceat captos ex hoſtibus vendere, donare, permutare? *Aff*

Neque capere tantùm, operiſqué ſervare pro beneficio conſervationis, verùm etiam cædere? *Aff.*

Immò occidere? *Aff.*

Præſertim ſi in eos deſæviat gladius, quî, ſi dimitterentur, bellum redintegrarent, victoriamqué eriperent? *Aff.*

Et vel internecione delere? *Aff.*

Subqué jugum mittere? *Aff.*

Multare quin etiam agris, atque ærarios ſtipendiarios & vectigales reddere? *Aff.*

Itemné deſtinare ludis & ſpectaculis? *Neg.*

Aut cum Sicyoniis in lupanari proſtituere? *Neg.*

Vel

Vel oculorum effoſſione, manuum pollicumvé præciſione, pedum amputatione in hos graſſari? *Neg.*

Saltem tunc, ſi jus talionis exigat talem pœnam? *Aff.*

Et vel in mortuorum corpora ſævire, horumqué inſultare oſſibus? *Neg.*

Atque adeò, annon dum parcitur victis, his parcatur ſolius humanitatis intuitu? *Aff.*

Ultraqué victoriam progredi prohibeat æquitas, non juſtitia? *Aff.*

Ideoqué non tantùm in acie liceat occidere hoſtem pugnantem, verùm etiam poſt victoriam, ſive reſiſtat, ſive fugiat? *Aff.*

Et conſequenter tam diu, quàm diu victus non eſt deductus intra præſidia noſtra? *Aff.*

Sævire item promiſcuè in eos, qui juſſi ac neceſſitate compulſi in militiam ſunt profecti, coactiqué partes ſequuntur? *Neg.*

Quivé juſtam pro ſe habent allegare cauſæ ignorantiam? *Neg.*

Aut, qui exorto derepentè bello intra fines hoſtium ſunt deprehenſi? *Neg.*

Quorumqué adeò culpa media eſt inter infortunium & dolum? *Neg.*

Nominatim in milites, qui ad Rempublicam hoſtium non pertinent? *Neg.*

Provin-

Provincialeſvé? *Neg.*

Cives, inquam, & ruſticos amicos? *Neg.*

Eoſvé, qui, etſi aliquo modo pertineant ad Rempublicam hoſtilem, tamen congruâ ſecuritate lætari debeant? *Neg.*

In ſpecie preſbyteros, monachos, converſos, peregrinos, mercatores tranſeuntes, ruſticos euntes ac redeuntes, vel in agriculturâ exiſtentes, horumvé animalia, quibus arant, & ſemina portant ad agrum? *Neg.*

Et universè in homines ad bellum ineptos, ſenes, pueros, mulieres, adeoqué imbellem atque imbecillem turbam? *Neg.*

Litteratoſvé? *Neg.*

Obſideſvé? *Neg.*

Saltem tunc, ſi ſumant arma, & beneficium ætati, ſexui, ordini, juri debitum, malitiâ ac ſpontaneâ inſaniâ amiſſum eant? *Aff.*

Quid de ducibus hoſtium, necandiné? *Neg.*

Saltem tunc, cùm ab his in bellum impulſa eſt multitudo? *Aff.*

Et ſi, atrocibuſné atque immanibus ſuppliciis, an verò militaribus? *Aff: Poſt.*

Convenientibuſqué eorum dignitati? *Aff.*

Quid de regibus, & magnatibus, aleâ belli

belli victis, quomodo tractandi, humaniterné? *Aff.*

Quid de subditis, tenenturné de facto Reipublicæ hâc parte, licet nihil per se peccârint, obliganturqué pro peccato Reipublicæ? *Aff.*

Ita ut conveniri militariter possint, & vel capi, vel occidi? *Aff.*

Annon etiam hîc potior sententia, quæ mitior? *Aff.*

Adeoqué universè præstet, ita cum victis agere, ut & nocere ultrà non possint, & nocere ultrà nolint? *Aff.*

Immò doleant, se non citiùs victos esse? *Aff.*

Hocqué aspectu satius sit, captivos gratis dimittere? *Aff.*

Præstitové lytro? *Aff.*

Aut institutâ permutatione captivorum? *Aff.*

Universè, annon plura liceant hosti, dum bellum adhuc geritur, victoriaqué paratur, quàm cùm parta jam est victoria? *Aff.*

Justiqué mitiùs hostes sint tractandi, quàm injusti, & vix hostes? *Aff.*

Adeoqué ex injustitiâ quoque belli nasci possit justa servitus? *Aff.*

Convenienterqué jus servitutis concedendum quoque etiam sit injustis hostibus? *Dist.*

Si

Si minùs in foro conſcientiæ, ſaltem in foro contentioſo? *Aff.*

Atque ita, etiam qui juſto bello cadunt, fiant capientium? *Aff.*

Neque ſic captis liceat fugere? *Aff.*

Dominové reſiſtere? *Aff.*

An vindicanti domino redhibendi? *Diſt.*

Saltem jure mancipii ſive mancupii? *Aff.*

An mancipium quoque locum habeat in beſtiis? *Aff.*

Hæqué ſtatim, ut natæ ſunt, mancipia eſſe putentur? *Aff.*

Utra etymologia verifimilior, priorné, quòd ab hoſtibus manu caperentur, an poſterior, quòd capta ſervituti manciparentur, atque in manum, id eſt, poteſtatem emtoris, agerentur? *Aff: Prius.*

Annon ſaltem ἑτοιμότερος, atque à poſteriori ſubſiſtat originatio poſterior? *Diſt.*

Si non moribus modernis, minimùm Romanis? *Aff.*

Hebræiſvé? *Aff.*

Quid de dedititiis, annon in hos mitiùs conſulendum, quàm in bello captos? *Aff.*

Præſertim, ſi eos facti pœniteat, ſiqué omnia victoris arbitrio permittant, nihilqué eorum, quæ petuntur, abnuant? *Aff.*

Itemné, ſi contumacia præceſſerit, perfidiavé? *Neg.*

Et, an venia his ſtatim danda, vel pœna

omni-

omninò remittenda, quanquam extremè ſupplicibus? *Neg.*

Siq; jamjã capiendi ſe dedere velint? *Neg.*

An ergò ignominiâ ſint notandi, multandivé, v. gr, honore barbæ, pilei, veſtium, calceorum, ademtione privilegiorum, dejectione pinnaculorum uſque ad primam contignationem, murorum exarmatione, tributorum vel impoſitione vel exaſperatione, ſignorum cruẽtatione, perqué terram inſtar ſyrmatis tractione, aratri inductione, dextræ in ſiniſtram, capitis in pedes, ſexus maſculini in fœmininum Politicâ commutatione, criſtarum exilio ſeu deprivatione, & ſi quæ ſunt generis ejuſdem? *Diſt.*

Atque adeò, annon ſaltem tunc liceat ſævire in eos, ut in bello captos, ſi metus ſit à multitudine dedititiorum, vel non acceptetur deditio? *Aff.*

Annon interim humanius, ut diſpergantur in diverſas, & longè ab invicem diſſitas colonias? *Aff.*

An his ſervanda pacta? *Aff.*

Et, ſi ſine pactis ſe dedant, annon pro modo meritorum, nunc mitiùs, nunc duriùs, poſſint haberi? *Aff.*

Universè tamen potiùs mitiùs, quàm duriùs, eò quòd pro ipſis magis ſtet favor, quàm pro iis, qui vi armis aut munimentis ſunt ſubjugati? *Aff.*

Servus Legalis Jure Nativitatis eſt, qui ex tali

tali captivo natus, ipsâquè naſcendi conditione mox ſervus factus eſt, cùm partus jure naturali ſequatur ventrem, quantum ad ſtatus differentiam, & dominium. Romanis Verna, Græcis propriè magis, immò diſtinctè magis, jam Οἰκογενὴς, *jam* Οἰκοτεχφὴς, *indigetatur, quaſi tu dicas, vere, (quod tempus duce naturâ fœturæ eſt,) adeoquè domi, & natum, & altum.*

An hæc ſervitus, ſive hic modus conſtituendi ſervos, conſurgat ex Iure Gentium, an verò ex Iure Civili? *Aff: Prius.*

Dubitatumquè adeò unquam uſquam ſit inter gentes, num ſoboles debeat ſequi parentes, & non potiùs, quemnam ex parentibus, patremnè, an matrem? *Aff. Poſt.*

Ideoquè ſervitus hæc nativitatis dependeat potiùs ex jure naturæ, ſtante diſtinctione juris gentium à jure naturæ? *Aff.*

Conſequenterquè jure gentium quidem ex bello introducta ſit hæc ſervitus, ſed jure naturali interea fiat, ut ex captis capti naſcantur, ſicut ingenui ex ingenuis? *Aff.*

Jure item naturali fiant noſtra, quæ naſcuntur ex animalibus, dominio noſtro ſubjectis? *Aff.*

Eaquè propter vernæ nomen rectè applicetur apris ac lupis, qui in vivariis ac piſci-

piſcinis hoſpitantur noſtris? *Aff.*

Ventris item nomen, non tantùm prægnanti mulieri, uterové prægnantis, verùm etiam animali, quod in utero? *Aff.*

Convenienterqué ſervitus hæc ſe extendat, non tantùm ad naſcendos, ſed etiam ad naſcituros, id eſt, ad poſteros captivorum, & quidem in infinitum? *Aff.*

Ideoqué omnes, qui poſt legitimam matris ſervitutem concipiuntur, naſcunturvé, ſequantur conditionem matris? *Aff.*

Neque interim habeant, quòd conquerantur de ſuâ calamitate, eò quòd fruantur jure communi, ſequanturqué conditionem omnium hominum? *Aff.*

Non magis, quàm plebs, quòd non ſit nata nobilis? *Aff.*

Atque adeò, annon naturæ conſentaneum, immò bis conſentaneum, ut partus non ſit meliori loco & conditione, quàm parientes? *Aff.*

Ideoqué rectè, immò bis rectè, partus ſequatur ventrem? *Aff.*

Servitioqué ſit ſubjectus uterus ſervientis? *Aff.*

Quicunque demum pater extiterit, ſervus, an liber? *Aff.*

An ideò calamitas matris quoque noceat ei, qui in ventre eſt, hoc eſt, natis jam actu exiſtentibus? *Neg.*

Eâqué

Eâqué de re, etiâsi mater serva peperit, dummodò libera conceperit, quicquid inde nascitur, non non judicetur liberum? *Aff.*

Et si, an ergò in favorabilibus, non nativitatis, sed conceptionis, spectetur dies? *Aff.*

Hocqué præsuppositò, ex eâdem matre, & servi nasci possint, & liberi? *Aff.*

Anquiro ulteriùs, an matris servitus retrò trahatur etiam ad antè natos liberos, aut antè conceptos, qui in favorabilibus habentur pro natis? *Neg.*

Venterqué capiatur cum matre, hoc est, servus fiat is, qui in utero capitur? *Neg.*

Annon saltem, si capientis animus fuerit, partum unà capere? *Aff.*

An ergò, non tantùm contactu corporeo, sed animo quoque, quis possessionem possit adipisci? *Aff.*

Partusqué sit res distincta à matre? *Aff.*

Ideoqué, si ancilla sit legata, venditavé, non censeatur simul quoque legatus & venditus partus? *Aff.*

Annon interim rectè à Medicis fœtus dicatur appendix matris, cujus vitâ vivit, ab Ictis verò portio viscerum maternorum? *Aff.*

An id referendum ad corpus, seu rem ipsam, an verò ad jus? *Aff: Prius.*

Et

Et ſi, an igitur duæ animæ duplex jus exigant? *Aff.*

Matrequé baptizatâ non ſimul etiam intelligatur baptizatus fœtus? *Aff.*

Denique, annon regulariter, qui mulierem cepit, incertus de utero, præſumatur partum voluiſſe unà capere? *Neg.*

Saltem regulariter partus ancillæ redeat ad dominum proprietatis? *Aff.*

Servus hic Legalis ſi libertate donetur, Manumiſſus Libertus, actioqué ipſa Manumiſſio dicitur, quaſi miſſio è manu, putà domini, qui caput ejus, aut aliud membrum tenens, pronunciabat hæc verba ſolennia: Hunc hominem ego liberum eſſe jubeo: Atque hæc dicens eum emittebat è manu, id eſt, poteſtate. Quid enim aliud manumittere, quàm de manu, hoc eſt, poteſtate emittere, ſeu poteſtate liberare? Quid aliud manumiſſio, quàm datio libertatis?

An manumiſſio coacta valeat? *Neg.*

Ideoqué manumiſſus ad populi clamorem, velut metu manumiſſus, rectè reſtituatur domino? *Aff.*

Annon interim Majeſtas ſervum libertumvé ad priſtinam poſſit reducere ingenuitatem? *Aff.*

Maculamqué, quam ſervitus inurere videtur, corrigere? *Aff.*

Vel diſſentiente patrono? *Neg.*

Atque adeò, annon interveniente ma-

numiſſione libertus redeat ad ſtatum naturalem? *Aff.*

Solidaqué huic præſtetur libertas? *Aff.*

Ideoqué non teneatur ampliùs ſequi domicilium patroni? *Aff.*

Omneſné ſervi manumittendi vel tandem? *Neg.*

Nominatim ii, qui vel ob ingenii imbecillitatem ſeipſos ſuſtentare nequeunt, vel maleficiis, morte nondum dignis, libertatem perdiderunt, vel vitam precio viliſſimè vendiderunt, vel deditâ operâ creditores pecuniâ emunxerunt, ſi nectãtur, vel famam cum rebus decoxerunt, vel latrociniis ſe dediderunt, vel aliud aliquod inhoneſtum negocium exorſi ſunt? *Neg.*

Manumiſſioni adverſatur Revocatio in Servitutem ob Ingratitudinem, quando libertus manumiſſus iterum ſub jugum ſervitutis mittitur, eò quòd non præſtiterit patrono ſuo τὰ σωτήρια καὶ ἀντίδωρα, ad quorum præſtationem unuſquiſque naturaliter eſt obligatus.

Annon, qui legitimè manumiſſus, malam patrono refert gratiam, meritò amittat privilegium per ingratitudinem, quo abuſus eſt contra autorem privilegii? *Aff.*

Ideoquè juſtè in ſervitutem recidat? *Aff.*

Dequé

Dequé jure ſervus ſit, etſi de facto ſe fortè ſubtrahat, neque pareat revocanti in ſervitutem? *Aff.*

Et conſequenter, non novum in illo jus conſtituatur, ſed vetus tantùm repetatur? *Aff.*

Adeoqué omni manumiſſioni hæc tacitè exceptio ſit innexa, niſi probentur eſſe ingrati manumiſſi? *Aff.*

An hæc obligatio manumiſſorum ſit naturalis, an verò juris gentium? *Aff. Utr.*

Ideoqué is naturâ debeat, qui jure gentium debet? *Aff.*

Denique, annon jure optimo manumiſſi, ſi contumeliam aut convicium fecerint dixerintvé patronis, mitti poſſint in exilium temporale? *Aff.*

Et convenienter dari in metallum, ſi vel manus his intulerint, vel calumniam aliquam contra eos inſtruxerint, vel delatorem ſubornârint, vel quam aliam cauſam adverſus eos tentârint? *Aff.*

Atque ita non tantùm patronorum fiant ſervi tales, ſed etiam pœnæ? *Aff.*

Ad Servitutem Legalem proximè accedit ſervilis conditio eorum, qui cum agris unà ſerviunt dominis, atque adeò unà cum fundis, tum mancipantur, tum alienantur: quos Cenſitos Romani, eò quòd in libro cenſuali terræ alicui perpetuò colen-

dæ publico judicio eſſent deſtinati, & capitis cẽſum dominis penſitarent: Aſcriptitios, item Glebæ Aſcriptos, eò quòd agris & glebæ ita eſſent aſcripti, ita obnoxii, ut eorum pars eſſe cenſerentur, neque inde ullo pacto poſſent avelli, vendi quin etiam cum ipſis: Nec non Servos Conditionales, eò quòd certis conditionibus dominis ſuis eſſent addicti, atque ita quidem addicti, ut ne ſuum quidem peculium in poteſtate haberent, neque ullam contra eos actionem inſtituere poſſent, niſi ex ſuperexactionis causâ. Germani vocant Leibeigene, *Galli* Mains Mortes, *geminam ob cauſam. Alii Servos Anonymos, vel Quaſi-Servos, eò quòd mixtum quoddam genus, inter ſervos & liberos ambiguum, conſtituerent, ſerviles potiùs quàm ſervi, & liberti potiùs quàm liberi, libertini quàm ingenui.*

An glebæ aſcripti differant à veris ſervis? *Aff.*

Et ſi, an ergò ingenui? *Neg.*

Liberivé, præſertim in ſummo libertatis gradu? *Neg.*

Saltem liberti, libertinivé? *Diſt.*

An par ubique eorum conditio? *Neg.*

Origové? *Neg.*

Atque adeò, annon noſtri illi homines proprii ſint novum genus hominum, juri veteri incognitum? *Aff.*

Ortum ab inopiâ plebis, atque amplitu-

dine

dine divitum familiarum, postquam inter Christianos desinere cœpit antiqua servitus? *Aff.*

An partes familiæ? *Neg.*

Aut iidem cum agricolis & colonis? *Dist.*

Annon fruantur jure proprio, neque domino subjiciãtur, nisi secundum quid? *Aff.*

Huicqué obligari possint civiliter? *Aff.*

Ita ut cum hoc possint contrahere, & negociari in rem suam? *Aff.*

Itemné mutare domicilium originis sine ejus veniâ? *Neg.*

Saltem tunc, si substituant alium æquè divitem? *Neg.*

Vel domino aliter satisfacere parati sint? *Neg.*

Minimùm in causâ piâ, & casu, quem vocant, conscientiæ? *Aff.*

An ergò extra hanc causam & casum ita sint annexi ditioni domini, ut ipso invito sese emancipare, aut aliò conferre nequeant, nominatim ad municipia vicinarum civitatum? *Neg.*

Et, annon his serviant exceptiones, ob quas servi ditione domini eximuntur? *Aff.*

Consequenterqué loco excedere quoque possint ob sævitiam, duritiem, famem? *Aff.*

Obscœnitatemvé, putà, si dominus loci filiam compresserit, uxoremvé? *Aff.*

Et in genere ob tyrannidem? *Aff.*

Atque adeò, an domini horum ſervorum conditionalium in eos habeant jus vitæ & necis abſolutū, ita ut eos poſſint verberare, affligere, torquere, cædere, immò occidere? *Neg.*

Saltem jus quæſitum in bona eorum? *Aff.*

Convenienterqué bona non ſint in eorum poteſtate, ſed ſolus uſus bonorum, ad nutum tamen & commoda domini? *Aff.*

Ideoqué ea mortuis poſſeſſoribus domino cedant, neque ad heredes ſint tranſmiſſibilia? *Diſt.*

Annon interim ea unus ex heredibus, certo interveniente precio, poſſit redimere? *Diſt.*

Aut aliâs manſa ſua queant oppignerare, alienarevé, conſcio tamen quod fiat domino fundi? *Aff.*

An is cauſam reluctandi habeat extra illum caſum? *Neg.*

Juvat quærere ulteriùs: Poſſuntné homines hi proprii matrimonium contrahere, cognationeſqué inire civiles, abſque conſenſu ſui ſuperioris? *Diſt.*

Aut liberos ſuos elocare extra conſortium hominum propriorum ſine veniâ ejuſdem? *Diſt.*

Commerciavé exercere, & alios actus liberos edere, citra permiſſionem ejuſdem? *Diſt.*

Annon

Annon communiter dominis ſuis inſuper teneantur ad operas? *Aff.*

Et ſi, præſtetné eas eſſe arbitrarias, an verò diviſas, numeratas, ſcriptiſqué & pactis comprehenſas? *Aff: Poſt.*

Adeoqué, annon æquitati conveniens, ut ad operas ampliùs non obligentur, niſi ne ipſi egeant, nevé ad inediam operis adigantur? *Aff.*

Ideoqué meritò omnium ſermonibus vapulent Ruſſi, apud quos ſex dierum opéras debent dominis, ſeptimum tantùm ſuis commodis integrum habent? *Aff.*

An hæ operæ & ſervitia alteri queant cedi ipſis invitis? *Neg.*

Aut converti in pecuniæ præſtationem? *Neg.*

An extra territorium debeant edi? *Diſt.*

Aut, qui ad diurnas tantùm obligati ſunt operas, hi ad vigilias, excubias, atque operas nocturnas poſſint cogi? *Neg.*

Annon ſubindè queant dividi inter plures heredes? *Aff.*

Nominatim, atque in ſpecie, an ad ædificationem caſtri dominici teneantur præſtare operas inſolitas glebæ aſcripti? *Neg.*

Aut, ſi dominus fundi plures ex ſe reliquerit filios, his teneantur plures novas domos extruere? *Neg.*

Siqué duo ſint domini alicujus loci, e-

orumqué unus habeat juriſdictionem civilem, alter criminalem, illiné, an huic, debeant præſtare ſervitia? *Diſt.*

Universè, annon heic requiratur ſcientia ejus, qui terram alienam ingreditur cum onere perpetuæ ſubjectionis? *Aff.*

Et, annon detur heic jus pœnitendi poſt factum? *Aff.*

An hi tales verè ſervi, quibus non permittitur in aliquo loco habitare, niſi ſe ex libertate in ſervitutem tradant? *Neg.*

Illivé, qui dominis quotidianas operas præſtare tenentur? *Neg.*

Aut, qui annuatim *eine leibhenne*, vel poſt mortem *den hauptfall* ſolvunt, neque ullo alio onere dominis ſuis ſunt aſtricti? *Neg.*

Annon ſaltem illi, qui glebæ ita ſunt affixi, ut invitis dominis, nec ſecedere, neque etiam bona immobilia jure mancipi poſſidere queant? *Diſq.*

Jure Civili Servi fiunt totidem modis: Venditione ſeu Venundatione videlicet, & Sententiâ ſeu Damnatione.

An rectè duo modi ſervitutum ex Jure Civili conſtituantur, Venditio putà & Sententia? *Neg.*

Annon reverà, ut ex Jure Gentium, ita Civili, non ſit excogitare plures, quàm unum modum? *Aff.*

Ideoqué nulla ſervitus, etiam Jure ſubſiſtat

ſtat Civili, niſi quæ imponitur ut juſtum ſupplicium? *Aff.*

Annon interim ſervitus, quæ ex venundatione, rectè Jure Civili ſit permiſſa, ut puniretur temeritas eorum, qui libertatem tam vili pendunt? *Aff.*

Ideoqué ſaltem tunc liber homo ſe queat vendere in ſervitutem, ſi Reſpublica injuriam ſuam & damnum remittat? *Aff.*

Servus Legalis Jure Venditionis eſt, qui precium accipit, libertatemque ſuam vendit: vel, ut loqui amat Imperator, qui, cùm liber homo fuerit, major viginti annis, ad precium participandum ſe dolo malo venundari paſſus, aut aliâs captus ab hoſtibus, argento redemtus eſt. Ille Servus Emtitius ſive Venalitius, hic Ære Redemtus cluit.

Annon libertas ſit res inæſtimabilis, atque extra commercia humana? *Aff.*

Reſqué publica? *Aff.*

Ideoqué, ſicut eam non licet reſpuere, ita nec liceat prodigere oblatam? *Aff.*

Et conſequenter ex hoc fundamento meritò puniantur, qui eam vendunt, libertatis amiſſione? *Aff.*

Eâqué de re ſubſiſtant pacta, quibus ſe ſponte quis tradit in ſervitutem, turpis lucri causâ? *Aff.*

Si, v. gr, cum modernis Italis quis corpus

pus ſuum mancipet ad agendos remos pro fruſtulo panis? *Aff.*

Aut cum veteribus Hunnis & Germanis libertatem in fortunam jactus unius aleæ deducat, extremo & noviſſimo jactu de corpore contendens, vitamqué poteſtati victoris vel fœneratoris addicens? *Aff.*

Annon tales homines ſint pariſſimi illis, qui ſe olim ſiverunt caſtrari, vel caſtrandos dederunt, emolumenti causâ? *Aff.*

Juſtequé tam illi, quàm hi, detrudantur in eum vitæ ſtatum, quem ſuæ dignitatis atque honoris immemores, non ſine ſacrilegio elegerunt? *Aff.*

Annon neceſſariò intervenire in hâc venditione debeat dolus malus? *Aff.*

An ille etiam locum habere poſſit ante vigeſimum annum? *Aff.*

Saltem ſubſiſtat quoque ante hunc terminum facta venditio, ſi eam poſtea quis probet, accipiendo precium? *Aff.*

An ergò dolus maximè præſumatur ex precii participatione? *Aff.*

An hæc ſervitus ſit conſona ſacris litteris? *Aff.*

Adeoqué ſapiat Eſavi temeritatem, qui pro unius offulæ precio ſive mercedulâ vendidit ſacrum primogenituræ jus? *Aff,*

Conſequenterqué temerarios hos nundinatores, qui improbitate facti, & ſui ipſius furto, præter Deum lædunt Rempublicam,

blicam, in ſervitute relinquat ipſum jus divinum? *Aff.*

Neque ipſos tantùm, qui ſe venum ire ſunt paſſi, ſed horum quin etiam liberos, natos tempore contractæ ſervitutis? *Aff.*

An hæc venditio emtori tradat dominium? *Aff.*

Adeoqué vendens jus libertatis ſuæ poſitivum privativè id transferat in emtorem? *Aff.*

Indequé adeò naſcatur obligatio talis, ut redimere ſe renumerato precio neqeat vendens invito domino? *Aff.*

Annon ſaltem ad libertatem proclamandi jus habeat, ſi aliâ ex causâ ſe quis paſſus ſit venundari? *Aff.*

Inprimis urgente neceſſitate ſummâ, quæ tollit legem? *Aff.*

Atque adeò, annon ſe quis vendere etiamnum poſſit ad redimendam vitam ex furore paupertatis? *Aff.*

Ideoqué rectè ſe olim Ægyptii, preſſi fame, in ſervitutem vendiderint Pharaoni? *Aff.*

An ergò neceſſitas tollat præſumtionem temeritatis ac doli? *Aff.*

Et conſequenter ſaltem aliquandò honeſtè quis ſe ipſum poſsit vendere in ſervitutem, dummodò non noceat publico? *Aff.*

Convenienterqué liberi hominis emtio

etiam contrahi possit extra has causas & casus? *Neg.*

Saltem inter ignorantes? *Neg.*

Annon interim inde contrahatur obligatio de evictione? *Aff.*

Et, ut emtio non teneat, tamen ex emto adversus venditorem queat experiri emtor? *Aff.*

Ut maneam in hoc circo, annon adhuc alio modo per emtionem servitus constituitur Jure Civili, si scilicet captum ab hostibus quis redimat? *Neg.*

Adeoqué, si quis civem redimat, sit redimentis redemtus, fiatqué per redemtionem redemtoris servus? *Neg.*

Minimùm tam diu, quàm diu precio nõdum soluto hæret apud redemtorem? *Neg.*

Annon interim retineri & detineri possit loco pignoris redemtus, donec refundatur redemtionis precium? *Aff.*

Eoqué refuso mox restituatur ingenúitati? *Aff.*

Recipiatqué pristinam libertatem, atque omnia pristina jura, quasi nunquam captus fuisset? *Aff.*

An ergò liber homo possit oppignerari? *Neg.*

Saltem redemtor cum redemtâ cõtrahere nuptias, remisso vinculo pignoris? *Aff.*

Annon ad minimũ servus ab hoste redẽtus sit & maneat nihilominùs servus? *Aff.*

Jure-

Jureq; postliminii redeat ad dominũ? *Aff.*
Idq; dũ fit, inducatur nova servitus? *Neg.*
Universè, an bis captus sit dignus redemtione? *Dist.*

Aut servitus ex captivitate orta omninò plena & certa, an verò in suspenso ac pendenti? *Neg: Prius: Aff: Post.*

Ideoqué heic locum habeat jus postliminii? *Aff.*

Servus Legalis Jure Sententiæ seu Damnationis est, cui loco supplicii servitus imponitur, ita, ut si liber sit, amittat libertatem, si servus, familiam, neque unquam in domini sui redeat potestatem, ne quidem liberatus ab onere pœnæ. Vel brevius: Servus Legalis Jure Sententiæ seu Damnationis est, qui ad mortem damnatus servatur, atq; in servitutem voce prætoris addicitur. Cûm enim servitus sit mitior pœna, quàm mors, jure videtur in servitute retineri posse, quem aliàs mors absumsisset. Vulgò Servus Pœnæ nuncupatur, eò quòd pœnæ existat servus, non domini pœnæ.

An non tantùm dentur servi pœnæ, sed etiam servæ? *Aff.*

Et consequenter servæ pœnæ quoque possint fieri mulieres? *Aff.*

Ideoqué rectè servitute olim punita fuerit mulier ingenua, quæ contra edictum nupsit servo? *Neg.*

Annon, quicunque ad bestias, in metallum,

lum, opuſvé metalli, miniſteriumvé publicum, in lautumias ſive latomias, in opus ſalinarum, ad triremes, ludum, ferrum ſeu gladium,& in genere,capite damnantur, aliâvé pœnâ,quæ vitam adimit, eo ipſo efficiantur ſervi pœnæ? *Aff:*

Simileſqué mortuis? *Aff.*

Et ſi, an in inſtanti, ſimulatque pronunciata eſt ſententia condemnatoria, etiamſi diu pòſt ſupervivant? *Aff.*

An idem, damnare ad beſtias, ludum, ferrum? *Neg.*

Atque in metallum, & opus metalli? *Neg.*

Et utra pœna gravior, damnatio in metallum, an verò in opus metalli? *Aff: Poſt.*

Atque adeò, an, ſicut licet damnare in metallum, & ad triremes, ſic quoque liceat damnare ad ludum & beſtias? *Neg.*

Ideoqué perperàm ad beſtias ſint damnati Chriſtiani ſub impiis Imperatoribus? *Aff.*

Et vel citra damnationem ad beſtias dati, depugnandi tantùm causâ? *Aff.*

Malè item operas ſuas locârint nonnulli ad pugnam cum beſtiis? *Aff.*

Quomodocunque damnentur, annon ocyùs amittant ſervi hi pœnæ, & civitatem, & libertatem, teſtamentiqué factionem? *Aff.*

Etiamné, qui damnantur ad triremes? *Diſt.*

Annon

Annon hi plerunque perdant civitatem tantùm, non etiam libertatem, & testamenti faciendi copiam? *Aff.*

A Tarquinioné Superbo excogitata sit hæc servitus, an verò à Semiramide? *Aff: Post.*

Pessimoqué exemplo cassata à Leone Imperatore, nec multò meliori correcta à Justiniano Induperatore? *Disq.*

Annon servitus hæc pœnæ quoque locum habere potis sit in Republicâ Christianâ? *Disq.*

Adeoq; nō præter rationem servitute & olim punita fuerint,& nūc puniantur,cùm alia, tum hæc facinora, ingratitudo liberti erga patronum,contumacia manumissorū, si qui præfractè restitissent revocāti legitimè in servitutem, submινistratio ferri, armorum, ligaminis galearum, facta Saracenis in præjudicium Christianorum, & in genere submινistratio telorum ac pulveris pyrii cuicunque hosti præstita, venditio suiipsius, debitorum magnitudo, quam ponè ferè sequitur cessio bonorum? *Dist.*

Nominatim, atque in specie, annon rectè magnitudo debitorum hodiequé castigetur carcere, quem vocant, tædii? *Aff.*

Obæratiqué turribus portarum includantur, domové exire prohibeantur, donec solvant? *Aff.*

Vel in liberâ atque apertâ custodiâ tantisper

tiſper detineantur? *Aff.*

Etiamné tunc, ſi per cautionem parati ſint ſatisfacere? *Neg.*

Atque adeò, an juſtè hos creditoribus mancipârint, ſepulturâqué prohibuerint Ægyptii, oppignerato patris cadavere? *Neg.*

Servitiis addixerint Romani, & cõpedibus, primù domeſticis, hinc publicis? *Neg.*

Jus vitæ & necis carceribus, exemplo Athenienſium, adjecerint Decemviri, lege duodecim tabularum conceſsâ dimembratione debitoris inter creditores? *Neg.*

Copiam creditori, alligandi ſervitiis debitorem, fecerint Saxones, idq; tã diu, donec de credito per operas ſatisfeciſſet? *Diſq.*

Hancq; porrò pœnã juſtè extenderint ad heredes, præter ſequiores Hebræos, Longobardi? *Neg.*

Alii ad privatos, ut liceret creditori manum injicere debitori propriâ manu atque autoritate? *Neg.*

Ideoqué meritò conventio de obſtagiis, quæ ſic vocant, ut ſcandaloſa, & juri communi adverſa, ſit rejecta? *Aff.*

Annon ſaltem aliquandò, qui non habet in ære, luere debeat in corpore? *Aff.*

Et ſi, an tunc tam puniatur damnum pecuniariũ in improbis debitoribus, quàm fidei violatio, & animus doloſus? *Aff: Poſt.*

Hocqué in caſu, etiam ex causâ civili, liber homo queat capi, & carceribus mancipari? *Aff.*

Atque

Atque adeò, an magiſtratus indulgentiâ creditoribus jus ſuum poſſit auferri? *Neg.*

Sinequé præjudicio creditorum debitoribus ab eo indulgeri queant poſſint novæ tabulæ? *Neg.*

Aut ideò debitor liberetur obligatione, neque teneatur præſtare ſolutionem reſidui, quia ceſſione bonorum, quæ olim conjuncta cum infamiâ fuit, ex parte ſatisfecit? *Neg.*

Saltem à violentiâ creditorum liberetur miles, dum ſolvit, quantum poteſt, non quantum debet? *Aff.*

Universè, annon diſtinguendum heic ſit inter debitum leve & grave, debitorem, qui non poteſt ſolvere, & qui abnuit ſolvere, quod liquidò ſe debere confitetur, debitorem, qui nullâ ſuâ culpâ, præter expectationem, ex infortunio ad incitas eſt redactus, & eum, qui eò ſe redegit, vel incuriâ propriâ, vel luxuriâ, inter obæratum, inquam, abſque ſuâ culpâ, & decoctorem? *Aff.*

Tum inter ſervitutem, & mortem? *Aff.*

Quid ergò? Servituſné deterior morte ſimpliciter? *Neg.*

Saltem ſecundum quid, id eſt, hujus vel illius reſpectu? *Aff.*

Itemné naturæ reſpectu? *Neg.*

An ergò mors in & per ſe ſit terribilior ſervitute? *Aff.*

Eò

Eò quòd à ſervitute ad libertatem detur regreſſus, à morte ad vitam non item? *Aff.*

Annon interim aliquandò pejus ſit, ſervare in ſervitutem, quàm occidere? *Aff.*

Maximè, ſi non in ſua, ſed dominorum commoda ſerventur capti? *Aff.*

Aut ad laſciva, & morte deteriora ſervitia? *Aff.*

Perpetuamvé ſervitutem? *Aff.*

Adeoqué, annon perennitas ſervitutis momentaneâ ac gloriosâ morte multò ſit durior? *Aff.*

Et, qui lentè perit, graviùs pereat? *Aff.*

Ideoqué, invitum qui ſervat, idem faciat occidenti? *Neg.*

Saltem humaniùs ſæpè homines occidantur, quàm ad mille mortes reſerventur? *Aff.*

Neque magis ſint crudeles, qui volentes vivere occidunt, quàm qui mori volentes non ſinunt? *Aff.*

Atque adeò, annon duplici morte hos afficiant hi tales, & civili, & naturali, illâ antecedenter, hâc conſequenter? *Aff.*

Servus Conductitius ſive Mercenarius eſt, qui ob mercedulam domino alieno operam ſuam ad tempus profitetur, interveniente contractu. Voluntarius alio nomine: item Mercenarius abſolutè, ſed rariùs.

Annon

Annon ſervitus voluntaria ſit omnium juſtiſſima? *Aff.*

An contraria ſacris litteris? *Neg.*

Saltem ea, quam quis ſervit ſub domino diverſæ religionis? *Diſt.*

An contra legem libertatis naturalis? *Neg.*

Et, annon quis poſſit renunciare libertati, ſequé ipſum ſubdere de facto? *Aff.*

An dominus talem poſſit juſtè acceptare? *Aff.*

Atque adeò, annon etiam liberi homines, ſi operas ſuas locent, rectè appellentur mercenarii? *Aff.*

Itemné ſervi mercenarii? *Diſt.*

An non interim ſervus & mercenarius differant? *Aff.*

An ultronea hæc ſervitus in conſortium calamitatis quoque trahat poſteritatem? *Neg.*

Atque ex ſervitiis, à patre vel matre præſtitis, rectè inferatur ad eadem præſtanda à filio? *Neg.*

Saltem tunc, ſi utriuſque ſic tulerit voluntas? *Diſq.*

Ultroné potiùs ſit ſolvenda merces ſic ſervientibus, quàm petenda? *Aff.*

Et ſi, an ideò, quoniam perſona, quæ ſervit, ſit longè dignior, quàm merces, quæ ſolvitur? *Aff.*

An illa merces ſemper ſit pecunia nu

numerata, an verò generaliter mercedis nomine hîc veniat quodcunque præmium, quod ſervis pro labore ac ſtipendio datur exhibetur? *Aff: Poſt.*

Nominatim penſio, quæ alioquin differt à mercede? *Aff.*

Didactrumvé ſeu Minerval? *Diſt.*

Forma Societatis Herilis conſiſtit in mutuâ ad imperandum & parendum obligatione, partim naturali, partim voluntariâ, quæ eſt, aut eſſe debet, inter Dominum & Servum.

An conſenſus ſit cauſa formalis hujus ſocietatis? *Neg.*

Et, ſi non, annon ſaltem obligatio, conſequens atque excipiens illũ conſenſum? *Aff.*

An obligatio illa ſit ἀνάσεφος, an verò ἀνίσεφος? *Aff: Poſt.*

Si ἀντίσεφος, an æqualiter æqualis utrinque? *Neg.*

Annon interim in illâ inæqualitate etiam ex parte ſervi maneat nihilominùs libertas? *Diſt.*

Si minùs facti, ſaltem facultatis? *Aff.*

Et conſequenter vel in ipsâ ſervitute ſervus etiam vinctus, in ipſis vinculis, ſit maneatqué liber, minimùm mente? *Aff.*

Neque perdat libertatem contradictionis, quæ vergit in alterutrum contradictoriorũ, ita ut poſſit agere, & non agere, niſi ſimul tollatur voluntas, aut voluntatis radix intellectus? *Aff.*

An

An eam radicem tollat ſervitus, ita ut ſervus, non tantùm quod actum voluntatis ſecundum ſive imperatum, ſed etiam quoad actum voluntatis primum ſive elicitum, nō ſit ſui juris & ſpontis? *Neg.*

Neque quoad factum tantùm, ſed etiam quoad faciendi principium internum? *Neg.*

An ergò libertas ex hoc potiùs ſit æſtimanda, quàm ex illo, ſervitus contrà ex illo potiùs, quàm ex hoc? *Aff.*

Et, ut ſic, haud dubiè deſtruat libertatem ſervitus, verùm in ſecundis, non in primis, à poſteriori, non priori? *Aff.*

Neque privativè tantùm, ſed etiam poſitivè? *Aff.*

Convenienterqué ſervi, non tam habeant libertatem circumſcriptam, & certis rebus alligatam, quàm penitus ademtã? *Aff.*

An ergò omnis detractio atque imminutio libertatis ocyùs inducat ſervitutẽ? *Neg.*

Aut omne impedimentum operationis, interjectum inter facultatem atque operationem facultatis, limitatioqué licentiæ, interveniens inter actum primum & ſecundum, protinùs tollat extinguat libertatem? *Neg.*

Imperiumvé Politicum, vel legum, vel regum? *Neg.*

Adeoqué cum libertate næ benè poſſit ſtare aliqua neceſſĩtas? *Aff.*

Si minùs quoad exercitiũ, ſaltem quoad ſpecificationem actus? *Aff.* An

An aliam neceſſitatem inferat aut afferat ſervitus? *Neg.*

Finis Societatis Herilis vel Primarius eſt, vel Secundarius.

Primarius eſt ἡ Σωτηρία, Suſtentatio Sui & Suorum.

Secundarius ἡ Βοήθεια, Domeſtici Auxilii Compendium & Commodum circa illam ſuſtentationem, in ipsâ dividuâ vitæ conſuetudine.

An hæc vita ſit vitalis abſque ſervis, id eſt, an commodè vivi poſſit ſine ſervis? *Neg.*

An ideò neceſſe ſit, ſervos ſemper habitare in iiſdem ædibus, & ſub eodem tecto cum dominis? *Neg*

CAPUT VIII.

Conſtitutio Societatis Domeſticæ Perſonalis Compoſita, continens trium Societatum Simplicium Συμπλοκὴν in Familiâ, quæ inde componitur. Vox Familiæ primò liberatur à ſuis ambiguitatibus, inde definitur definitè, & dividitur in Perfectam atque Imperfectam, tum ratione Eſſentię, ſeu Partium Eſſentialium, tum ratione Integrita-

gritatis, seu Partium Integralium, tum ratione Vtriusque, hoc est, -tam Essentiæ, quàm Integritatis, Partiumqué tam Essentialium, quàm Integralium. Ejus hinc proponuntur atque exponuntur Causæ, bis binæ numero. Causa Conficiens Familiæ Remota, Propinqua, Proxima. Materia, seu Personæ Constituentes. Harum Nomenclationes variæ, quà Græcæ, quà Latinę. Forma dictę Societatis, & Finis, isque duplex. Dubia, seu Quæstiones Controversę, incidenter & pro re natâ.

EXpositâ Constitutione Societatis Domesticæ Personali Simplici, tam Essentiali, quàm Integrali, succedit Composita.

Constitutio Societatis Domesticæ Personalis Composita est, quæ primò inter plures homines necessitatis causâ ad constituendam etiam hanc societatem est adinventa atque introducta: Complectiturque primam Conjunctam sive Compositam Societatem, quam nominant Familiam.

Vox Familiæ universè accipitur vel Abstrativè, vel Concretivè.

Abstra-

Abstractivè capitur pro rectà gubernatione plurium personarum, unius patrisfamiliâs domestico imperio subjectarum, earumque rerum, quæ ipsis propriæ sunt, atq; ut sic societati domesticæ coêxtēditur.

Concretivè capitur adhuc bifariàm. Vel enim sumitur προσωπικῶς, vel πραγματικῶς, hoc est, vel refertur ad Personas, sumiturque Personaliter, vel refertur ad Res, sumiturque Realiter.

Relata ad Personas iterum accipitur, vel Propriè, vel Impropriè.

Propriè accepta porrò refertur, vel ad Homines Liberos, vel ad Homines Servos.

Ad Homines Liberos relata rursus accipitur, vel Latè, vel Strictè.

Latè sumta significat corpus quoddam certum hominum, agnationis necessitudine inter se conjunctorum, sive corpus agnatorum plurium inter se, communem quidem agnationis stipitem habentium, sed in quo sunt capita plura, quæ vicissim familias proprias habent, ex eâdem domo ac gente deductas.

Strictè sumta significat corpus quoddam hominum, cujus caput ac princeps unus, cæteros, qui sunt ejusdem familiæ, in potestate ac ditione suâ habens. Neque enim solis membris constat familia, sed capite & membris, ut omne corpus.

Ad Homines Servos relata notat vel commo-

connotat servos, idque vel exclusivè, hoc est, eos solos, sive reverà servi sint, sive liberi homines, bonâ fide servientes, vel inclusivè, hoc est, servos cum liberis hominibus non servientibus.

Impropriè accepta traducitur ad significandam Sectam, Hæresinve.

Relata ad Res indigetat totam possessionem seu patrimonium, quod cujusque, cum moreretur fuit.

Nobis in præsenti materiâ seu argumento Familia seu Domus, ὁ Οἶκος ἢ ἡ Οἰκία, *est prima, eademque ultima, societas domestica personalis composita, è conjugio simplicium societatum constans, vigens inter patremfamiliâs & domesticos, id est, matrem liberos & servosfamiliâs, libere ac legitimè consentientes, orta ex mutuâ illarum personarum obligatione relationeve, partim individuam partim dividuam vitæ consuetudinem inferens, instituta secundum naturam, præter sobolis generationem, propagationem, & sustentationem, quotidiani auxilii atque usus gratiâ.*

Annon vox familiæ rectiùs derivetur à femore, ut significet ex uno femore descendentes, quàm vel à voce Oscâ famul sive famel, vel à famâ? *Dist.*

Annon interim illa originatio prior quàm proximè accedat ad sacram scripturam? *Aff.*

An nomen collectivum? *Aff.*

Et ſi, an ergò uno numero ſingulari plura comprehendat? *Aff.*

Neque homines tantùm, ſed etiam res? *Aff.*

Illoſqué ſignificet, has conſignificet? *Aff.*

Annon nomen juris? *Aff.*

Et magis quidem, quàm vel perſonarum, vel rerum? *Aff.*

Conſequenterqué, annon per τάξιν potiùs ſit definienda, quàm per perſonas, aut res? *Aff.*

Iterumqué universè magis per perſonas, quàm res? *Aff.*

Atque adeò, annon familiæ appellatione non ſervi modò veniant, ſed & liberi homines, qui in poteſtate noſtrâ ſunt? *Aff.*

Etiam homines liberi, bonâ fide nobis ſervientes? *Aff.*

Neque illi tantùm, qui in ſervitio ſunt, verùm etiam illi, qui in miniſterio? *Aff.*

Annon interim initiò hoc nomine tantùm venerint ſervi? *Aff.*

Annon ſubindè nomine familiæ intelligatur tota cognatio ſanguinis? *Aff.*

An, ut ſic, differat à gente? *Aff.*

Et ſi, an ut latius & anguſtius? *Aff.*

Adeoqué, annon detur una familia, ad quam omnes ſtirpes referantur, præterqué eam aliæ, quæ ex ſtirpibus conſtant? *Aff.*

An

An ergò, quot ſunt unius gentis diverſæ ſtirpes, totidem ejuſdem gentis ſint diverſæ familiæ? *Aff.*

Et convenienter familia, non ad cognomen ſolùm referatur, ſed etiam ad nomen, id eſt, tam ad gentem, quàm ad ſtirpem? *Aff.*

Ideoqué omnes, qui ejuſdem ſunt nominis, ejuſdem quoque ſint familiæ, gentis ſive generis reſpectu? *Aff.*

Et contrà, quot diverſæ ſtirpes, tot diverſæ familiæ, ſtirpium reſpectu, non quidem nomine, ſed cognomine? *Aff.*

An familia hæc tantùm conſtituatur naturâ, ſive per cognationem, quæ eſt ex ſanguine, & juſtis nuptiis, an verò etiam lege, ſive per adoptionem? *Aff: Poſt.*

Dequé familiâ ſint cognati, non nati tantùm, ſed & naſcituri, neque ſolùm maſculi, ſed & fœminæ? *Aff.*

Et ſi, an fœminarum liberi propterea ſint in familiâ earum? *Neg.*

Saltem de familiâ? *Aff.*

Quantum ad præſens inſtitutum, accipiturné hoc loco nomen familiæ, vel pro gente, ſeu totâ ſerie agnatorum, vel pro certâ aliquâ ſtirpe? *Neg: Utr.*

An ergò pro pluribus perſonis, quæ ſub unius poteſtate in eâdem domo vivunt, naturâ aut jure ſubjectæ? *Aff.*

An hâc familiæ appellatione contineatur

tur etiam ipſe princeps familiæ? *Aff.*

Et, ut ſic, familiâ legatâ comprehendantur ſinguli homines, qui ſunt in familiâ? *Neg.*

Verumné ejus genus, perſonæ, multitudo, cœtus? *Neg.*

Societaſvé? *Aff.*

An idem, quod domus? *Diſt.*

Saltem metonymicè? *Aff.*

Atque adeò, annon vox οἶκος ἢ οἰκία & ipſa ſignificet, nunc ſeriem univerſam agnatorum, nunc univerſam poſſeſſionem? *Aff.*

Et in genere, tam domum, quàm familiam, tam familiam, quàm domum? *Aff.*

Familia hæc universè vel Perfecta eſt, vel Imperfecta.

Familia Perfecta eſt, quæ conſtat omnibus ſocietatibus ſimplicibus, cuique adeò nihil, neque ad eſſentiam, neque ad integritatem deeſt: Qualis eorum, qui præter uxorem & liberos, etiam familiam, id eſt, ſervos habent.

Familia Imperfecta eſt, quæ non conſtat omnibus ſocietatibus ſimplicibus, cuique adeò aliquid, jam ad eſſentiam, jam ad integritatem, jam ad utramque deeſt.

Eſtque vel Minùs, vel Magis, vel Maximè Imperfecta.

Annon ad omnem perfectam familiam, ad ejus complementum, concurrant pa-

terfa-

terfamiliâs, uxor, liberi, ſervi, id eſt, omnes tres ſocietates ſimplices? *Aff.*

Itemné res familiaris? *Neg.*

Perindequé adeò liberi & ſervi requirantur in familiâ, quò evadat perfecta, atque omnibus numeris abſoluta, quemadmodum pecunia, quæ ſuſtentandæ conducit familiæ, neque tamen deſideratur, ut pars conſtituens? *Neg.*

Familia Minùs Imperfecta eſt, cui nihil ad eſſentiam, aliquid ad integritatem deeſt: Qualis eorum, quibus ſterilis eſt torus, & conjugium ἄτεκνον, improle, aut εὔτεκνον quidem, ſive proliſicum, verùm ἄδουλον, ſine ſervis.

An familia imperfecta jure dici poſſit, quæ deſtituitur liberis & ſervis? *Aff.*

Etiamné tunc, cum nondum poſſunt eſſe liberi aut ſervi in familiâ, per naturam, artemvé? *Aff.*

Et ſi, an propter defectum finis, ac non potiùs partis? *Neg: Prius: Aff: Poſt.*

Eſſentialiſné, an integralis? *Neg: iterum Prius: Aff: Poſt.*

Annon interim ſic finis familiæ poſſint dici perhiberi liberi, ſicut concluſio ſyllogiſmi? *Aff.*

An rectè inter bona poſſeſſa collocentur in ſacris? *Aff.*

Atque adeò, annon quis poſſit eſſe paterfamiliâs, etiamſi ſit ἄπαις vel ἄδουλος? *Aff:*

In ipsâ, inquam, liberorum aut servorum orbitate? *Aff.*

Verùm imperfectus scilicet? *Aff.*

Familia Magis Imperfecta est, cui nihil ad integritatem, aliquid ad essentiam deest: Qualis Viduorum & Viduarum, qui quæve, præter prolem ex conjugio, servum habent, ancillamvè.

Annon vidui & viduæ nomen næ appositè derivetur ab antiquo verbo iduare, quod est dividere, eò quòd ille divortio vel morte interveniente sit divisus à suâ uxore, hæc à suo marito? *Disq.*

Annon verisimiliter magis, immò verè magis deducatur à particulâ privativâ ve, & duitate, quasi dicas, sine duitate existentes, quoniam mattimonium, neque plurium, neque pauciorum, quàm duorum? *Aff.*

An viduæ vocabulum semper denotet fæminam, quæ aliquandò nupta fuit? *Neg.*

Et, si non, annon subindè quoque virginem, quoque eam, quæ quidem nupta est, verùm mariti usu caret, non secùs, ac si divortium interceſſisset, aut nunquam virum habuisset, quoque quin etiam eam, quæ ingressa religionem vidualiter vivit? *Aff.*

Annon saltem maximè propriè fœminam nuptam innuptam? *Aff.*

Itemné eam, quæ alteri post mortem prioris

prioris viri nupſit? *Neg.*

Convenienterqué legatum, factum mulieri, ſi vidua remanſerit, non non requirat perpetuam viduitatis profeſſionem? *Aff.*

Familia Maximè Imperfecta eſt, cui aliquid, tum ad eſſentiam, tum ad integritatem, deeſt: Qualis tenuiorum Viduorum Viduarumvè, prolem quidem habentium, ſed non item ſervum, aut ancillam, vel habentium quidem ſervum, ancillamvè, ſed non item prolem.

An etiam viduus poſsit eſſe paterfamiliâs? *Aff.*

Etiam cœlebs, habens famulum? *Aff.*

Itemné cœlebs, cui bos pro ſervo? *Neg.*

Cauſæ Familiæ, ſicut cæterarum Societatum Oeconomicarum, unde coaluit, & ipſæ ſunt bis binæ numero: Efficiens, Materia, Forma, & Finis.

Cauſa Efficiens Familiæ vel Remota eſt, vel Propinqua, vel Proxima.

Cauſa Efficiens Remota eſt Deus Optimus Maximus, numen verè κατοικίδιον, cui domus domeſtici & domeſtica curæ cordiqué.

An conſtitutio familiæ ſit inſtitutionis divinæ, ſeu à Deo? *Aff.*

Et conſequenter vita, quæ vivitur in familiâ, ſit ſancta, & Deo placens? *Aff.*

Contrariaqué vita, quam quis vivit extra

familiam, contra Dei instituentis institutionem? *Dist.*

Saltem regulariter? *Aff.*

An hæc societas quoque etiam locum fuerit habitura in paradiso ante lapsum? *Dist.*

Causa Efficiens Propinqua est Natura, quæ homines societates simplices ad hoc exemplum copulare, commodaque singularum conjungere jußit, imitatione symbolicarum cœnarum.

An constitutio familiæ quoque sit institutionis naturalis, seu de naturæ instituto? *Aff.*

Ideoqué ortum suum ducat ex naturâ, non ex jure? *Aff.*

Necessitatevé? *Dist.*

Convenienterqué homines ipsius naturæ instinctu & ductu primitùs coierint in hãc vitæ familiaris societatem? *Aff.*

Neque tam vivendi, quàm benè vivendi gratiâ? *Aff.*

Ideoqué vita lucifugarum & melancholicorum, qui sectantur sola loca, procul consortio hominum, sit contra naturam? *Dist.*

Si minùs particularem, saltem universalem? *Aff.*

Annon hæc eorum natura privata sit corrigenda ex communi? *Aff.*

Quid de Eremitarum & Anachoretarum

rum vitæ inſtituto, annon cornibus adverſis incurrit in Dei & naturæ diſpoſitionem? *Aff.*

Cauſa Efficiens Proxima eſt, partim Conſenſus interveniens perſonarum coëuntium in hanc ſocietatem, partim præſens immò præſentiſſima Neceſſitas atque Indigentia, quæ ſuadelæ vim habet.

An primi mortalium pecudum ritu vixerint, antequam condeſcendiſſent ad hãc familiaris vitæ conſuetudinem? *Neg.*

An coierint primitùs in familiam ob ignis ſalutare & neceſſarium elementum, artiſqué coquinariæ commoditates? *Neg.*

Eloquentiævé præſtigium, aut Muſicæ amicam vim? *Neg.*

An ergò proximè naturam ob victus ac vitæ neceſſitates? *Aff.*

Metumvé? *Aff.*

Atque adeò, annon magna familiarum ſemper ſit, fueritqué ſemper, futuraqué ſit ſemper neceſſitas in mundanâ hâc Republicâ? *Aff.*

Etiam Civili? *Aff.*

Et ſi, annon malè has miſceat Plato, immò tollat, inductâ uxorum communione? *Aff.*

Eumq; ſecuti Scythæ Garamantes, qui & ipſi communes aluerunt uxores, liberos verò, ex promiſcuo concubitu genitos, adjudicârunt ei, cui eſſent formâ quàm ſimillimi? *Aff.*

Per maresné, an fœminas, hæ continuentur Politicè? *Aff: Prius.*

Ideoqué rectè illi his præferantur Politicè in obtinendis familiæ bonis, præsertim inter familias illustres? *Aff.*

Annon interim fœminæ, quàm diu in potestate patris sunt, habeant familiam? *Aff.*

Itemné, cum per nuptias transierunt ex eâ familiâ, in quâ natæ sunt, in aliam? *Neg.*

Consequenterqué privilegium immunitatis, concessum generi ac posteris, hoc in casu non pertineat ad fœminas? *Aff.*

Et convenienter statutum, excludens cognatos, atque admittens agnatos, haud includat fœminas agnatas, ne proximiores quidem? *Aff.*

Cumqué ea familiarum sit necessitas, præsertim illustrium, annon operæ precium precium operæ sit, has quàm studiosissimè conservare? *Aff.*

Extinctisqué veteribus subindè substituere novas? *Aff.*

Materia Familiæ sunt ipsæ Personæ, Societatis hujus Constitutivæ, inde Pater & Mater, hinc Liberi & Servifamiliâs. Uno nomine Domestici seu Familiares, qui σύνοικοι ἢ ξύνοικοι, ὁμοσύπιοι, ὁμόσυπνοι, ὁμόκαπνοι, ὁμόκηπιοι, ὁμόκαπιοι, ὁμοέστιοι, ὁμοδίαιτοι, σύναλοι, ὁμογάλακτες

Græ-

Græcis: Latinè loquit antibus, condomeſtici, compenuarii, condormientes, eodem foco utentes fruentes, ejuſdem horti ac ſepti participes, contubernales, convictores, conſalanei, collactanei.

Annon domeſtici, laxè ſumtâ voce, ſint non tantùm ii, qui in eâdem domo habitant, ejuſdemque ſunt familiæ, verùm etiam ii, qui ejuſdem ſunt gentis atque agnationis? *Aff.*

Itemné ſtrictè? *Neg.*

Atque adeò, quot perſonæ ad minimum conſtituant συσπικῶς familiam ſtrictè ſumtam, treſné, an quatuor? *Diſt.*

Annon ſaltem tres, ſi accipias eam de liberis perſonis excluſivè, quatuor, ſi de ſervis incluſivè? *Aff.*

Totidemné σωσικῶς? *Neg.*

Annon ut ſic familia conſervari poſsit vel in unâ perſonâ? *Aff.*

Et ſi, an tunc jus omnium in unam illam perſonam recidat? *Aff.*

Ideoqué juſſus relinquere in familiâ rectè relinquat uni? *Aff.*

Universè, annon, prout accipitur nomen familiæ, quod variè mutat ſignificationem, ita nunc plures nunc pauciores in eâ requirantur perſonæ? *Aff.*

Adqué complementum ejus ſufficiat vel unus filius, unus ſervus? *Aff.*

Et conſequenter liberorum ac ſervorum

multiplicatio non multiplicet familiam? *Aff.*

Nedum ut parvam à magnâ, magnam à parvâ, faciat differre ſpecie? *Aff.*

Atque adeò, annon familia quandoque Rempublicam poſsit ſuperare perſonarum multitudine? *Aff.*

An propterea talis familia conſtituat Rempublicam? *Neg.*

Sequé illa habeat ut numerus, qui adjectione ſingularum unitatum mutat ſpeciem? *Neg.*

Eaqué propter tam familiæ cenſendæ ſint, quæ ex infinito ſervorum aut liberorum conſtant numero, quàm quæ ex parvo? *Aff.*

Et vel uno ſervo diſtributivè? *Aff.*

Ideoqué Apulejus, cum homines liberos dicit eſſe populum, totidem ſervos familiam, totidem vinctos ergaſtulum, numerum certum exprimere putandus ſit pro incerto? *Aff.*

Annon interim ex vi Latini ſermonis, quando familia capitur pro ſervis, in uno ſervulo nomen familiæ non vertatur, ſed in tribus ad minimum? *Aff.*

Et ſi, an ideò, quia nomen familiæ eſt collectivum, unitas autem eſt principium numeri, dualitas primus numerus? *Aff.*

Pater & Materfamiliâs ſunt perſonæ principes hujus ſocietatis, habentes liberos & ſervosfamilias. Utrum

Utrum nomen sit gratius, pietatisné, an potestatis? *Aff.* *Prius.*

Et si, annon in hoc veterum clementia atque humanitas sit laudanda, quod omnem invidiam dominis detrahentes, eos patres potiùs, quàm dominos familiæ appellârint? *Aff.*

Annon patrisfamiliâs nomine non tantùm veniat rex & princeps familiæ, cui domestici subsunt, suo quisque ordine, verùm in genere dux ac princeps generis? *Aff.*

Etiam pupillus? *Aff.*

Etiam filius cujuscunque ætatis, morte patris sui juris effectus, quantumvis investis? *Aff.*

Adeoqué etiam is, qui id habet juris, ut, si naturâ non possit, adoptione sibi procreet liberos? *Aff.*

Quin immò quoque is, qui in domo alienâ in uxorem liberos libertos velut dominationem exercet, licet nullius rei proprietatem habeat, ne sui quidem ipsius? *Disq.*

Saltem is, qui nec liberos, nec uxorem, nec libertos, nec mercenarios quidem ullos, sed tamen servos in dominio habet? *Aff.*

Annon interim maximè propriè cluat paterfamiliâs is, in quo hæc omnia concurrunt? *Aff.*

An necessariò unus tantùm sit & extet pater-

paterfamiliâs? *Aff.*

Ideoqué accipiendus ſit in individuo, ne biceps monſtrum ex juſtâ familiâ condatur? *Aff.*

An idem quoque teneat in matrefamiliâs? *Aff.*

Hocqué poſito ac præſuppoſito nequeant eſſe plures in unâ familiâ, præter unam? *Aff.*

An antè dicatur materfamiliâs, quàm vir ejus fuerit paterfamiliâs? *Neg.*

Et conſequenter nomen illa ſit mutuata inde, quòd non in matrimonium tantùm veniſſet mariti, ſed etiam in familiam? *Aff.*

An differat à matre? *Aff.*

Matronâvé? *Aff.*

Et ſi, an ut ſcropha à porcetâ? *Neg.*

Annon diſcrimine non obſtante ſubindè accipiatur pro matronâ? *Aff.*

Atque adeò, an interſit, nuptané ſit, an vidua, ea, quæ dicitur eſſe materfamiliâs, libertina, an ingenua? *Neg.*

Concubinavé? *Diſt.*

Virgové nondum viri potens, dummodò morte patris ſui juris ſit effectâ? *Neg.*

Emancipatavé? *Neg.*

Liberi & Servifamiliâs ſunt perſonæ deincipes hujus ſocietatis, habentes patrem & matremfamiliâs.

Annon etiam hîc veterum humanitas

ſit

sit deprædicanda, quòd omnem contumeliam liberis & servis detrahentes, eos appellârint familiares? *Aff.*

An propterea ocyùs omnes liberi sint liberifamiliâs? *Neg.*

Nominatim nati ex concubinâ? *Neg.*

Aut ex furtivo coitu sponsi cum sponsâ? *Disq.*

Annon saltem adoptivi? *Dist.*

Legitimativé? *Aff.*

Aut, qui nati sunt septimo mense completo post consummatum matrimonium? *Aff.*

Itemné liberi spirituales, id est, ii eævé, qui quævé sunt susceptæ de sacro baptismatis lavacro? *Neg.*

Partusvé monstrosi? *Neg.*

Quid de Hermaphrodito, filiusné-familiâs, an verò filiafamiliâs? *Dist.*

Quid de servo, qui natus ex alterius servo, & nostrâ ancillâ, communisné? *Neg.*

Et, si non, an ergò ejus, cujus est ancilla? *Aff.*

Sit quis natus ex furtivo coitu domini cum ancillâ, filiusnéfamiliâs, an servus? *Neg: Prius: Dist: Post.*

Sit alius natus ex ancillâ fructuariâ, fructuariiné is servusfamiliâs, an verò proprietarii? *Neg: Prius: Aff: Post.*

Forma Familiæ consistit in obligatione, partim naturali, partim voluntariâ, prodeunte

deunte ex consensu relationevè, inter Patrem Matrem Liberos & Servosfamiliâs.

An consensus sit causa formalis familiæ? *Neg.*

Et, si non, annon saltem obligatio, consequens atque excipiens illum consensum? *Aff.*

An obligatio illa sit ἀναίσεφορ, an verò ἀντίσεφορ? *Aff: Post.*

Si ἀντίσεφορ, an æqualis, an verò inæqualis? *Aff: iterum Post.*

Atque adeò, annon bis conveniens, immò utile sit, familias vigore hujus obligationis habere communionem consiliorum, sacrorum, nominis gentilitii, insignium, honoris, sive minorum illæ gentium fuerint, sive majorum? *Dist.*

Si minùs Oeconomicè, saltem Politicè? *Aff.*

Ideoqué familiæ facta meritò præsumatur scire is, qui est de familiâ? *Aff.*

Sacravé familiaria seu familiarica? *Aff.*

Convenienterqué, qui sunt de familiâ, non permittere temerè unquam debeant, ut familiæ immutetur nomen? *Aff.*

An ergò gentis nomen semper debeat manere, prænomina tantùm & cognomina mutari? *Aff.*

Aut, an ex eo solo, quod quis novum sibi assumsit nomen, oriatur præjudicium? *Dist.*

Ut

Ut veniam ad insignia, annon & ea sanctè debeant tueri familiares, nullo adjecto, nullo demto, præsertim si virtute majorum sint parta? *Aff.*

An permittere aliis, ad familiam non pertinentibus, ut eo honestamento insigniantur, insigniaqué ipsorum gentilitia præ se ferant? *Neg.*

Adeoqué, quoniam honor familiæ ad omnes spectat, cavere suo loco debeant singuli, ne qui per fraudem & impostu-ram ipsorum se familiæ inserere conentur, per quos labecula toti postmodùm cognationi aspergatur? *Aff.*

Ideoqué, quò impostura illæ evitentur faciliùs, hi, qui se familiæ alicujus membra esse profitentur, apertissimis documẽtis fidem facere nolentes volentes teneantur ipsis familiæ principibus? *Aff.*

Annon interim unicuique semper liceat sibi fingere insignia, dummodò ne usurpet ea, quæ aliarum familiarum sunt propria, neque obstet mos patrius, seu consuetudo regionis? *Neg: Prius: Disq: Post.*

Atque adeò, annon distributio & collatio insignium rectè nostris moribus pertineat ad Heraldos, & artem Heraldicam, *die Wapenkunst?* *Aff.*

Rectè item nostris moribus desiderentur litteræ authenticæ, *der Wapenbrieff?* *Aff.*

An-

Annon pleraque omnia insignia constare soleant symbolis hieroglyphicis, significanter sculptis pictisvé, juxta Hierographiæ præscriptum? *Aff.*

Figurisqué animalium, præsertim eorum, quæ à fortitudinis notâ commendantur? *Aff.*

An rectè morem hunc more suo perstringat Cornelius Agrippa? *Neg.*

Annon saltem hactenus rectè, immò bis rectè, quòd hieroglyptæ nostri stultâ sapientiâ in animalibus ac coloribus philosophantur, astrologicantur, & theologizant? *Aff.*

Atque adeò, annon universè præstet cum Willigiso Moguntino clypeo suo inserere humilis ortus sui signacula ac memoracula? *Aff.*

Quid de eo more, quo olim, qui militabant, primò purum clypeum gestâsse perhibentur, usquedum aliquid fortiter laudabiliterqué gessissent, igitur demum, pro conditione viri ac facti, insignia sive intersignia accepisse, probandusné? *Aff.*

Transeo ab insignibus familiæ ad honores familiæ, annon, cum injuria infertur uni de familiâ, omnibus ea illata esse censeatur? *Aff.*

Ideoqué per liberorum, uxoris, servorum latus, injuriam patiatur tota familia? *Aff.*

Itemné

Itemné per mercenarios? *Dist.*

Atque instrumenta domestica? *Aff.*

Ad canes usque domesticos inclusivè? *Dist.*

Finis Familiæ vel Primarius est, vel Secundarius.

Primarius idem est conjunctim, qui trium Simplicium Societatum separatim, videlicet Generationi conjuncta, cùm Propagatio, tum Sustentatio.

Secundarius est Quotidianum Auxilium Domesticum, in ipsâ partim individuâ partim dividuâ vitæ consuetudine.

Quæstiones hujus loci huc repetantur ac revocentur ἀπὸ κοινοῦ è superioribus, suis quæque è sedibus, adhibito judicio Philosophico.

CAPUT IX.

Constitutio Societatis Domesticæ Realis, seu Possessionum Domesticarum, quam Accidentalem indigetes licet. Quid Possessio Domestica? Genera ejus Summa duo, alterum Naturale, alterum Artificiale. Vtriusque Divisiones & Subdivisiones variæ, tum Descriptiones, nominatim Servi & Domus,

Domus, quæ nobiliſſimæ poſſeſſionum, ille inter naturales, hæc inter artificiales. Dubia, ſeu Quæſtiones Controverſæ, incidenter & pro re natâ.

VIdimus Conſtitutionem Societatis Domeſticæ quoad Perſonas: Sequitur ejuſdem Conſtitutio quoad Res ſeu Poſſeſſiones, quibus perſonæ illæ indigent. Realem non inconcinnè ex re nuncupaveris: Item Accidentalem, non quidem in ordine ad Artem, ſed in ordine ad Familiam.

Conſtitutio hæc Societatis Domeſticæ Realis ſive Accidentalis eſt, quæ continet Res, id eſt, Partes ejus Accidentales: Complectiturque universè Poſſeſſiones, quas vocant, Domeſticas, & ipſas neceſſarias ad τὸ εἶναι ſeu eſſe ejus, verùm ἐπουσιώδες, accidentale.

An τὰ κτήματα ſint pars Oeconomicæ; *Aff.*

Etiamné Oeconomiæ? *Diſt.*

Si minùs ratione familiæ conſtituendæ, ſaltem ratione conſtitutæ? *Aff.*

Et conſequenter acceſſorium principalis, non ipſum principale? *Aff.*

Poſſeſſio Domeſtica, (quæ eadem & Res Familiaris, & ſubſtantivè Res Familiæ,)

liæ,) nihil est aliud, quàm multitudo instrumentorum domesticorum, quæ necessaria sunt præmemoratis societatibus, tum ad vivendum, tum ad commodè vivendum.

Annon possessio, quasi pedum positio, *besitzung*, & quædam veluti κατοχὴ, detentio? *Aff.*

Et si, an ergò possidere sit omninò atque simpliciter sedere, an verò sedendi jus, hoc est, vim ac potestatem habere? *Aff. Post.*

Ideoqué possessio non sit ipsa res, sed proprietas, atque usus, sive actus rei? *Aff.*

Hocqué aspectu differant, possidere, atque in possessione esse, esse possessorem, atque in possessione esse, possidere juberi, atque in possessionem mitti? *Aff.*

Ita ut alterum sit facti, alterum juris? *Aff.*

An item possidere, habere, tenere? *Aff.*

Possidere animo, & possidere corpore, atque animo & corpore simul? *Aff.*

Possessio item, & quasi-possessio, ita ut propriè possideantur res corporales, non possideantur sed quasi-possideantur jura, cæteraqué incorporalia? *Aff.*

Convenienterqué possessio, & res possessa? *Aff.*

Possessio bonorum, & bonorum possessio? *Aff.*

Nec

Nec non poſſeſſio, & dominium? *Aff.*

Atque adeò, annon dominium juris, poſſeſſio facti? *Aff.*

Ideoqué poſſeſſio juris ordine autoritatequé dominio ſit poſterior, licet origine ſit prior? *Aff.*

Dominiqué adeò ex unâ tantùm causâ poſſimus eſſe, poſſeſſores verò ex multis? *Aff.*

Annon hîc, ſi una cauſa non valeat, alicui per alteram poſſit conſuli? *Aff.*

Quicquid ſit, annon interim dominus rem ſuam poſſideat jure dominii, quod in eam habet, hoc eſt, ideò, quia eſt dominus rei, quam dicitur poſſidere? *Aff.*

Ideoqué, ſicut non poſſunt ejuſdem rei duo eſſe in ſolidum domini, ita nec poſſeſſores? *Aff.*

Neque naturaliter, neque civiliter? *Aff.*

Nedum unus civiliter, alter naturaliter? *Neg.*

Unus juſtè, alter injuſtè, unus vi, alter clam? *Neg.*

Annon ſaltem tunc duo pluresvé poſſint eſſe poſſeſſores in ſolidum, ſeu mitti in poſſeſſionem in ſolidum, ſi immittantur cuſtodiæ causâ, non ut poſſideant? *Aff.*

Atque adeò, annon quis quid poſſit poſſidere etiam per alios? *Aff.*

An, qui ſic poſſident, ſibi credantur poſſidere,

ſidere, an verò domino rei? *Aff: Poſt.*

Ideoqué poſſeſſio remaneat apud eum, qui conceſſit poſſeſſionem, aut conſenſit in poſſeſſionem? *Aff.*

Præſertim, ſi ea fuerit precaria? *Aff.*

Immò etiam, ſi non fuerit precaria? *Aff.*

An ergò idem quoque locum habeat in iis, qui ex conducto poſſident? *Aff.*

Conſequenterqué non conveniat appellari eos poſſeſſores, qui ita quid tenent, ut ob hoc ipſum ſolitam debeant præſtare mercedem? *Aff.*

Annon interim hi tales teneant rem corporaliter? *Aff.*

An poſſeſſio ſit continua, etiamſi non penes unum eundemq; ſemper ſit, verùm ab uno ad alium transferatur, dummodò legitimè? *Aff.*

Itemné, ſi medius aliquis ex auctoribus non poſſedit? *Neg.*

An etiam rerum inutilium? *Aff.*

Prohibitarumvé poſſideri? *Neg.*

Annon interim fur poſſideat res ablatas? *Aff.*

An poſſeſsio rectè appelletur inſtrumentum? *Aff.*

Organumvé? *Diſt.*

An igitur inſtrumentum atque organum differant? *Aff.*

Et ſi, an ut latius, & anguſtius, ita ut omne quidem organum ſit inſtrumentum, ſed

ſed non omne inſtrumentum organum? *Aff.*

Annon tam illud, quàm hoc, relativum ad aliquid? *Aff.*

An ſemper pars ejus, cujus eſt inſtrumentum? *Neg*

Aut pars rei, quæ efficitur, vel producitur? *Diſt.*

An eadem ejus actio, quæ cauſæ principalis? *Diſt.*

Si minùs adæquatè, ſaltem inadæquatè? *Aff.*

Annon interim habeat quoque ſuam, id eſt, propriam actionem, quantumvis determinatam, per quam diſpoſitivè agit ad virtutem agentis principalis? *Aff.*

Atque ita agat, ſed ut motum? *Aff.*

Ut ad adjunctiora condeſcendam, annon cuique profeſsioni atque artificio ſua ſint inſtrumenta, lanionis inſtrumenta, v. g., menſæ, pondera, ferramenta, trutinæ, cultri, dolabræ, ſimiliaqué alia, laniandæ carnis causâ parata, cauponis inſtrumenta ſervuli & ancillæ, piſcatoris retia & naves, venatoris canes, aucupis plagæ, aliorum alia, ſingulorum aliqua? *Aff.*

Atque adeò, annon piſcatorio inſtrumento legato contineantur non tantùm navicellæ, quæ piſcium excipiundorum causâ ſunt paratæ, ſed etiam ipſi piſcatores? *Aff.*

Vena-

Venatorio item instrumento legato, instrumenti nomine veniant, non tantùm canes, & cætera, quæ ad venationem sunt necessaria, sed etiam ipsi venatores, & vestigatores, præsertim si in agro sint venationes, reditumqué ex venatione is habeat? *Aff.*

Aucupatorioqué instrumento legato, instrumenti appellatione currant, non tantùm auceps & plagæ, sed etiam ipsæ aves, si ab aucupio sit reditus? *Aff.*

Perqué instrumenta fundi, conservandi fructus causâ, non solùm intelligantur ea, in quibus fructus componuntur, granaria, urcei, capsellæ, sed & ea, quæ exportandorum fructuum causâ parantur, nominatim cuppæ, culei, vehicula, plaustra, naves, jumenta, servi? *Aff.*

Et consequenter pistor, tonsor, faber, qui familiæ rusticæ causâ sunt parati, aut villæ reficiundæ gratiâ, uti & mulieres, quæ panem coquunt, item molitores, si ad usum rusticum sint conducti, nec non focariæ, villicæ, lanificæ, quæ pulmentaria rusticis coquitant, aut familiam rusticam vestiunt, adeoqué cellarius, ostiarius, mulio, machinarius? *Aff.*

Annon instrumenta fundi quoque etiam ea, quæ solo continentur, ut harundineta, salicta, vepreta, arboreta, præsertim antequam sunt cæsa? *Aff.*

Ut à ſpecie ad genus me poſtliminiò recipiam, differuntné inſtrumentum fundi, & ornamentum fundi, inſtrumentum villæ, & ornamentum villæ, inſtrumentum domus, & ornamentum domus? *Aff.*

Et ſi, inſtrumentumné ſit fundi, villæ, domus, quod voluptatis gratiâ paratur, an verò ornamentum? *Aff: Poſt.*

Annon ſaltem tunc inſtrumentum potiùs, quàm ornamentum, ſi arcendæ tempeſtatis, aut incendii causâ paretur? *Aff.*

Poſſeſſionis Domeſticæ excutienda, tum Genera, tum Media ſeu Modi Acquirendi hæc ipſa.

Genera Poſſeſſionis Domeſticæ Summa duo ſunt. Omnis quippè Poſſeſſio Domeſtica, vel Naturalis eſt, vel Artificialis.

Annon detur tertia ſpecies poſſeſſionis domeſticæ, naturaliter videlicet artificioſa, & artificioſe-naturalis? *Neg.*

Aut præter naturalem naturaliſsima, artificioſam artificioſiſsima? *Neg.*

Poſſeſſio Domeſtica Naturalis eſt, quæ naturâ conſtat, quæque à naturâ in uſum familiæ immediatè producitur.

Eſtque vel Animata, vel Inanimata.

Poſſeſſio Domeſtica Naturalis Animata eſt, quæ vitæ eſt particeps.

Eſtque vel Animal, vel Planta.

Animal eſt poſſeſſio domeſtica naturalis animata, ſenſu prædita, integro partium ſua-

ſuarum ordine.

Eſtque vel Rationale, vel Irrationale.

An ſit animal, quod in utero eſt? *Diſt.*

Si minùs re & actu, ſaltem ſpe atque potentiâ? *Aff.*

An ergò, ſi in lucem edatur vivus partus, tum demum ſit re atque actu ipſo animal? *Aff.*

Annon interim illud, quod in utero eſt, quoties de commodo ejus agitur, pro jam nato habeatur, licet nondum ſit actu animal? *Aff.*

An rectè definiatur, quòd ſit corpus vivens, ſenſu præditum? *Diſq.*

Rectè ſaltem dividatur in rationale & irrationale? *Aff.*

Etiamné in rationabile & irrationabile? *Diſt.*

An ergo τὸ rationale & rationabile, irrationale & irrationabile differant? *Aff.*

Animal Rationale eſt Servus: Qui nihil aliud, quàm ὄργανον τοῦ δεσπότου ἔμψυχον λογικὸν, πρακτικὸν, τῇ φύσει μὲν κλητὸν, ἄλλα χωριστὸν: Inſtrumentum domini animatum, ratione præditum, aptum ad aliquid agendum, naturâ quidem in ejus poteſtate exiſtens, ſed tamen ab eodem ſeparatum. Organum ſive inſtrumentum: Quia ejus operâ ac miniſterio paterfamiliâs utitur, velut inſtrumento, ad domeſtica negocia expediunda. Animatum: Ad dif-

ferentiam inanimatorum, quibus idem uti solet in domesticis operibus perficiundis. Quemadmodum namque gubernatori navis inanimatum instrumentum est clavus, animatum verò is, qui sedet ad clavum: ita patrifamiliâs reliqua supellex instrumentum ferè inanimum, servus verò animatum. Ratione præditum: Ad differentiam eorum, quæ hujus sunt expertia, vel incapacia. Cùm enim instrumenta inanima per se non operentur, ipsa etiam animata, sed irrationalia, munere suo minùs rectè fungantur ob defectum rationis, ter necesse fuit, ut aliud natura instrumentum effabricaret, quod animo præditum, & illa, & ista, adgubernaret. Aptum ad aliquid agendum, sive activum: Ad differentiam instrumentorum effectivorum, qualia sunt opificum, quæ ab activis specie distinguuntur, ut effectio ab actione, actio ab effectione. Naturâ in domini potestate existens: Quia servus totus, quantus quantus, domini, nec suus, sed possidentis. Denique separatum: Ad differentiam membrorum corporis, & reliquorum instrumentorum conjunctorũ, quæ resecta à suo corpore, aut remota à suo opifice vel artifice, à quo regebantur, nihil amplius possunt agere, efficere vé.

Estque vel Primi Ordinis, vel Secundi: Ille Ἐπίτροπος *Græcis, Latinis Procurator,*

tor, Dispensator, Atriensis, hic Ἐργάτης *Græcis, Latinis Operarius, item Mediastinus, sic dictus, quòd in mediâ domo ad imperia omnium nutusque soleret excubare, viliſsimaque & sordidiſsima obire ministeria, qualia sunt, domum verrere, purgamenta efferre, ligna congerere, aliaque generis ejusdem.*

An servus rectè inter possessiones numeretur? *Dist.*

An pars familiæ? *Dist.*

Saltem instrumentum familiæ? *Dist.*

Si minùs, ut persona possidens, saltem ut res possessa? *Aff.*

Annon ut sic instrumentum summè necessarium? *Aff.*

Non ad operandum tantùm, sed etiam ad benè operandum? *Aff.*

Activumné, an verò effectivum? *Aff: Prius: Neg: Post.*

An ergò instrumenta activa differant ab effectivis? *Aff.*

Et si, speciené, sicut actio & effectio? *Aff.*

Annon subindè quoque sit instrumentum effectivum, putà, si opus faciat, vel nauticum, vel rusticum, vel fabrile? *Aff.*

Per sené, an verò per accidens? *Neg: Prius: Aff: Post.*

Aut, quà servus, an verò, quà artifex? *Neg: Prius: Aff: Post.*

An ergò ſervus & artifex differant? *Aff.*

Et ſi, fortaſſisan ideò, quòd ſervus ſit à naturâ, artifex à peritiâ & ſciẽtiâ, ſervus ad omnia officia atque obſequia ſit obſtrictus, artifex ad certum opus, ſervus omnia agat ex præſcripto domini, non item artifex, ſervus habitet in eâdem domo, non item artifex, ſervus opus habeat bono moris, artifex bono artis, non item moris, niſi ex eventu? *Aff.*

Neque tam ad operandum, quàm ad meliùs operandum? *Aff.*

An etiam ſervus & mercenarius inter ſe differant? *Aff.*

Et ſi, annon mercenarii domino ſubjiciantur ſecundum quid tantùm, ſervi ſecundum omnia, illi certo reſpectu tantùm ſint domini, cætera ſui, hi non item? *Aff.*

An ergò in eandem perſonam cadere potis ſit ſervitus, & Oeconomica, & Mechanica, ſicut unus idemqué homo, & gubernator eſſe poteſt, & paterfamiliâs, & remex? *Aff.*

Verùm altera per ſe ſcilicet, altera ex incidenti? *Aff.*

Anquiro ampliùs, conjunctumné ſervus ſit inſtrumentum, an disjunctum? *Aff. Poſt.*

Naturalené, an morale? *Diſt: Prius: Aff: Poſt.*

Atque

Atque adeò, annon inſtrumenta ſeparata ſaltem aliquandò locum habeant in naturalibus? *Diſq.*

Omniumné ſervorum ſit eadem, ut natura, ita conditio? *Neg.*

Eademqué omnium nomina, officia, exercitia, miniſteria? *Neg,*

Annon interim, quamvis officio, curâ, tempore differant, omnes ſint æquè ſervi, hoc eſt, ſervi ſint ſervi, licet ſubindè aliquid agere poſſint abſque imperio aliquo ſpeciali, dum à domino illud facere non prohibeantur modò? *Aff.*

Duoné tantùm universè ſint ſervorum genera cum Ariſtotele, an verò præter hæc duo detur tertium cum Jureconſultis? *Aff: Poſt.*

Servorumqué adeò appellatione veniant, cùm alii, tum Diſpenſatores, Actores, Atrienſes, Monitores, Nomenclatores, Notarii, Calculatores, Miniſtratores, Topiarii, Diætarii, Aquarii, Suppellecticarii, Cubicularii, Hoſtiarii, Balneatores, Fornicatores, Muliones, Venatores, Veſtigatorès, Foracii, Coci, Obſonatores, Textores, Cellarii, Villici, Tonſores, Curſores, Lecticarii, Tabellarii, Scoparii, Saltuarii? *Aff.*

Animal Irrationale eſt Beſtia: Eaqué duplex, Perfecta, & Imperfecta.

An Oeconomici ſit, tractare de beſtiis? *Diſt.*

Si minùs absolutè, atque in & per se, saltem comparatè, id est, in ordine ad familiam? *Aff.*

An bestiarum nomine hîc veniant tantùm, quæ naturæ sunt feræ? *Neg.*

Et, si non, an ergò bestias heic accipere conveniat ex animalis genere potiùs, quàm ex feritate? *Aff.*

Adeoq́; annon bestiæ vocabulo subintelligatur omne animalextra hominem, quod homini quoquo modo honestè & utiliter servire atque inservire potest in familiâ? *Aff.*

Bestia Perfecta universè vel Aquatilis est, vel Terrestris, vel Aquatilis & Terrestris Terrestris & Aquatilis simul.

An animalia tantùm sint in aquâ & terrâ, non etiam in aëre & igni inclusivè? *Aff.*

Ideoqué malè ignis hospitio à vulgo Physicorum ascribatur Salamandra, aëris elemento Chamæleon? *Aff.*

Bestia Perfecta Aquatilis est Piscis. Qui vel Tegumento Molli, vel Duro: Ille Squamosus, aut Cute Tectus, hic Crustaceus, aut Testaceus.

Pluranè, & longè majora in aquis reperiantur animantia, quàm in terris? *Aff.*

Adeoqué, quicquid in ullâ parte naturæ nascitur, id similitudine aliquâ deprehendatur in aquis, verùm cum hoc discrimine, ut, quæ in terris

terris noxia, in aquis ferè sint innoxia? *Disq.*

An pisces numero sint infiniti? *Neg.*

Specievé? *Neg.*

Et, an rectè Plinius genera eorum definiat centum atque septuaginta sex? *Neg.*

Cumqué hominibus felix annus contingit, eundem præsumat verisimiliter in piscibus? *Neg.*

An in omnibus piscibus detur uterque sexus? *Neg.*

Totumqué horum genus sit oviparum? *Neg.*

An brevioris vitæ, quàm genus, vel pedestre, vel volatile? *Disq.*

Annon terrenis animantibus frigidiores, humidioresqué? *Aff.*

Eaq; propter fortean nō respirent? *Neg.*

Saltem non tam crebrò, atque volucres & feræ? *Aff.*

An careant pulmone? *Aff.*

Auribusvé? *Dist.*

Vocevé? *Neg.*

Cumqué superfiliunt in labro, aërem captent, ac non potiùs fugitent captivitatem? *Neg: Prius: Aff: Post.*

An noctu dormiant? *Disq.*

Bestia Perfecta Terrestris vel in Solâ Terrâ degit, vel in Terrâ Aquâ & Aere successivè.

An detur animal, quod volucre tantùm sit, ut piscis natatile? *Neg.*

Adeoqué dentur aves, quæ vel in ſolo aëre, vel in ſolâ terrâ degant? *Neg.*

Annon, quæ in terrâ & aëre, terrâ & aquâ? *Aff.*

Vel in terrâ, aquâ, & aëre? *Aff.*

Annon interim universè magis in elemento terræ, vel aquæ degendo degant, quàm aëris? *Aff.*

In Solâ Terrâ degens Beſtia, vel Serpit, vel Graditur.

Serpit Serpens, & Limax.

An differant ſerpens & reptile? *Aff.*

Anguis item, ſerpens, draco, ita ut ille ſit aquarum, iſte terrarum, hic templorum? *Neg.*

Annon ſubindè anguis ſit vocabulum generis, & ut ſic complectatur totum genus ſerpentium, quod plicari & contorqueri poteſt? *Aff.*

Et quidem tam in aquâ, quàm in terrâ? *Aff.*

Atque adeò, annon universè tot ſerpentum ſint venena, quot genera, tot pernicies, quot ſpecies? *Aff: ſaltem Diſq.*

An venenum, antequam bibunt, deponant? *Neg.*

Caputqué ante omnia defenſitent? *Diſq.*

Et obturent aures ſuas contra exorcizantes? *Neg.*

Verequé novo ſenium exuant? *Diſt.*

Serpenſqué adeò fœmina necet marem

in co-

in coëundo, fœtuſquè iterum matrem, quaſi in vindictam patris, alvum ejus ſurrodens atque erodens? *Neg.*

Annon naturæ ſint frigidæ,& ſiccæ? *Aff.*

Ideoquè ſanguinis exigui? *Aff.*

An careant pene & teſtibus? *Aff.*

Quid de limace, in limonè, an verò de limo? *Diſq.*

Saltem à limo, ſi minùs re, minimùm nomine? *Aff.*

Graditur Quadrupes. Quæ universè vel Cicur, vel Fera.

Quadrupes Cicur vel Campeſtris eſt, vel Domeſtica.

Campeſtris, Armentum, vel Grex: Illud majorum animalium, hic minorum.

Domeſtica, reliqua in hoc genere. Hæc, ſi operas noſtras adjuvet, vectando, aut arando, jugumque ſubeat, Jumentum dicitur, quaſi juvamentum, vel jugimentum, eòquòd jugum ferat in noſtra commoda.

Undenam potiùs ducatur deducatur vocabulum cicur, an à ciendo, id eſt, movendo, quòd moveri poſſit ſine periculo, an verò ab adverbio cis, & verbo curro, quòd cis nos currat? *Aff: Poſt.*

Undenam item vox armenti, ab operè armorum, quòd armis, hoc eſt, humeris excellat, eoquè utamur in armis, hoc eſt, bello, an verò ab arando, quaſi aramentum? *Quodl.*

Annon armento legato quoque etiam contineantur boves? *Aff.*

Itemné oves & capræ? *Neg.*

Et, si non, an ergò armentum propriè sit majorum animalium tantùm, grex minorum? *Aff.*

An gregem faciat minor numerus pecorum pecudumvé, quàm decem? *Disq.*

Idemqué adeò grex, si pecora aliqua sint mortua, inqué eorum locum mox sint substituta alia? *Aff.*

Atque adeò, annon pecorum vel pecudum numero subindè veniant omnes quadrupedes, quæ gregatim habentur, veluti boves, equi, asini, muli, cameli, elephanti, oves, capræ, sues? *Aff.*

Itemné canes? *Neg.*

Ferævé? *Neg.*

Annon interim aliquod sit discrimen inter pecora & pecudes, si hæc vocabula capiantur κατὰ τὸ ἀκριβὲς, atque in rigore? *Aff.*

Et si, annon fortean hoc, quòd pecorum nomen accommodetur iis animalibus, quæ sunt usibus hominum commoda, pecudum verò illis, quæ apta ad vescendum? *Disq.*

Quid de jumentis? Annon jumentorum appellatione continentur in genere animalia dorsuaria, in specie, equus, equa, mulus, mula, elephanti quin etiam, & cameli,

cameli, quando jumentorum operam præstant? *Aff.*

Itemné boves, licet collo dorsové domentur, dum ne collo dorsové ferant modò? *Neg.*

Ideoqué legatis jumentis non insimul ex legato debeantur præstentur boves? *Aff.*

Atque adeò, annon armentorum potiùs, quàm jumentorum nomine universè censeantur? *Aff.*

Quadrupes Fera, vel Fissipes est, vel Solidipes.

Fissipes iterum, vel Bisida, vel Multisida.

Annon quadrupedes magnâ ex parte sint uniparæ, quæ solidæ, pauciparæ, quæ bisulcæ, multiparæ, quæ multisidæ? *Aff.*

Et, quæ multisidæ, cœcos plerunque pariant catulos? *Aff.*

Harumqué pleræque semel tantùm pariant in anno? *Aff.*

Denteſqué habeant utrinque, maximè viviparæ? *Aff.*

Cæteriſqué, neſcio quomodo, ſint timidiores, quæ cornua habent ramoſa? *Aff*

Universè, annon feræ ſic dicantur, vel quòd cum impetu & ſine ratione ferantur, toto, inquam, corpore, vel quòd naturali utentes fruentes libertate, jugo ſervitutis humanæ non obnoxiæ, pro arbitrio ſuo ac deſiderio ferantur? *Quodl.*

Ac non potiùs à fœcunditate, eò quòd fera animalia edant plures fœtus, quàm domestica? *Neg.*

Atque adeò, annon feræ in Jure dicantur nominentur præcisè eæ tantùm, quæ sunt naturâ feroces? *Neg.*

Et, si non, an ergò ferarum appellatione generaliter veniant omnes animantes, quibus immensa atque infinita liberè vagandi vis à naturâ est indita? *Aff.*

Quæqué in hâc libertate suâ, naturâqué agresti, manent, nondum ullius dominio assuetæ? *Aff.*

Consequenterqué hoc nomine contineantur etiam pisces, aves, apes, pavones & columbæ agrestes, cameli item atque elephanti, licet jumentorum vicem præstent? *Aff.*

Annon interim maximè propriè appellentur feræ, quæ ferocitatem habent, ut leones, lupi, pantheræ, pardi? *Aff.*

Atque, ut sic, directè opponantur animalibus mansuetis, quibus illa liberè vagandi vis insita non est, nominatim ovibus, capris, suibus, bobus, asinis, mulis, equis? *Aff.*

Convenienterqué ferum à mansueto haud aliter sit discretum, quàm quòd nullo hominum commercio hoc sit mansuefactum, imperioqué domitum, verùm sponte naturæ ad manum venire suetum? *Aff.*

Annon

Annon interim ſubindè feri nomine veniat in ſpecie equus, feræ item nomine in genere omnis animans, rationis expers? *Aff.*

Propriené? *Neg.*

In Terrâ, Aquâvé, & Aère degens Beſtia Volucris dicitur.

Quæ vel Planipes, vel Fiſſipes.

Unde avium nomen, ab adventuné, an verò à viâ, quòd vias certas non habeant, verùm per avia diſcurrant? *Neg: Prius: Diſq: Poſt.*

An omnes pennis præditæ? *Aff.*

Aut æquè volaces omnes? *Neg.*

Annon interim ſubindè volucris nomine in genere intelligatur omne id, quod volat? *Aff.*

Neque aves ſolùm, ſed apes, veſpæ, tabani? *Aff.*

Ipſe quin etiam veſpertilio? *Aff.*

Itemné in ſpecie? *Neg.*

Atque adeò, annon avibus legatis, etiam debeantur anſeres, gallinæ, phaſiani? *Aff.*

Ipſa quin etiam aviaria? *Diſt.*

Itemné phaſianarii, ac paſtores anſerum? *Diſq.*

Universè, ovumné priùs fuerit, an avis? *Neg: Prius: Aff: Poſt.*

Omneſvé adeò aves pariant ovum? *Aff.*

Et ſi, an eodem tempore omnes? *Neg.*

Aut

Aut plura omnes, præter cuculum? *Disq.*

Atque adeò, annon aliud aliis sit coëundi ac pariendi tempus naturaliter? *Aff.*

Aliæqué harum omni ferè tempore coëant ac pariant, aliæ semel tantùm aut bis in anno, fœcundiùs aliæ, aliæ parciùs? *Aff.*

Annon interim ὡς πολὺ partus avium fiat semel tantùm in anno, idqué verno tempore? *Aff.*

Et æstate potiùs, quàm hieme? *Aff.*

Æstatequé adeò incubantes citiùs ac feliciùs excludant fœtum? *Aff.*

Annon pleræque nequeant generare anniculæ? *Aff.*

An terrestribus animalibus, ut sicciores, ita calidiores? *Aff.*

An omnes bipedes? *Aff.*

Annon ex his aliæ caudâ careant, nonnullæ cristâ, omnes mammis, vesicâ, renibus? *Aff.*

Etiamné ullæ linguâ, stomacho, umbilico, clunibus? *Neg.*

Saltem auriculis & naribus omnes? *Aff.*

Annon interim meatus audiendi habeant in capite, odorandi in rostris? *Aff.*

Adeoqué aures & nares analogicas? *Aff.*

Bestia Perfecta Aquatilis & Terrestris, Terrestris & Aquatilis simul est, quæ Ἀμφίβιον, ἢ Ἀμφίβιον *Græcis, subaudi* ζῶον, *eò quòd sit ambiguæ vitæ, ancipitemqué*

vitæ

vitam vivat, modò in terrâ, modò in aquâ, & contrà.

Aquæné magis, quàm terræ, terræ, quàm aquæ, hoſpitio gaudeant, quæ dicuntur amphibia? *Diſt.*

An habeant pulmones? *Aff.*

Ideoqué dormiant ore fiſtulâvé extra aquam exertâ? *Diſt.*

Nominatim Crocodilus? *Aff.*

Unde denominetur Crocodilus, an παρὰ τὸ τὰς κρόκας δειλιᾷν, quòd littora refugiat, an verò παρὰ τὸ τὸν κρόκον, quaſi κρόκον δειλῶν, fugiens crocum, cujus odorem reformidare dicitur? *Quodl.*

Annon animal, ſoli Ægypto notum, & iis regionibus, quæ Nilo alluuntur? *Aff.*

Nullâ ſui parte, niſi in imo ventre, penetrabile? *Aff.*

Elingue? *Aff.*

Et ſemper creſcens, quàm diu vivit? *Aff.*

Omnium, quæ à parvis initiis oriuntur, maximum? *Aff.*

Terribile contra fugaces, fugax contra inſequentes? *Aff.*

Oculis in & ſub aquâ hebetibus, extra eam acerrimis? *Aff.*

Quatuor menſibus hiemalibus non comedens? *Neg.*

Appetentiſſimum mellis? *Aff.*

Annon ſuos habeat hoſtes naturales, nominatim Delphinũ & Ichneumona, quorũ ille pinnâ,

pinnâ, quam in dorſo gerit, illi alvum ſubſecare dicitur, hic luto convolutus, in apertas dormientis fauces, teli in morem illapſus, inteſtina ejus erodere? *Diſq.*

An conſpecto homine ſolvatur in lacrimas, ſed approximātem nihilominùs crudeliter devoret? *Diſq.*

Beſtia Imperfecta eſt Inſectum: Quod nihil aliud, quàm animalculum cinctum, atque annulatum, ſive in annulos ſectum, ſic dictum ab inciſuris, quæ nunc cervicum loco, nunc pectorum atque alvi præcinctu, ſeparant membra, tenui modò fiſtulâ cohærentia. Germani vocant Unzifer: *quæ vox infert hujus generis animalculorum magnam copiam, ſeu numeroſam multitudinem, ita ut* zifer *denotet numeru*, un *connotet multitudinem, & ſit particula* ἀνοφημίας.

Annon inſecta omnia ſint ſanguinis expertia? *Aff.*

Naturæque ideò frigidioris? *Aff.*

Et timidiora ſanguineis? *Aff.*

An ratio vitalis, quæ eſt in eis, certis inſit membris, an verò toto in corpore, minimè autem in capite, maximè in pectore? *Neg: Prius: Aff: Poſt.*

An habeant omnes ſenſus? *Diſt.*

Saltem guſtatum & tactum omnia? *Aff.*

Itemné viſum, auditum, & odoratum omnia? *Neg.* Ima-

Imaginationemvé, ſaltem indeterminatam? *Aff.*

An nervos, oſſa, ſpinas, cartilaginem, carnes, cruſtam, cutim? *Neg.*

An in ipſis habeat locum ſexus diſtinctio? *Diſt.*

Et ſi, an ergò generent? *Diſt.*

Et ſibi quidem ſemper ſimile? *Neg.*

Ideoqué iis coëuntibus gignatur ſubindè aliud quid, non illud? *Aff.*

An ex hoc iterum aliud? *Neg.*

Atque adeò, an temerè unquam manſueſcant? *Neg.*

Ut ad ſpecies condeſcendam: Quid de apibus, an rectè recenſentur inter inſecta? *Aff.*

An à pede, quòd ſe invicem pedibus teneant, an verò inde, quòd ſine pedibus primò ſint, quaſi ἄποδες, ac non potiùs ab api, quod eſt cohærere? *Aff: Poſtr.*

Et, ut ſic, *bien* rectè dicatur, quaſi *beiein*, eò quòd una ſoleat eſſe apud aliam? *Aff.*

Atque adeò, annon umbram aliquam Reipublicæ habeant inter ſe? *Aff.*

Suoſque agnoſcant duces? *Aff.*

Et ex his unum ferè? *Aff.*

An ultra ſextum aut ſeptimum annum producant vitam? *Neg.*

Examenqué earum duret ultra novem aut decem annos? *Neg.*

Annon

Annon favos hibernis potiſſimùm temporibus conſtruant, vere verò atque autumno mel conficiant? *Aff.*

Adqué ullam rem putridam advolent? *Neg.*

Convenienterqué oderint fœdos odores, atque unguentorum delicias? *Aff.*

Tempora item ſicca, & ver ſerotinum? *Aff.*

Annon gaudeant ſonitu & plauſu? *Aff.*

Dumqué jactantur vento, lapillum gerant, quò ſe contra flatum ſtabiliant? *Neg.*

Coëantné, & pariant, an verò aliundè fœtum portent, putà ex flore corinthi, arundinis, oleæ, ſuccorum? *Aff: Prius: Neg: Poſt.*

Pluravé genera florum uno eodemq; profectu petant, an verò ſingulis ſingula? *Diſq.*

Quodnam optimum earum ſit genus, breveſné, variæ, & in rotunditatem compactiles, an verò longæ, grandes, nigræ, quæqué ſunt alvi amplioris? *Aff: Prius.*

Quid de bombyce, ingrediturné & is definitionem inſectorum, participatqué de naturâ eorum? *Aff.*

Et ſi, an ideò, quia vermis? *Aff.*

Annon evacuetur, dum fila generat, aëre ſolo in eo remanente? *Aff.*

Ideoqué meritò quaſi bombus aëris dicatur? *Aff.*

Quid de formicis, ſuntné & ipſæ hujus loci & claſſis? *Aff.* In-

Indené eis nomen, quià ferant micas, an quia forent, id eſt, incidant, ne germinent? *Quodl.*

Annon æſtate colligant, quod comedant hieme? *Aff.*

Inqué meſſe legant triticum, hordeum non item? *Aff: Prius: Diſq: Poſt.*

Cumqué compluitur frumentum, id totum ejiciant? *Aff.*

Quid de araneis, annon ſicut formicæ diligentiæ atque prudentiæ, ita hæ artis ſint antiſtites & magiſtræ? *Aff.*

Omneſné ore evomant filum, atque anteriori pede intexant? *Neg.*

Annon interim tabeſcant omnes, quando nimis ſe evacuant? *Aff.*

Et ſi, an ergò materia telæ ſit humidum fortean alimentarium, minimùm ſuperfluitas illius humidi? *Aff: Poſt.*

An quicquam, vel conficiant, vel recondant? *Neg.*

Ideoqué cibum ordinariè ſolo venatu acquirant, capiendo muſcas, erucas, parvas lacertulas, piſciculos, vermiculos? *Aff.*

Annon etiam heic fœmina ſit minor mare? *Neg: ſaltem Diſq.*

Atque adeò, annon, dum cöeunt, mas per ſua fila trahat fœminam, fœmina contrà marem? *Aff.*

Cumq; ætate proficiunt, qui quævé inde naſcuntur, nõ rarò matrẽ amplectentes ſtrãgulent,

gulent,ejiciantvé,& ſæpè quoque patrem, ſi eum ceperint? *Diſq.*

Denique, annon eodem utero pariantur ſubinde vel trecenti? *Aff.*

Quaterqué ſeptem diebus incrementum naturale accipiant à primo ortus ſui auſpicio ad finem? *Aff.*

Venenoſiores universè in autumno, quàm æſtate, æſtate, quàm vere? *Aff.*

Fuit Animal.

Planta Caule, vel Caudice nititur.

Caule Herba, Caudice Frutex & Arbor.

Annon detur medium aliquod genus, inter animal & plantam, plantam & animal interjectum? *Neg.*

Et,ſi non, an ergò illa,quæ vocant, plantanimalia ſive ſtirpanimalia, universè ſint vel ſtirpes, vel animalia? *Aff.*

Atque adeò, an ἡ φυτολογία pertineat ad Oeconomicam? *Diſt.*

Si minùs abſolutè, ſaltem comparatè, id eſt, in ordine ad familiam? *Aff.*

An in hâc doctrinâ differant radix, caulis, caudex? *Aff.*

Ramus item, ſurculus, & ſtolo? *Aff.*

Nec non ſtirps & planta? *Aff.*

Et ſi, annon ſtirps ſolis firmitate præditis ſit peculiaris, ſic dicta,quaſi ſtaripes, ſeu ſtans pes, στέρρόπους ἢ στερεὸς πῦς Græcis, planta verò iis, quæ talem firmitatem non habent, ſic dicta à pangendo, quòd palo

palo pangeretur? *Aff.*

Annon interim hoc discrimine non obstante, utriusque significatio ad omnem usum, labente tempore, fuerit facta commodior? *Aff.*

Similiterné frutex & arbor? *Aff.*

Frutex item & suffrutex? *Aff.*

Et si, annon sicut ab arbore parvitate atque multiplicatione caudicis differt frutrex, sic à suffrutice magnitudine? *Aff.*

Licetqué non plenè ac probè significet naturam rei, id est, fruticis, neque in justam excrescat adolescat magnitudinem fruticis, herbarum tamen magnitudinem excedat superet? *Aff.*

Atque adeò, annon dentur subindè herbæ, quæ caule careant? *Aff.*

Caulemvé in singulos annos mutent? *Aff.*

An ulla sine radice? *Neg.*

Ut ad plantas redeam, habentné animam, an verò naturam tantùm? *Aff: Prius.*

An ergò nutriantur? *Aff.*

Et digerant? *Aff.*

An etiam sentiant? *Neg.*

Annon interim eis competat fuga, odium, appetitus, persecutio? *Aff.*

Et si, an ista in istis sint opus animæ sentientis, ac non potiùs vegetantis? *Aff: Post.*

Omnesné calidæ & humidæ, vel frigidæ

& sic-

& ſiccæ? *Diſt.*

Si minùs ratione qualitatum, minimùm ratione effectuum atque operationum? *Aff.*

Annon quædam ex his venenatæ? *Aff.*

Per ſené, an verò per accidens? *Aff. Poſt.*

An illa inconvenientia naturæ ſit accepta ferenda primæ creationi, an verò lapſui hominum? *Aff: Poſt.*

Adeoqué, annon priùs illæ ſint venenatæ, quàm venenoſæ? *Aff.*

Tranſeo ad arbores: Omneſné è ſemine? *Neg*

Et, ſi non, an ergò aliæ è ſeipſis, putà è radice, ſtipite, ramis? *Aff.*

Annon præter has adhuc dentur aliæ viâ inſitionis? *Aff.*

Artiſné ea, an naturæ? *Diſt.*

Annon interim quandoq; arbores bonæ proveniant è ſeminibus malis, & contrà arbores malæ è ſeminibus bonis? *Aff.*

An facilè? *Neg.*

An ulla harum poſſit dici ſterilis? *Neg.*

Infructuoſavé? *Diſt.*

Utræ ex his magis ſint fructuoſæ, ſilveſtreſné, an hortenſes? *Aff: Prius.*

Annon interim fructus arborum hortenſium ſint meliores & mitiores? *Aff.*

An in eodem genere utræque, tam illæ quæ ferunt fructum, quàm hæ, quæ non ferunt? *Aff.*

An

An ex fructiferis omnes fructus ferant eodem tempore? *Neg.*

Aut ſemel tantùm in anno? *Neg.*

Atque adeò, annon quædam ſint, quæ altero tantùm ferant anno fructus, quædam, quæ ſingulis annis bis, vel etiam ſæpiùs? *Aff.*

An temerè harum fructus matureſcant? *Neg.*

Juvat quærere ulteriùs: Annon detur reperiatur aliqua regio, ubi fructus arborei per totum annum habeantur maturi, ubi malum, v. gr, poſt malum, pyra poſt pyra nata ſeneſcant, uvaqué poſt uvam, poſt ficum muſtea ficus? *Diſq.*

Etiam ulteriùs: An omnes arbores fructiferæ fructus ſuos proferant producant poſt folia, an verò quædam etiam ante folia, vel cum foliis? *Neg: Prius: Aff: Poſt.*

An omnes folia protrudant eodem loci? *Neg.*

Et, ſi non, annon aliæ è radicibus, aliæ è trunco, aliæ è ramis, propè terram aliæ, in medio aliæ, longulè à terrâ aliæ? *Aff.*

An omnium folia ſint ejuſdem, vel quantitatis, vel qualitatis? *Neg.*

Arborumqué longævarum folia ferè ampla? *Aff.*

Fortiores per ſenectam aliæ, aliæ contrà? *Aff.*

Universè robuſtiores, quæ Aquiloni

oppoſitæ, quàm quæ Auſtro, aut Zephyro? *Aff.*

Etiamné meliores? *Neg.*

Atque adeò, an detur arbor ephemera, quæ eodem adoleſcat, eodem exoleſcat die? *Diſq.*

Utra magis ſit mira & miranda in arborum conſtitutione, proceritasné, an craſſities? *Aff: Prius.*

An omnes gaudeant iiſdem locis? *Neg.*

Montibus aliæ, aliæ vallibus, ſiccis aliæ, aliæ irriguis, haud paucæ mediæ naturæ ac conſtitutionis locis? *Aff.*

An inter eas ſit reperire ſexus differentiam? *Neg.*

Saltem hactenus, ſi per ſexum maſculinum quis cum Plinio intelligat φύσιν efficaciorem, per ſexum verò fœmininũ φύσιν debiliorem? *Diſt.*

Si minùs abſolutè, ſaltem comparatè? *Aff.*

Atque ut ſic maſculus ordine naturæ ſit ſpiſſior, durior, multis ramis abundans, minùs humidus, aut humectans potiùs propior marutationi, foliiſqué differentibus, fœmella contrà? *Aff.*

Poſſeſſio Domeſtica Naturalis Inanimata eſt, quæ vitæ eſt expers.

Eſtque vel Originalis, vel Originata.

Poſſeſſio Domeſtica Naturalis Inanimata Originalis eſt Fundus, *qui fundamentum,*

mentum, vel, ſi mavis, fundimentum rei, quæ ſolo fundatur, aut ex eo funditur.

An fundus dicatur à fundando, an verò à fundendo? *Diſq.*

An differant fundamentum, fundum, fundus? *Aff.*

Et ſi, annon fundamentum capiatur propriè pro eo, ſupra quod quid ſtruitur, fundum pro imâ parte cujuſque rei, fundus verò pro agro? *Aff.*

An item differant poſſeſſio, ager, prædium, villa, vinea, fundus? *Aff.*

Et ſi, annon poſſeſſio ferè uſum loci, ager proprietatem, prædium utrumque denotet, villa verò acceſſionem fundi, vinea partem? *Aff.*

Annon ſubinde poſſeſſio ſit ſpecies fundi prædiivé? *Aff.*

Funduſqué in prædio, ſicut locus in fundo? *Aff.*

Etiamné ager ſpecies fundi, tanquam totius integri? *Aff.*

Atque adeò, annon prædium latiùs pateat fundo, neque de ſolo tantùm dicatur, ſed etiam de ædificio, nominatim villâ? *Aff.*

Tamqué ad poſſeſſionem referatur, quàm agrum, agrum, quàm poſſeſſionem? *Aff.*

Annon interdum vel unicus fundus faciat prædium? *Aff.*

Quid de vineâ, omnisné vinea fundus? *Aff.*

Itemné omnis fundus vinea? *Neg.*

Ideoqué fundo sublato tollatur quidem vinea, non item vineâ sublatâ fundus? *Aff.*

Universè, atque in thesi, annon fundus sit nomen generis? *Aff.*

Ideoqué integrum quid? *Aff.*

Itidemné tunc, quando pars fundi ponitur pro fundo? *Dist.*

Si minùs comparatè, saltem absolutè? *Aff.*

Atque adeò, annon vel modicus locus possit dici appellari fundus? *Aff.*

Et vel definita pars agri, sive ea culta sit, sive inculta? *Aff.*

Leget quis fundum cum instrumento, fundumné atque instrumentum intelligetur is legâsse, an verò fundum instructum? *Disq.*

Leget alius fundum instructum, annon videbitur legâsse fundum cum instrumentis? *Aff.*

Et consequenter boves, opus facientes in fundo? *Aff.*

Atque adeò, annon fundi instructi appellatione veniant, tam villicus hominesqué, quàm omnia, quæ patersamiliâs, cùm ibi ageret, vel, ut fundus esset instructus, non temporis causâ, in eo habuit? *Aff.*

In-

Instrumenta, inquam, fructuum colligendorum ac conservandorum? *Aff.*

Nec non pecora, stercorandi vel pascendi causâ ibi constituta, ut de his fructus caperetur? *Aff.*

Fundusque hoc pacto esset instructior? *Aff.*

Possessio Domestica Naturalis Inanimata Originata, vel Primaria est, vel Secundaria.

Primaria est Alimentum.

Quod vel Siccum, vel Humidum: Utrumque vel Simplex, vel Compositum.

Prioris generis sunt Vesca atque Esculenta, posterioris, Potulenta omnia.

Annon alimento omnibus, quod dulcissimum? *Aff.*

An illud alimentum omnibus sit ex sicco & humido, calido & frigido? *Aff.*

Annon universè magis ex humido, quàm sicco? *Aff.*

Atque adeò, an alimentum siccum, nisi humidum priùs fiat, sit alimentum, id est, alat alendum? *Neg.*

An corpus tangibile, & gustabile? *Aff.*

Et si, alatné etiam ut tangibile, & gustabile? *Dist.*

Si minùs specificativè, saltem reduplicativè? *Aff.*

Atque ut substantia? *Aff.*

An quid huic profit ſonus,color , odor? *Neg.*

Saltem ſapor? *Aff.*

Ideoqué ſenſus, alimentum diſcernens, ſit guſtus? *Aff.*

Tactuſvé? *Diſt.*

Annon universè in alimento requiratur, ut alito ſit aliquo modo ſimile & contrarium? *Aff.*

Simile, ſi digeſtum , contrarium , ſi indigeſtum? *Aff.*

Ideoqué rectè dicamur ali contrario & ſimili? *Aff.*

Annon inſuper requiratur , ut ſit mole præditum, & per calorem viventis aptum natum coqui ac permutari? *Aff.*

Atque aptum augere? *Aff.*

An ergò augeat ſemper? *Neg.*

Saltem alat ſemper? *Aff.*

Ideoqué alendi facultas in corpore animato meritò ſit ultima, quæ moritur? *Aff.*

An in hâc materiâ differant, alimentum ſive nutrimentum, cibus,victus,cibarium, diarium? *Aff.*

Et ſi,annon alimentum & nutrimentum etiam ſit plantarum,cibus animalium? *Aff.*

Alimentum nutrimentum cibus quoque etiam non hominum, victus hominum? *Aff.*

Et conſequenter , cibus ſpecies alimenti, victus cibi , cibi cibarium , cibarii diarium? *Aff.*

An-

Annon interim alimenti appellatione ſubindè in Jure Civili veniant, præter cibaria, veſtiarium & habitatio, nutrimenti appellatione etiam medicamenta, cibi appellatione quoque potus, & non rarò etiam expenſæ educationis ac ſtudiorum, victus verò appellatione omnia, quæ eſui potui cultuiqué corporis ſunt neceſſaria, veſtimenta, inquam, & ſtramenta, tegumenta, habitatio, miniſterium famulorum ac ſervorum, & ſi qua ſunt generis ejuſdem, neque hæc tantùm, verùm etiam ea, quæ corporis curandi gratiâ adhibentur, nominatim pharmaca, tam evacuantia, quàm confortantia? *Aff.*

Itemné cibariorum aut diariorum appellatione hæc ipſa? *Neg.*

Et, ſi non, an ergò cibariis legatis non debeatur ocyùs habitatio, veſtiarium, calcearium? *Aff.*

Saltem legatis alimentis? *Diſt.*

Victuvé? *Diſt.*

Atque adeò, ſi quis de alimentis aut victu cum aliquo tranſigat, an is videatur eâdem operâ tranſegiſſe de habitatione & veſtimentis? *Neg.*

An idem bis dicat, qui dicit victum & amictum? *Diſt.*

Aut, annon veriſimiliter dici poſſit, ſi alimenta fuerint legata, etiam aquam legato ineſſe, quando in eâ regione ſunt le-

gata, ubi aqua ſolet venundari? *Aff.*

Quid de σαρκοφαγίᾳ, ſeu carnis viſceratione, licitané? *Aff.*

Et ſi, an ergò rejicula, immò ridicula, Pythagorica, ut à fabis, ita à carnibus, abſtinentia? *Aff.*

Quid de αἱματόφαγίᾳ, ſeu ſanguinis concreti comeſtione, licitané Chriſtianis? *Aff.*

Non obſtante prohibitione Apoſtolicâ? *Aff.*

Abſolutané illa fuerit, an verò relativa, ideoqué relativè tantùm neceſſaria? *Aff. Poſt.*

Quid de αἱματοποτίᾳ, ſeu ſanguinis hauſtione, licitané & ipſa? *Diſq.*

Aut de ἀνθρωποφαγίᾳ καὶ ἀνθρωποποτίᾳ, probatiné uſus aut exempli, vel olim, vel nunc? *Neg.*

Minimùm in caſu neceſſitatis? *Neg.*

Annon interim liceat uti cranio, medullâ oſſium, pinguedine, adipe, humanis? *Neg.*

Mumiâvé? *Neg.*

Si minùs loco alimenti, minimùm loco medicamenti? *Neg.*

Aut de trunco decollati hominis bibere ſanguinem ad depellendam epilepſiam? *Neg.*

Vel è venâ adoleſcentis haurire ſanguinem ad conciliandum vigorem corpori ſenili? *Neg.*

Universè, annon delectus aliquis ciborum etiamnum noſtris moribus ſit neceſſarius? *Aff.*

Liber interim atque arbitrarius in genere generis, id eſt, ſpeciebus, ut determinatis, ita determinandis, ratione humanitatis? *Aff.*

An idem heic tenuerit ãte lapſum, & poſt lapſum, ante diluvium, & poſt diluvium, ſub lege, & ſub euangelio? *Neg.*

Nominatim, atque in ſpecie, an etiam ante diluvium carnium eſus, & vini uſus, hominibus fuerit conceſſus, ſaltem non prohibitus? *Aff.*

Annon adventu ſecundi Moſis, delectus ciborum Moſaicus, ſeu primi Moſis, ſit antiquatus? *Aff.*

Atque ita quidem, ut omne, quod in macello venditur, jam liceat emere, nihil interrogantem aut tergiverſantem propter conſcientiam? *Aff.*

Secundaria eſt Stragulum, hoc eſt, quicquid ſternitur ac ſubſternitur naturaliter, nominatim Stramentum ſeu Stramen.

An vox ſtragulorum pro lecti operimento tantùm, an verò generaliter pro omni veſte, quæ inſternitur, accipiatur? *Aff: Poſt.*

Et conveniẽter quoq; pro equorũ inſtra-

to, tapetibus, aulæis, mantilibus, mappis, toralibus, cortinis, conopio, velamine, cadurco, ſegeſtribns, centonibus? *Aff.*

Itemné vox ſtramentorum? *Neg.*

Annon interim nomine ſtramentorum ſubindè adſignificetur omne, quod ſolo quieſcendi causâ inſternitur? *Aff.*

Poſſeſsio Naturalis Domeſtica ſic habet.

Poſſeſsio Domeſtica Artificialis eſt, quæ arte conſtat: vel, quæ ab arte in uſum familiæ mediatè producitur.

Eſtque vel Immobilis, vel Mobilis: Illa Continens, hæc Contenta.

An poſſeſſiones domeſticæ artificiales rectè ſecentur in immobiles & mobiles? *Aff.*

Et ſi, annon immobilium appellatione de Jure Civili veniant, non tantùm, quæ ſolo hærent, ut domus, ſed etiam, quæcunque rebus immobilibus adhærent, ut reditus perpetui, *Aff.*

Atque adeò, annon immobilia propriè dicantur invadi, mobilia rapi? *Aff.*

An eadem cum moventibus? *Neg.*

Et, ſi non, annon res mobiles propriè ac præcipuè vocentur, quæ animâ carent, quæqué ſupellectilis inſtrumenti penuſvé nomine continentur, ut vaſa, veſtes, lecti, menſæ, annui reditus, verùm brevi tempore duraturi, res verò moventes, quæ per ſe moventur, ut animalia, ſervi, quadrupedes,

pedes, pecudes? *Aff.*

Annon mobilium appellatione ſubindè quoque veniant animalia? *Aff.*

Idemqué & illis, & iſtis, rebus, inquam, mobilibus & movẽtibus, non rarò ſignificetur, præſertim tunc, ſi non appareat, teſtatorem animalia duntaxat, quæ per ſe ipſa moventur, moventia nuncupâſſe? *Aff.*

Poſſeſſio Domeſtica Artificialis Immobilis ſive Continens eſt Domus ſeu Ædes, tutiſſimum cuique refugium, ac receptaculum, ipſum patremfamiliâs cum domeſticis, & omnia, quæ illic reponenda ſunt, boná fide recipiens. Aliter Ædificium audit, & ſi ſola ac ſolitaria fuerit, parietum communione carens, in urbe Inſula, in agro Villa dicitur, quaſi vehilla, quòd in illam, tanquam in commune repoſitorium, omnis generis fruges & fructus, in vitæ familiaris ſubſidium ac præſidium, invehantur, ſi muro & vallo cincta, Caſtrum vel Arx nuncupatur, ab arcendo, quòd arceatur in ſe, ſicque diſcludatur à communitate apertâ.

Annon apud Græcos differant οἶκος & δόμος, ita ut οἶκος cœtum privatũ, δόμος manſionem ejus cœtus ſignificet? *Aff.*

Apud Latinos item ædes dicatur quoque illud ædificium, quod adhuc correctum non eſt, non etiam domus? *Aff.*

Et in genere, quicquid habitabile? *Aff.*

Ideoqué latior ædium Latinè loquentibus ſit appellatio, quàm domus? *Aff.*

Annon interim ſæpè ab his ipſis accipiantur promiſcuè, ædes pro domo, domus pro æde? *Aff.*

Utraque pro ædificio? *Aff.*

Atque adeò, annon ædium & ædificii appellatio indifferẽter, tam ad urbanas, quàm ad ruſticas, habitationes referatur? *Aff.*

Ædiumqué deſignatione veniant omnes ædificiorum ſpecies? *Aff.*

Hoc tamen diſcrimine ferè, ut ædes in numero unitatis accipiatur pro templo, in numero multitudinis pro domo privatâ? *Aff.*

An ut ſic careat numero ſingularitatis? *Neg.*

Idemné, quod ædicula? *Neg.*

Adeoqué, an ædicula ſignificet parvam domum, & non potiùs cellulam in domo, ſacellumvé? *Aff: Poſt.*

Ab adituné ſic dictæ, an verò ab edendo, vel etiam ævo, quòd in iis edatur, & ævum degatur? *Aff: Prius: Diſq: Poſt:*

Editové à loco? *Neg.*

Quicquid horum ſit, annon ædium ac domus appellatione interim contineatur omnis habitatio, ſive propria, ſive aliena, in quâ paterfamiliâs habitat, etiamſi ibi domicilium non habeat? *Aff.*

An

An ergò aliud domus, aliud domiciliû? *Aff.*

Atque adeò, an ſola domus poſſeſſio faciat domicilium? *Neg.*

Annon interim ibi quis cenſeatur habere, ut domum, ita domicilium, ubi rerum ſuarum conſtitutionem fecit, laremqué, ac fortunarum ſuarum ſummam, conſtituit, atque ita quidem conſtituit, ut inde non ſit diſceſſurus, ſi nihil avocet? *Aff.*

Etiamné, ſi ſtudiorum tantùm causâ ibi habitet? *Neg.*

Aut in publico hoſpitio, diverſoriové? *Neg.*

Minimùm tunc, ſi decem annis continuis in eo loco habitaverit? *Diſq.*

An ergò domicilium quis habere poſſit etiam in domo alienâ? *Aff.*

Et conſequenter relegatus in eo loco, in quem relegatus eſt, ſortiatur domicilium? *Aff.*

Annon interim habere aliud poſſit eo loci, unde relegatus eſt? *Aff.*

An idem quoque teneat in milite? *Neg.*

Adeoqué is quoque ibi domicilium conſequatur, ubi meret? *Neg.*

Saltem, ſi nihil in patriâ poſſideat? *Aff.*

Quid de filiofamiliâs, ibiné domicilium habet, ubi pater? *Neg.*

Et, ſi non, an ergò ejus quidem ſequatur originem, non domicilium? *Aff.*

Domumvé? *Diſt.*

Ut à

Ut à domicilio ad domum redeam, annon prothyrum, quod in aditu domus ferè ſtrui ſolet, ſit domus ſive ædium? *Aff.*

Convenienterqué ſtatuæ, affixæ baſibus ſtructilibus, aut tabulæ, ligatæ catenis, adqué parietem fixæ? *Diſt.*

Saltem ornamenta ædium ſint ædium? *Aff.*

Quæqué iis arctè connexa juncta vincta fixaqué ſunt? *Aff.*

Ideoqué ædibus diſtractis legatiſvé, intelligantur quoque legatæ partes, & quæ propter ædes habentur, perpetuiqué uſus causâ in ædibus aſſervantur? *Aff.*

Itemné vina, non ſuppellex tantùm? *Neg.*

In ſpecie, annon domus differat ab inſulâ? *Aff.*

Villâvé? *Aff.*

An vel illa ſemper in urbe, vel hæc in agro? *Neg.*

An agri pars? *Neg.*

Minimùm fundi? *Aff.*

Itemné villa à caſtro, caſtrum ab arce? *Aff.*

Domus expendere juvat, tum Conſtitutionem, tum Situm ſive Poſitum.

Conſtitutio Domus Complectitur Partes ejus, tum Primas, ſeu Integrales, Fundamentum, Parietes, Contignationem, tum Secundus ſeu Accidentales, Conclavia,

Tabulas

Tabulata, Cellas, ex quibus illa Perſonis, hæ Rebus ſerviunt & inſerviunt.

Annon fundamentum propriè locum habeat in ædificiis tantùm? *Aff.*

Itemné paries? *Aff.*

A paritatené, quòd ſemper duo ſint pares, vel à fronte, vel à latere, an verò à parando, id eſt, ſtruendo? *Diſq.*

Ejuſdemné, vel materiæ, vel formæ omnes? *Neg.*

Et ſi, annon ratione materiæ alii ſint lateritii, cæmentitii, lapidei, marmorei, calcati, gypſati, teſtacei, arenati, cratitii, concratitii, loricati, ratione formæ intergerini ſeu mediani alii, fornicati, cæci, rudes, dealbati, directi? *Aff.*

Communis quin generis alii? *Aff.*

Annon ad communem parietem vicinus habeat jus adjungendi ædificii proprii *Aff.*

Huicqué adeò liceat parietem directum ducere in communem, eumqué vel ſolidum, vel fornicatum? *Aff.*

Atque adeò, annon in hâc materiâ differant, paries, murus, mœnia, maceria? *Aff.*

Et ſi, annon paries ſit propriè domorum, murus urbis, mœnia munitionum, maceries nihil horum? *Aff.*

Annon interim paries ſubindè ſit nomen generis, quo & murus contineatur, & maceria? *Aff.*

Ita

Ita ut murus sit ædificii privati paries exterior, maceries verò paries sine calce, aliâvé compactionis materiâ, *eine truckene mauer*, paries, ut sic dicam, siccus, solis lapidibus constans, nullo cæmento molli ferruminatus? *Aff.*

Sempernê? *Neg.*

Atque adeò, annon paries, si ad muniendum hortum, vineam, ædes adhibeatur, sit murus quidam privatus? *Aff.*

Macerieſvé, si hortum, vineam, insulam ambiat, muniatvé, dummodò non sit alius murus intermedius, aut collateralis, latiùs quàm altiùs patens? *Aff.*

An ergò, si præter expectationem paries ædibus junctus altiùs se extollat, quàm in longum didat, tunc sit paries potiùs, quàm maceria? *Aff.*

Aut maceria qnidem, sed impropriè? *Aff.*

An contignatio semper significet tignorum conjunctionem? *Neg.*

Annon subindè lignorum, aliarumqué rerũ jugationem sive coaptationem? *Aff.*

Nominatim cöassationem trabium, ad tabulata cœnaculaqué construenda? *Aff.*

Et in genere tegmen? *Aff.*

Annon ut sic duæ ædes possint esse sub unâ contignatione, hoc est, uno eodemqué tegmine & contegmine? *Aff.*

Sicut

Sicut conclavia multa ſub unius imperio clavis? *Aff.*

Atque adeò, indené conclavia, quòd unâ clave claudantur, an verò, quòd intra eum locum, in quo ſunt, multa ſint cubicula clauſa? *Quodl.*

An tabulata, id eſt, planæ in ædibus ſuperficies, tabulis conſtratæ, rectè dicantur appellentur ſolaria? *Aff.*

Et ſi, ideoné, quòd ſoli pateant, atque ibi ſoleant homines apricari, tanquam in ſummâ & editâ ædium parte? *Aff.*

Aut, annon fortaſſiſan ideò, quia ſint ſolerata, ſeu contabulata? *Diſq.*

Quemadmodum cellas denominamus à celando, eò quòd ibi celemus, quæ occulta eſſe volumus, quæqué ſervata? *Aff.*

Univerſé, annon in domo debeant eſſe loca diſtincta, pro liberis, ſervis, mulieribus, hoſpitibus, civibus? *Aff.*

Accommoda frugibus & fructibus ſervandis, iiſqué tam aridis, quàm humidis, lectis item, veſtimentis, cæteroqué inſtrumento domeſtico? *Aff.*

Situs ſive Poſitus Domus cæteram ejus Conditionem ponit ac loquitur: Quæ vel Phyſica, vel Oeconomica.

Ad Conditionem Phyſicam Domus retuleris Poſitum ejus, ut ad convenientes cæli plagas ſit extructa, conclavia æſtate ſoli

obver-

obversa, hieme adversa habeat, atque adeò æstate Aquiloni, hieme Euro pateat, ut cellæ ejus partim perflabiles partim non perflabiles extent, aër sit purus, solum puteis idoneum, & si qua sunt generis ejusdem.

Ad conditionem Oeconomicam Domus retuleris reliquam Commoditatem ejus, persuade, ut opportuno pagi vel urbis loco excitetur, proximè forum, curiam, templa, archiva, in plateâ regiâ, ad præterfluentem, aut non longulè, & si qua sunt generis ejusdem.

Annon domus ædificationem referre conveniat, non tantùm ad facultates, sed etiam, præter sanitatem, ad jucunditatem, & commoditatem? *Aff.*

Annon, ut sic, ædes, orientem ac septentrionem versus sitæ, sint salubriores, quàm quæ meridiem, solisqué occasum, spectant? *Aff.*

Compendiosioresque benè, quàm malè, locatæ? *Aff.*

Atque adeò, annon ædificare sit naturalis libertatis, jurequé ideò naturali liceat vel in infinitum ædificare? *Aff.*

Annon interim modus ædificandi congruè per servitutem Jure Civili subindè constringatur? *Aff.*

Præsertim, si alius inde damnum sentiat? *Aff.*

Aut

Aut quis ædificet in alieno ſolo? *Aff.*

Nominatim in ripâ fluminis? *Aff.*

Littorevé? *Diſt.*

Marivé? *Diſt:*

Ita, ut uſus littoris mariſvé inde impediatur? *Aff.*

Poſſeſsio Domeſtica Artificialis Mobilis, ſive Contenta, eſt Supellex Domeſtica.

Quæ vel Integralis, vel Accidentalis.

Supellex Integralis eſt, quæ competit familiæ per ſe, & ſuâ naturâ.

Eſtque vel Primaria ſeu Univerſalis, vel Secundaria ſeu Particularis.

A ſupplendoné ſupellex, an verò à ſub & pelle? *Diſq.*

Vel etiam à ſuper & legi, aut ſuper & lectus? *Neg.*

Omniſné ſuppellex ſit res mobilis? *Aff.*

Atque adeò, annon ſupellectilis appellatione ſubindè veniant omnes res neceſſariæ atque utiles ad quotidianum vitæ uſum? *Aff.*

Et, ut ſic, ſignificatio ejus ſe extendat ad omnia domus utenſilia? *Aff.*

Immò etiam ad alias res, quæ poſſunt eſſe ornamento? *Aff.*

Nominatim ad tapetia atque aulæa, quibus conclavia, ſubſellia, & cathedræ inſtrui ſolent? *Aff.*

Ad ipſa quin etiam vehicula? *Aff.*

Men-

Mensasvé? *Aff.*

Vesteſvé? *Aff.*

Supellex Domeſtica Primaria ſeu Univerſalis eſt Pecunia, inſtrumentum illud inſtrumentorum, primum atque ultimum in commutatione, per quod paterfamiliâs non tantùm neceſſaria ad victum & amictum ſibi ſuiſque conciliat, verùm alia inſtrumenta de novo parat, ac deperdita reparat, quod nulli præterea inſtrumento Oeconomico competit per ſe. Sic dicta à pecore ſeu pecu, eò quòd omnis veterum ſubſtantia cònſtiterit in pecuariâ, peculiumque patrisfamiliâs ex pecude olim æſtimaretur: An, quia boum atque ovium figurâ primus hanc ſignârit Servius Romanus? Aliter Numus appellatur, vel à Numâ, qui eam primus imaginibus notâſſe fertur apud Romanos, vel ἀπὸ τ νέμειν, eò quòd eò interveniente tribuatur ſuum cuique in contractibus, ſitque νόμ, menſura rerum, & νομὴ, grata cumprimis poſſeſſio mortalibus. Item Aes, Argentum, Aurum, eò quòd pecunia primò fuerit ærea, inde argentea, demum aurea.

An τὰ χρήματα ſint pars familiæ? *Diſt.*

An in cenſu verarum divitiarum ponenda? *Diſt.*

Si minùs ratione poſſeſſionis, ſaltem ratione uſus? *Diſt.*

An

An naturalis inſtitutionis, ſeu de naturæ inſtituto? *Diſt.*

Si minùs formaliter, ſaltem materialiter? *Aff.*

Liceatné hæc appetere in infinitum? *Neg.*

Et, ſi ſic appetantur, annon deſinant eſſe poſſeſſio domeſtica? *Aff.*

Inſtrumentumvé? *Aff.*

Abſque hoc ſit, annon poſſeſſio domeſtica ſummè neceſſaria, inſtrumentumq;, tam utile, quàm utiliſſimum? *Aff.*

Primuſné pecuniam certo charactere inter homines ſignârit Saturnus? *Diſq.* Interqué Romanos Numa? *Diſq.*

Saltem pecudum effigie inter Romuli nepotes primus Servius? *Aff.*

Utra appellatio ſit ſtrictior, pecuniæné, an numi? *Aff: Poſt.*

Et ſi, annon numis indiſtinctè legatis veriſimiliter exiguiores tantùm præſumantur eſſe legati? *Aff.*

Atque adeò, annon æs ſubindè capiatur, & pro argento, & pro auro, pro argenteâ, inquam, atque aureâ monetâ, argenteis atque aureis numis? *Aff.*

Et in genere pro omni pecuniæ numorumqué genere? *Aff.*

Similiterqué argentum & aurum? *Aff.*

Etiamné ſtannum, plumbum, & ferrum? *Neg.*

Atque

Atque adeò, an perindè ſit, cujus cujus materiæ ſint numi, utrùm papyracei, teſtacei, ſcortei ſeu coriacei, figlini, vitrei, lignei, ſtannei, plumbei, ferrei? *Neg.*

An ergò materiam numi conveniat eſſe, non tantùm ex numero rerum utilium, verùm etiam tractabilem, ita ut facilè circumferri, condi, cudi, liquari, cogi, duci, figurari, verſari poſſit? *Aff.*

Neque tractabilem tantùm, ſed etiam durabilem, ita ut durare in his omnibus poſſit quàm minimo ſui detrimento? *Aff.*

Raram inſuper, & precioſam? *Aff.*

Molequé & quantitate parvam? *Aff.*

Inqué minimas partes diviſam? *Aff.*

Adhæc pondere ac valore diſtinctam? *Aff.*

Principiſqué ſimulacro, vel alio inſigni, inſignitam? *Aff.*

Inſigniendamvé fuſione, vel percuſſione? *Aff.*

Magis tamen illâ, quàm hâc? *Aff.*

Universè, an pecuniæ nomine ſemper veniat pecunia numerata? *Neg.*

Annon ſubindè omnes res, tam ſoli, quàm mobiles, tam corpora, quàm jura atque univerſitates? *Aff.*

Atque ita, annon vocabulum pecuniæ modò accipiatur generaliſſimè, pro patrimonio, ſive res, quæ in patrimonio ſunt, ſint corporales, ſive non, ſive mobiles, ſive non,

ve non, modò anguſtiùs, pro iis tantùm rebus, quæ numero, pondere, menſurâ conſtant, modò anguſtiſſimè, pro pecuniâ numeratâ, numerato, inquam,& ſignato auro, argento, ære? *Aff.*

Ideoqué pecuniæ ſignificatio ſubindè reſtringenda ſit ex ſubjectâ materiâ? *Aff.*

Reſtrictionevé ſingulari, & notæ appoſitione, exigentibus ita rei circumſtantiis, atque uſu loquentis? *Aff.*

Convenienterqué accipienda, aliâs ὑποδῶς, aliâs ἀναλογικῶς, modò ἀκριβῶς, atque in rigore, modò ὡς ἔγγιστα, atque ἐν πλάτει? *Aff.*

Supellex Domeſtica Secundaria ſeu Particularis eſt, quæ pecuniâ comparatur.

Eſtqué vel Activa, vel Factiva.

Supellex Domeſtica Secundaria ſeu Particularis Activa eſt, per quam nullum opus poteſt produci, vel, cujus operâ nihil acquiritur præter uſum. In hoc genere ſuppellectilium ſunt, cùm Veſtimenta, tum Ornamenta Domeſtica, nominatim Tapetia, Aulæa, Picturæ, Imagines, Lectiſternia. Etc.

Supellex Domeſtica Secundaria ſeu Particularis Factiva eſt, per quam opus aliquod poteſt produci, vel cujus operâ aliquid acquiritur præter uſum. Atq; in hoc genere ſupellectilium ſunt cætera inſtru-

menta

menta domestica.

An actio post se relinquat opus? *Neg.*

Saltem ex eventu? *Aff.*

Itemné effectio? *Neg.*

An ergò effectio post se relinquat opus per se, atque ex intentione operantis? *Aff.*

Omnisné? *Neg.*

Ut ad speciem descendam: Annon vestis à vestimento differat? *Aff.*

Et si, an ut genus à specie, totum à parte? *Aff.*

Annon interim vestibus legatis, secundum communem Curiæ stilum, Jurisqué idiotismum Civilis, etiam vestimenta intelligantur esse legata, & contrà vestimentis legatis etiam vestes? *Aff.*

Vestibusq; adeò legatis etiam, quæ festis diebus paratæ sunt, debeantur? *Disq.*

Atque adeò, si testator solitus fuerit uti quâdam veste, quæ etiam mulieribus conveniens est, annon ea virilis vestis appellatione videatur contineri? *Aff.*

Universè, annon absolutâ vestis appellatione, tam virilis, quàm muliebris, comprehendatur? *Aff.*

Etiam tragica, etiam citharœdica? *Aff.*

Itemné restrictâ? *Neg.*

Adeoqué, ut sic, non tam intelligatur vestis, quam habet vir aut mulier, quàm ea, quam ex instituto habere debet? *Aff.*

Sufficiatné una quotannis, an vero requiran-

quirantur tot, quot ſunt viciſſitudines anni, vere una, æſtate una, autumno una, hieme una? *Diſt.*

Ut breve faciam: Annon veſtimenti nomine veniant, non tantùm indumenta, quæ induendi causâ parata ſunt, verùm etiam cingula, amicula, ſtragula, & ſubicula, quæ præcingendi, amiciendi, inſternendi, injiciendi accumbendiqué causâ parata ſunt? *Aff.*

Et convenienter id, quod detextum eſt, etſi deſectum non ſit? *Aff.*

An idem, quod ornamentum, munduſvé? *Neg.*

Et, ſi non, an ergò veſtis, ornamentum, mundus differant, ita ut veſtis neceſſitati cultuiqué corporis inſerviat, ornamentum neque neceſſitatis neque cultus ſit gratiâ, verùm ut ornatius ſit corpus, mundus verò, neque veſtis, neque ornamentum, ſoli corporis venuſtati deſerviens, quò id reddat mundius atque nitidius? *Aff.*

Ideoqué ornamentum corporis ornandi, mundus venuſtatis gratiâ paretur, non etiam neceſſitatis, utilitatiſvé? *Aff.*

Et conſequenter ornamenta domeſtica ad nullam aliam rem comparentur, niſi corporis aut domus exornandæ gratiâ? *Aff.*

An ornamentorum cenſu etiam contineantur annuli ſignatorii? *Neg.*

Et, ſi non, an ergò neceſſitatis, non ornatus causâ, ſint comparati? *Aff.*

Annon ſaltem tapeta, quibus ſubſellia & cathedræ inſterni ſolent? *Aff.*

Aulæavé, quibus parietes atque aulæ ornatus causâ teguntur? *Aff.*

Itemné tapetes, quibus ſternuntur inſternuntur vehicula? *Neg.*

An ergò inſtrumenti ſint viatorii potiùs, quàm ornamenti domeſtici? *Aff.*

Quid de picturis & imaginibus, veniuntné & ipſæ appellatione ornamentorum? *Aff.*

Simplexné tabulæ acceſſio pictura, an verò ſpecificatio, formam addens tabulæ, ut non ampliùs tabula, verùm pictura ſit & vocetur? *Aff. Poſt.*

An ergò picturæ cedat tabula? *Aff.*

Etiamné ſcriptura? *Diſt.*

Atque adeò, annon pictura magis ad rerum verarum naturaliumqué ſimilitudinem accedat atque accommodetur, ut eas oculis tanquam præſentes offerat, ſcriptura verò ſatis habeat, ſi animi alterius cogitata nobis declaret, & nobiſcum tanquam vivo ſermone colloquatur? *Aff.*

Legatum ſit alicui inſtrumentum pictoris, cedentné legato quoque ceræ, colores, peniculi, cauteria, & conchæ? *Aff.*

Itemné tabula, legatâ imagine, hoc eſt,

est, simulacro picto? *Neg.*

An ergò aliud imago, aliud tabula? *Aff.*

Et consequenter imago referatur, non ad picturã tantùm, sed etiam ad statuas, adeoqué ea, quæ fiunt ex marmore, ære, argento, & similibus? *Aff.*

An semper εἰκὼν ἀρχέτυπῳ ἢ πρωτότυπῳ, id est, id, ad cujus exemplum fit vel est aliud? *Neg*

Annon universè magis, & propriè magis εἰκὼν ἔκτυπῳ, id est, id, quod repræsentat aliquid, nempè id, ad cujus exemplum est quid pictum fictum factumqué? *Aff.*

Venio ad lectisternia: Lectoné legato intelliguntur insimul legata fulcra? *Aff.*

Spondævé? *Aff.*

Cortinævé? *Dist.*

Lodicesvé? *Dist.*

Peristromatavé? *Dist.*

Toraliavé? *Dist.*

Et in genere ornamenta lecti accessoria? *Dist.*

Supellex hæc Activa & Factiva communiter Materiâ atque Usu distinguitur.

Ex Materiâ alia est Linea, alia Lanea, Bombycina, Serica, Holoserica, Coccinea, Purpurea, Plumea, Coriacea, Pellicea, sive Scortea, Scirpea sive Juncea, Viminea, Spartea sive Stupea, Lignea, Vitrea, Fictilis sive Argillacea, Lateritia, Lapidea, Gem-

mea, Aurea, Argentea, Stannea, Plumbea, Ferrea, Ærea. Etc.

Annon lineæ veſtis uſus, qui nunc vilis & plebejus, olim fuerit nobilium? *Aff.*

Honoris causâ primùm conceſſus ſacerdotibus? *Aff.*

Hinc Monachis, ſed inter ſacra tantùm? *Aff.*

Annon linum metonymicè ſubindè accipiatur pro eo, quod eſt ex lino factum? *Aff.*

Sic dictum, quaſi lene, ſi minùs re, ſaltem virtute? *Diſq: Prius: Aff: Poſt.*

Annon eo legato, tam factũ, quàm infectum, contineatur, quodquè netũ, quodquè in telâ eſt, & neque dum detextum? *Aff.*

Itemné tinctum? *Aff.*

An idem quoque etiam teneat in lanâ, lino cognatâ, & quoad vocem, & quoad rem? *Neg.*

Atque adeò, annon lanæ appellatione comprehendatur, quod tinctum non eſt, verùm αὐτοφυὲς, ſive ea ſit facta, ſive infecta? *Aff.*

Et conſequenter lanæ appellatio eatenus extendatur, donec ad tincturam pervenerit, ſive ſuccida ſit, ſive lota, dummodò tincta non ſit? *Aff.*

Annon lanæ appellatione quoque contineantur lanatæ pelles? *Aff.*

Sta-

ſtamen item & ſubſtamen? *Aff.*

An differat à lanugine? *Aff.*

Bombycinum item à ſerico? *Diſt.*

Atque adeò, annon illud ab hoc fuerit diſtinctum, ſaltem ætate Plinii, quæ ſerica vellera ex arborum lanugine depecti, non à bombycibus texi, credidit? *Aff.*

Itemné ætate Solini? *Neg.*

An ergò tum ſericum è bombyce fieri, à bombyce neri, omnibus tam fuerit perſuaſum, quàm quod perſuaſiſſimum? *Aff.*

Annon imperitè hæc confundat Iſidorus? *Aff.*

Malè quoque de hoc lanicii genere more ſuo philoſophetur Suidas, hiſtoricetur Pauſanias, poëtetur Servius, qui à ſere vermiculo denominatum volunt ſericum, nō à goſſypio, vel lanâ xylinâ, quam reperire eſt in arboribus apud Seres populos? *Aff.*

Utrum majori in precio fuerit, bombycinumné, an ſericum? *Aff: Poſt.*

Annon hoc uſæ fuerint fœminæ tantùm, illo verò etiam viri? *Aff.*

Immò & iſto, ſed ætate Solini ſcilicet? *Aff.*

An ergò ſeculo Solini ſericæ veſtes fuerint generis epicœni, id eſt, viris mulieribuſqué communes? *Aff.*

Atque adeò, annon telæ ſericæ conficiundæ uſus, uſque ad Imperatoris Juſtiniani tempora, Romanis hominibus fuerit ignotus? *Aff.*

Quin immò uſque ad Rogerii Siculi tempora in Occidente? *Aff.*

An ſericum differat ab holoſerico? *Diſt.*

Si minùs ſpecie completâ, minimùm gradu? *Aff.*

Itemné à byſſo? *Aff.*

Vel ſpecie? *Aff.*

Et convenienter coccus à purpurâ? *Aff.*

Purpura à purpuriſsâ? *Aff.*

Conſequenterqué color coccineus à purpureo? *Aff.*

Uterque à puniceo, croceo, luteo, roſeo, violaceo? *Aff.*

Annon interim ſæpè pro rubro colore ſumatur uterque, & in genere pro ſplendido ac pulchro? *Aff.*

Reverà autem color, qui dicitur, purpureus, ſit ſubrubidus ſeu rubicundulus, id eſt, ruboris quidem, ſed nigricantis, adinſtar roſæ nigellæ? *Aff.*

An, ut ſic, purpuræ appellatione contineatur coccus? *Neg.*

Perqué coccum adulteretur purpura? *Aff.*

An in hujus diſcriminis aſſignatione conveniat Ulpiano Jurecõſulto cum Matthæo Euangeliſtâ? *Diſq.*

Rerumqué naturalium ſcrutatoribus ac perſcrutatoribus inter ſe? *Neg.*

Saltem in eo, quòd purpura ſit piſcis, è concharum genere, habens florem ſeu ſuccum, tingendis veſtibus aptum, in mediis

faucibus,inter papaver ſcilicet & cervicem, quem cum vitâ evomat? *Aff.*

An valoris atque æſtimii majoris, quàm coccus? *Aff.*

Ideoqué meritò ejus tingendæ,fucandæ, diſtrahendæ,ferendæ facultas moribus Romanis privatis fuerit ademta? *Aff.*

An rectè, quod ſub capitis,fortunarumqué omnium periculo? *Neg.*

Annon nobiliſſima omnium fuerit purpura, quam vocant, Tyria? *Aff.*

Ideoqué,ſi quis generaliter ſit ſtipulatus purpuram, & deinde ſpecialiter petat Tyriam, is plus petere intelligatur? *Aff.*

An pluma hîc ſignificet pennam in genere,quæ avibus pro pilis eſt data, an verò pennam in ſpecie, id eſt, non tam majorem & duriorem, quàm minorem & molliorem? *Aff: Poſt.*

An ergò differant penna & pluma, ita ut illa denotet pennam groſſiorem ac craſſiorem,hæc minutiorem tenerioremq;? *Aff.*

Similiterné corium & pellis,perſuade in ſuo genere? *Aff.*

Et ſi, an ergò corium & ipſum cluat durius,craſſius,majorumq; animalium,pellis mollior,tenuior,minorum animaliũ? *Aff.*

Illud crudum,hæc macerata ferè ac ſubacta? *Aff.*

An rectè,vel illud à carne, quòd caro eo tegatur integatur, vel hæc à pellendo, ſivè

quòd pelli ſoleat ab animali, cum mactatur, ſive, quòd externas injurias corporis tegendo pellat, pluviaſqué,& ventos, ſoliſqué ardores ferat perferat? *Neg: Prius: Aff: Poſt.*

An idem, quod cutis? *Neg.*

Adeoqué cutis hominum, pellis & corium animalium? *Aff.*

Annon ſaltem idem pellis, quod ſcortum? *Aff.*

Convenienterqué ſcorta nihil aliud, quàm pelles animantium? *Aff.*

Et, quæ his incubare olim ſolita, ſcorta bis ſcorta? *Aff.*

Itemné idem ſcirpus & juncus? *Aff.*

Non re tantùm, verùm etiam appellatione? *Aff: Prius: Diſt: Poſt.*

Atque adeò, annon ab eodem principio originali ſcirpus & juncus, ſi minùs nominaliter, ſaltem nominativè? *Aff.*

Id eſt, tam ille, quàm hic, à jungendo? *Aff.*

Sed ille Logicè, hic Grammaticè? *Aff.*

An diſtet à vimine? *Aff.*

A viendoné, quòd ferat virgas admodum ſequaces ad vincturam, an vero à vi, quòd vim multam habeat viroris? *Quodl*

Vimen item à ſtupâ, ſpartové? *Aff.*

Ab aſperitatené, quaſi aſpartum? *Neg.*

Ac non potiùs, à Græco σπάω, eò quòd ſit trahi facile, lentũ, atq; obſequioſum? *Aff,*

Atque adeò, annon differendo differant, laqueus, reſtis, funis, lorum? *Aff.*

Et

Et ſi, annon reſtis, ſecundum communem loquendi ſtilum, ſit minor, funis major craſſiorqué, illa lectorum & ſellarum, hic navium? *Aff.*

Illa à verbo reſto, non rate retivé, eò quòd auræ ac ventis reſtet reſiſtat ſcilicet, ſtarequé faciat ligata, hic à fundo, quòd, dum trahitur, fundat linum? *Aff: Utr.*

Lorum item, non quodvis vinculum, ſed ex corio tantùm? *Aff.*

Annon interim, non obſtante hoc diſcrimine, vox laquei complectatur, & reſtim, & funem, adeoqué omne vinculum, quo quid conſtringi ſolet? *Aff.*

Sicut & lorum? *Aff.*

Quid de ligno, à legẽdoné, an ligãdo? *Quodl.*

Annon vocabulum generale, comprehẽdens ambitu ſuo ſtipulas, cautes, caudices, arundines, ſpinas, vepres, ceſpites, herbulas, perſuade in iis regionibus, ubi his utuntur pro ligno? *Aff.*

Annon aliud lignum ſimpliciter, aliud lignum, ſumtum pro materiâ, ſive materia lignorum? *Aff.*

Quid de vitro, à viſuné, quaſi viſitrum, an verò à videndo, quaſi viditrum? *Quodl.*

Et non potiùs à φάω ἢ θεάνω, quòd ſit quid ſplendens ac fragile, humor putà induratus, ex arenâ, calce, nitro, antè liquatis vi ignis? *Diſq.*

Venio ad ſupellectilem fictilem, fictã

lené, quod fictum eſt à figulo, an verò, quod fingi poteſt? *Aff:Prius.*

Sicut lateres coctiles, qui cocti ſunt, non qui coqui poſſunt? *Aff.*

An lapides ſimpliciter? *Neg.*

Saltem lapides coctiles? *Aff.*

Ductileſvé? *Aff.*

Unde ducendi, è ſabuloſoné arenoſo atque calculoſo ſolo, an verò è cretoſo ſeu albicante? *Aff:Poſt.*

Rubicantevé? *Aff.*

Annon, quantò plus abluuntur, tantò plus exaſperentur? *Aff.*

Sic dicti, vel à lato, quòd lati formentur & ſpacioſi, vel à lateo, quòd latere faciant ea, quæ illis teguntur? *Neg:Prius: Diſq:Poſt.*

Ac non potiùs à Græco λᾶας λᾶς, & verbo τίεθμαι, quaſi λᾶς τιεθόμενος, lapis ſiccatus ad ſolem, ignemvé? *Aff.*

Ab artificialibus lapidibus juvat tranſitum facere ad naturales, id eſt, à fictis factiſqué condeſcendere ad veros: Omneſné ejuſdem naturæ genericæ? *Aff.*

Itemné ſpecificæ? *Neg.*

Et, ſi non, an ergò differant lapis & petra, ita ut ille ſit mollis, hæc dura? *Aff.*

Lapis item & ſaxum, ita ut ille ſit minor, tenerior, mitior, hoc majus, aſperius, durius? *Aff.*

Similiterné ſaxum & petra? *Neg.*

Saltem

Saltem lapis & lapillus? *Aff.*

Atque adeò, annon lapidis appellatione generaliter contineatur quodlibet ſaxum, ſive aptum ſit ad ædificandum, ſive non? *Aff.*

Ipſa quin etiam gemma, quæ lapis quidem, ſed non ſaxum? *Aff.*

Lapilli item appellatione omnes lapides parvi, precioſorum intellectu? *Aff.*

Nominatim margaritæ & gemmæ? *Aff.*

An in hâc materiâ conveniat Iureconſultis cum aliis autoribus, qui lapilli nomen communiter tribuunt & illis & iſtis, ita ut lapillus ſit commune nomen margaritarum pariter & gemmarum? *Neg.*

An ergò in Iure lapilli, margaritæ, gemmæ, diſtinguantur? *Aff.*

Diſtinctequé ſubindè nominentur illi, iſtæ, hæ? *Aff.*

Ita ut margaritæ, nec gemmis, nec lapillis, comprehendantur, & contrà? *Aff.*

Annon interim ſaltem aliquandò, ſub lapilli, & gemmæ nomine capiatur concipiatur margaritum? *Aff.*

Nominatim, atque in ſpecie, an gemmæ, incluſæ argento auroqué, auro argentové cedant? *Diſt.*

Annon ſaltem, cum argenti aurivé major eſt ſpecies, ejuſqué ornandi cauſâ adhibentur gemmæ, tanquam acceſſorium, & minùs principale? *Aff.*

Et consequenter gemmæ, inclusæ phyalis, lancibus, coronis mensarum, cedant concedant auro argentové? *Aff.*

Similiterqué margaritæ, auri vel argenti ornandi gratiâ adhibitæ? *Aff.*

Itemné, si contrà? *Neg.*

Atque adeò, annon gemmis legatis debeantur quoque vasa gemmea? *Aff.*

Etiamné gemmata? *Dist.*

An ergò gemmeus & gemmatus differant? *Aff.*

Unde gemmæ, à gumminé, quòd instar gummi transluceant, an verò à similitudine gemmarum, quas in vitibus cernimus? *Aff: Post.*

Annō hoc distent à margaritis, quòd illæ sint diversi coloris, hæ albæ, illæ integræ, hæ pertusæ? *Neg.*

Saltem isto, quòd margaritæ, vel pars, vel partus conchæ, gemmæ non item? *Aff.*

Atque adeò, annon margaritæ ita innascantur conchulis, quemadmodum grandines in suillis carnibus, aut sicut in cerebro piscium lapilli? *Aff.*

An rectè dicantur concharum abortus, vitia, purgamenta, verrucæ? *Neg.*

An concipiantur permixtione roris, densiùs oscitando? *Neg.*

Orianturqué ex æthereâ potiùs derivatione, quàm saginis pelagi? *Neg.*

Annon saltem guttæ matutini roris, iis

infu-

infusæ, clariores efficiant lapillos, & magis teretes, vespertini verò roris guttæ flexuosos, rutilos, maculosos? *Neg.*

An frequentiâ tonitruum, atque imbrium vi, adjuvetur margaritarum sive unionum generatio? *Neg.*

Indené uniones quòd nunquam duo plurefvé reperiantur simul, seu nulli duo indiscreti, sed unus tantùm? *Difq.*

Annon in aquâ sit mollis unio, duretur eviscératus? *Neg.*

An majoris valoris & precii, quàm aurum? *Dist.*

Nominatim, quàm aurum obryzum? *Dist.*

Atpue adeò, an hodiequé detur aurum obryzum? *Neg.*

Universè, annon aurum sit omnium metallorum alpha, id est, primum & principalissimum? *Aff.*

Defecatissimumqué? *Aff.*

Idemqué durissimum simul, & mollissimum, porosissimumqué? *Aff.*

Maximequé ductile? *Aff.*

Minimequé consumibile, ut quod solum inter metalla non igniatur? *Aff.*

Ideoqué longè omnium metallorũ perfectissimum, non secundum opinionem hominum tantùm, sed etiam secundum naturam rerum? *Aff.*

An reliquorum metallorum finis, ita

ut omnia metalla, tanquam imperfectiora, in aurum, tanquam perfectius, accedente ad naturam arte, queant commutari? *Neg.*

Aurum futura, nisi ante tempus eruerentur è terræ visceribus? *Neg.*

Annon pinguius pinguiusq; argento? *Aff.*

Et hoc melius, quò rubicundus ac splendidius? *Aff.*

An tingibile? *Aff.*

Odorabilevé? *Neg.*

Operationisqué efficacioris, quàm alia metalla? *Aff.*

An quis ejus usus in specie in re medicâ, ad vires animales ægris augendas, confortandumqué cor? *Aff.*

Ab Auroné inventore sic dictum, an verò ab aurâ, id est, splendore? *Disq: Prius: Neg. Post.*

Ausové? *Neg.*

Aurorâvé? *Neg.*

Avendové, quòd ejus valdè avidi sint homines? *Neg.*

Auruncandové, quòd mentes hominum auruncare, id est, avertere soleat? *Neg.*

An ergò universè potiùs, ac verè potiùs à Græco ἀυρὸς, sicut & cognatum vocabulum ϑησαυρὸς? *Aff.*

Ita ut thesaurus nihil sit aliud, quàm theca, ubi aurũ, & ejus generis preciosa, εἰς ἄυριον reponuntur? *Aff.*

Nomi-

Nominatim, atque in ſpecie, etiam argentum, metallum illud ἄργὸν, album, auro minùs, ut ponderoſum, ita precioſum? *Aff.*

Idqué tam factum, quàm infectum, ſignatumqué? *Aff.*

Atque adeò, annon auri argentiqué appellatione civiliter, tam factum, quàm infectum, indigetetur, id eſt, tam laboratum, quàm inelaboratum, grave, inquam, rude, atque in nulla opera conjectum? *Aff.*

Etiamné ſignatum? *Neg.*

An ergò factum à ſignato diſtet, ita ut factum ſit, quod neque in maſsâ, neque in laminâ, neque in ſupellectili, neque in mundo, neque in ornamentis, verùm in vaſis & ſignis, ſignatum contrà, quod in numis tantùm? *Aff.*

Proindè, quando aurum vel argentum legatur, omne omninò, ſive factum, ſive infectum, legato contineatur? *Aff.*

Ipſa quoque etiam vaſa aurea atque argentea, nominatim paropſides, matulæ, trullæ? *Aff.*

Ipſæ quin etiam ſubindè gemmæ, aureis annulis incluſæ, & cymbia argentea, cruſtis aureis illigata; aureaqué emblemata, quæ in lapidibus aſpidibuſqué argenteis ſunt, replumbariqué queunt, dum ea in auri argentiqué numero teſtator habuerit modò? *Aff.*

Neque

Neque in ſupellectilis nomen cecide-rint? *Aff.*

Immò, ſi ceciderint, modò auri argen-tivé loco à teſtatore ſint habita? *Aff.*

Annon interim aurum argentumqué communiter interpretemur id omne, quod ita ex auro argentoqué eſt, ut neque ſu-pellectilis inſtrumento cedat, neque pro-prio alicui ac ſpeciali generi aſcribi poſſit? *Aff.*

Atque adeò, annon interdum infecto au-ro argento etiam contineatur factum, ſi-quidem fractum ſit, colliſumvé? *Aff.*

Legatum ſit eſcarium ſive eſcale aurum argentumvé, debebiturné, quod ad epulan-dum teſtator in miniſterio habuit? *Aff.*

Neque id tantùm, ſed etiam illud, ex quo potare is eſt ſolitus? *Aff.*

Et in genere omnia vaſa, propter eſum ac potum parata, dummodò cocinatorii & doliarii inſtrumenti non ſint? *Aff.*

Quin immò etiam illa, quæ ad præpa-rationem tantùm edendi ac bibendi ſunt comparata? *Aff.*

Annon aliud argentum alio ſit coctius? *Aff.*

Omniumq; coctiſſimum argentum, quod vocant, purum-putum? *Aff.*

Annon per illud intelligatur argentum puſulatum ſive puſillatum, puſtulatum ſi-ve paſtillatum, quod omnium purga-tiſſi-

tissimum? *Aff.*

An differat ab argento vivo, ita ut alterum sit minerale nativum, alterum artefactum? *Neg.*

Annon in argento vivo, præter humorem purum & glutinosum, quoque sit terra pura illi admista? *Aff.*

Omniané in eo innatent, præter aurum, quod solum dicitur subsidere? *Disq.*

Omniavé vasa metallica perforet? *Aff.*

Specieſqué ac colores rerum immutet? *Aff.*

Nominatim auri, quod fœdare perhibetur, verené? *Aff.*

Annon, sicut in infinitas partes dilabitur, nisi vinculis coërceas, ita contrà facilè coëat in unum, inqué unam massam confluat, ritè habitum? *Aff.*

Et convenienter, cùm vix quicquam eo sit gravius, nihil tamen sit mobilius? *Aff.*

Ideoné in pulvere rotundetur, seu fiat rotundum, quòd refugiat contactum? *Aff.*

Argento simillimum stannum, cujus colorem imitatur, splendoremqué æmulatur, ejusdemné cum eo dignitatis ac dignationis? *Neg.*

Annon eo, ut vilius, ita humidius & mollius? *Aff.*

Operationiſqué ab eo diversæ, ut quod mixta atque adulterata inter se per ignem metalla dissociet, & ab auro atque argen-

argento æs plumbumqué ſecernat, alia quoque metalla ab igne defendat, ne exurantur, nominatim æs & ferrum? *Aff.*

Sic dictum fortean, vel à σάζω, fluo, vel à ſtando, eò quod in fornacibus primùm fluat, ac per ſe ſtet ſcilicet? *Aff: ſaltem Diſq.*

Stanno non abſimile plumbum, niſi quod illud albius & candidius, hoc minùs album candidumqué, adeoqué albicans potiùs, quàm album, candicans, quàm candidum: Omnené? *Neg.*

Et ſi non, an ergò præter plumbum albicans detur aliud diverſæ ſortis, putà cinereum? *Aff.*

Præterqué cinereum nigrum? *Diſt.*

Si minùs abſolutè, ſaltem comparatè? *Aff.*

Annon, ut ſic, rectè derivetur, vel à Græco μέλος niger, vel à Græcanio μηλὸς, quæ vox valet lutum, eò quòd ſit metallum luteum, id eſt, valdè impurum? *Quodl.*

An proficiat creſcendo? *Aff.*

Argentoqué ſupernatet? *Aff.*

An cum eo miſtum poſſit deduci? *Aff.*

Siqué tegularium fuerit, ſit ædificii? *Aff.*

Plumbo firmius ferrum, optimum peſſimumqué vitæ inſtrumentum: A ferendoné, an à feriendo? *Diſq.*

Vel quòd ferum ſit, atque indomabile? *Aff.*

Ut

Ut quod non æquè liqueſcat ac molleſcat bonâ fide? *Aff.*

Neque ita fundi ſit pote? *Aff.*

An id intendat natura? *Aff.*

Æquè ac æs? *Aff.*

An æs incoctum? *Neg.*

Eové utilius? *Aff.*

Etiamné antiquius? *Neg.*

Atque adeò, annon ejus uſus poſt alia metalla demum fuerit repertus? *Aff.*

Annon interim heroicis temporibus notus? *Aff.*

Omnené ejuſdem, valoris ac precii? *Neg.*

Aut ullum purum-putum, putum-purum? *Neg.*

Moveaturné ad magnètem naturaliter, an verò trahatur? *Aff: Prius.*

Ob occultam fortean analogiam, qualitatemvé? *Diſq.*

An diſtincta ſpecies à chalybe? *Neg.*

Et, ſi non, an ergò chalybs ſit ferrum, verùm multo igni coctum, multâqué aquâ reſtinctum? *Aff.*

Sed redeo ad æs: Undenam, an ab eſſe, quòd duret, neque ita tangatur rubigine, ut ferrum & chalybs, ac non potiùs à Græcâ voce αἴθω, quæ valet ſplendorem? *Aff. Poſt.*

Annon major ejus uſus fuerit apud caſcos, quàm nunc eſt apud noſtros homines? *Aff.* Et

Et, annon in ejus locum videatur ſucceſſiſſe ferrum? *Aff.*

Ex Uſu alia Supellex eſt Veſtiaria, alia Cubicularia, Culinaria ſeu Coquinaria alia, Menſaria alia.

Supellex Veſtiaria amplitudine ſuâ continet omnis generis Veſtes incluſivè.

Veſtes hæ universè vel Viriles ſunt, vel Muliebres, vel Viriles & Muliebres ſimul.

Veſtes Viriles dicuntur, quibus communiter utuntur viri, quibuſquè adeò abſque vituperatione nequeunt facilè uti mulieres. Hujus notæ ſunt: Pileus ſive pileum, petaſus ſive galerus, albogalerus, cudo, diadema, cidaris ſive tiara, collare, thorax, rheno, maſtruca, colobium ſive collobium, abolla, diplois, chlæna ſive læna, ſagum, chlamys, balteus ſive balteum, cinctas, folliculus ſive paſceolus, vidulus, pera, aſcopera ſive mātica, hippopera ſive bulga, cincticulus, cāpeſtre, caligæ, caſiola, paludamētū, lacerna, cucullus, bardocucullus, deniq; ocreæ, mullei, perones, endromides, encentrides, grallæ.

Veſtes Muliebres dicuntur, quibus communiter utuntur mulieres, quibuſquè adeò abſque vituperatione nequeunt temerè uti viri. Hujus notæ ſunt: Umbella, mitra, ſemimitra, redimiculum, capillare ſive reticulum, calyptra. flammeum, plaga, plagula, rica, ricula, caliendrum, calantica, capitium, mammillare, ſtrophium,

ami-

amictorium, præcinctorium, succinctorium, cingulum, ricinium sive recinium, theristrum; supparus sive supparum, palla, stola, cyclas, deniq; perisceliides atq; sandalium.

Vestes Viriles & Muliebres simul dicuntur, quibus promiscuè absque vituperatione utuntur, tam viri, quàm mulieres. Hujus notæ sunt: Insula, vitta, tænia, spira, sudarium, muccinium sive strophiolum, interula sive camisia, subucula sive induſium, amiculum, epomis, endromis, tunica, toga, epitogium, manica, chirotheca, fibula sive ligula, orbiculus, uncinulus, zona, marsupium sive crumena, subligar sive subligaculum, quod & femorale sive feminale aliter, brachæ sive braccæ, penula, pallium, tibialia, genualia sive fasciæ crurales, denique cothurnus, soccus, soleæ, odones sive udones, calones, sculponeæ, præterque crepidam, calceus cum corrigiâ.

Annon appellatione supellectilis vestiariæ veniat tota res vestiaria, tam in genere, quàm in specie? *Aff.*

Consequēterqué vestes, tam viriles, quàm muliebres, tam totius corporis, quàm singulorum membrorum? *Aff.*

Idq; tã materialiter, quàm formaliter? *Aff.*

Nominatim vestes bombycinæ, sericæ, holosericæ, subsericæ sive tramosericæ, panneæ, cannabinæ, gossypinæ sive xylinæ, pelliceæ, laneæ, linteæ,

inter-

interpoles, pannoſæ, pexæ, laciniatæ, undantes, undulatæ, vitreæ, ſegmentatæ, ſcutulatæ, Damaſcenæ, Attalicæ, Phrygiæ, Babylonicæ ſive verſicolores, quæ & polymitæ alio nomine, diſcolores, heteromallæ, amethyſtinæ, coccineæ ſive quiſquiliatæ, purpureæ ſive conchyliatæ, denique cœnatoriæ, viatoriæ, & promercales? *Aff.*

Et convenienter, appellatione veſtis virilis, quoque etiam veſtimentum virile? *Aff.*

Itemné appellatione veſtis muliebris quoque etiam mundus muliebris? *Diſt.*

Sigillatim atque in ſpecie: Annon in hoc argumento differant, pileus, galerus, albogalerus, umbella, cudo? *Aff.*

Etiamné galerus & petaſus? *Diſt.*

Saltem galerus & caliendrum? *Aff.*

Similiterqué diadema atque infula, vitta & mitra, tænia hinc, redimiculum, ſpira? *Aff.*

Cidaris item & tiara? *Neg.*

Minimùm rheno & maſtruca, abolla & diplois, læna & ſagum, ſagum & chlamys? *Aff.*

Cinctus porrò, cingulum, cingula, zona? *Aff.*

Hæc & balteus? *Aff.*

Convenienterqué marſupium ſive crumena, folliculus ſive paſceolus, vidulus, pera, aſcopera ſive mantica, hippopera ſive bulga? *Aff.* Itidem-

Itidemné marſupium & crumena, folliculus & paſceolus, aſcopera & mantica, hippopera & bulga? *Neg.*

Annon ſaltem cinctus, cincticulus, campeſtre, ſubligar? *Aff.*

Feminaliaqué adeò & femoralia? *Neg. ſaltem Diſq.*

Caligæqué & bruchæ ſive braccæ? *Aff.*

Tum lacerna & penula, cucullus & bardocucullus? *Aff.*

Et mox ocreæ ac perones, perones & mullei, endromides hinc atque encentrides, cothurnus & ſoccus, udones & ſculponeæ, calceus & ſolea, calones ac crepidæ? *Aff.*

Hæqué & ſandalia? *Aff.*

Capillare porrò & reticulum? *Neg.*

Hoc & capitium? *Aff.*

Calyptra inde & flammeum? *Aff.*

Plaga ſubindè ſeu rica à plagulâ ſeu riculâ? *Aff.*

Mammillare à ſtrophio? *Aff.*

Amictorium à præcinctorio, hoc à ſemicinctio ſeu ſuccinctorio? *Aff.*

Ricinium à ricâ? *Aff.*

Supparus ab interulâ ſive camiſiâ? *Aff.*

Hæc à ſubuculâ? *Aff.*

Iſta porrò ab induſio? *Neg.*

Palla hinc à ſtolâ? *Aff.*

Stola à cyclade? *Aff.*

Periſcelides à faſciis cruralibus? *Diſt.*

Mucci-

Muccinium à ſtrophiolo? *Neg.*

Saltem amiculum à tunicâ, epomis ab endromide, toga ab epitogio? *Aff.*

Sagoqué? *Aff.*

Pallioqué? *Aff.*

Itemné manica à chirothecâ? *Diſt.*

Fibula à ligulâ? *Neg.*

Minimùm à corrigiâ? *Aff.*

Supellex Cubicularia amplitudine ſuâ cõtinet omnia Inſtrumenta atq; Ornamenta Cubiculi, ceu ſunt: Cubile, triclinium, lectus, ſtragula, inſtragula, toralia, lodices, culcitæ, cervicalia, pulvinaria ſeu pulvilli, cubitalia, cortinæ, peripetaſmata, ſegeſtria, cadurcum, tapetia, aulæa, ſtoreæ ſive mattæ, centones, conopeum, gauſape, ſponda, riſcus, ſcrinium, capſa, capſella, cunæ, batillum, candelabrum, lucerna, pelvis, ad matulam & matellam ſive matellionem uſque incluſivè.

Annon appellatione ſupellectilis cubiculariæ in genere veniat tota res cubicularia? *Aff.*

Annon interim inter ſe & à ſe invicem uſu loquendi differant, cubiculum, cubile, triclinium? *Aff.*

Cubile item, & lectus? *Aff.*

Lectus item, & lectulus? *Aff.*

In ſpecie lectus cubicularis à triclinari ſeu diſcubitorio, communis à geniali? *Aff.*

Et universè lectus, torus, grabatum? *Aff.*

Stra-

Stragula porrò atque instragula? *Aff.*

Hæc iterum à culcitis? *Aff.*

Toralia à lodicibus? *Aff.*

Consequenterqué cervicalia à cubitalibus? *Aff.*

Tapetia ab aulæis? *Aff.*

Capsa à capsellâ? *Aff.*

Matula à matellâ? *Aff.*

Utraque à mattâ? *Aff.*

Supellex Culinaria seu Coquinaria amplitudine suâ continet omnia Instrumenta atque Ornamenta Culinæ, ceu sunt: Ahenum sive caldarium, cacabus, lebes, diploma, olla, authepsa, echinus, tripus, chytropus, sartago, artopta, lardarium, fuscinula, furcula, spatha sive rudicula, tudicula, craticula, veru, veruculum, climacter, cribrum, colum, cilicium, qualus sive qualum, culleus sive culleum, & convenienter, forceps, batillus sive batillum, foculus, ignitabulum, fomes, sulphuratum, cereus, candela, candelabrum, lucerna, laterna, emunctorium, ellychnium, funale, lampas, torris, titio, pruna, carbo, scintilla, favilla, cinis, follis, pila sive mortarium, pistillum, spongia, peniculus, scopæ, baculus, ad cocum atque focariam usque inclusivè.

Annon appellatione supellectilis culinariæ in genere veniat tota res culinaria, ad cocum & focariam usque inclusivè? *Aff.*

Annon interim inter se & à se invicem

differant ahenum ſive aënum & caldariũ? *Neg.*

Saltem ahenum & cacabus, hic & lebes? *Diſq.*

Hæc & diploma? *Aff.*

Ollavé? *Aff.*

Authepſavé? *Aff.*

Echinuſqué? *Aff.*

Tripus porrò & chytropus? *Aff.*

Sartago & artopta? *Aff.*

Fuſcinulaqué adeò & furcula, rudicula & tudicula, craticula & veru, cribrum ſive incerniculum & colum? *Aff.*

Hoc & cilicium? *Aff.*

Qualumvé? *Diſq.*

Culleus item & uter? *Aff.*

Conſequenterqué forceps, forpex, forfex? *Aff.*

Batillus & foculus? *Aff.*

Hic & ignitabulum? *Aff.*

Tum lucerna & laterna, funale & lampas? *Aff.*

Torris & titio, pruina & carbo, ſcintilla & favilla? *Aff.*

Hæc & cinis? *Aff.*

Denique ſpongia & peniculus, baculus, ſcipio, rudis, pedum? *Aff.*

Supellex Menſaria amplitudine ſuâ continet omnia Inſtrumenta atque Ornamenta Menſæ, ceu ſunt: Abacus, ſedes, ſella, ſcamnum, ſcabellum, mappa, mantile, orbis,

qua-

quadra, ſalinum, cochlearia, cultri, labrum, pelluvium, malluvium, guttus, caniſtrum, panarium, catinus, lanx ſive diſcus, patina, poculum, calix, ſcyphus ſive crater, cyathus, culullus, cantharus, phiala ſive patera, ſcutella, cymbium, fidelia, lagena, hydria ſive ſitula, urceus, urna, orca, ſeria, uter, vas, cadus, cupa, dolium.

Annon appellatione ſupellectilis menſariæ in genere veniat univerſa res menſaria? *Aff.*

Annon interim etiam heic inter ſe & à ſe invicem differant ac diſtent menſa atque abacus? *Aff.*

Sedes item, ſella, ſubſellium, cathedra? *Aff.*

Nec non ſcamnum & ſcabellum, orbis & quadra? *Aff.*

Convenienterqué, labrum, pelluvium, malluvium, guttus? *Aff,*

Caniſtrum quin etiam & panarium, catinus & diſcus? *Aff.*

Poculumqué, calix, ſcyphus ſive crater, cyathus, culullus, cantharus? *Aff.*

Phialaqué adeò & patera? *Neg.*

Saltem ſcutella & cymbium, fidelia & lagena, hydria ſive ſitula & urceus, hic & urna? *Aff.*

Orca porrò & ſeria, hæc & uter? *Aff.*

Denique vas & cadus, cupa & dolium? *Aff.*

Supellex Accidentalis eſt, quæ non omni familiæ competit, nec ſemper, quâvé adeò nec omnis paterfamiliâs utitur, nec, qui utitur, ſemper utitur, cùm familiæ inſerviat per accidens.

Eſtque universè vel Ludicra, vel Seria.

Supellex Accidentalis Ludicra eſt, quâ paterfamiliàs ſui ſuorumqué oblectandorum gratiâ utitur.

Eſtqué vel Luſoria in genere, vel Muſica in ſpecie.

Supellex Luſoria amplitudine ſuâ continet omnia Inſtrumenta Luſoria, ceu ſunt: Sphæriſterium, alveolus ſive abacus luſorius, fritillus ſive pyrgus, annulus ferreus, ſcutica ſive flagellum, reticulum, pila, ſphæra ſive globus, turbo, aſtragali ſive tali, teſſeræ, ſcrupi ſive calculi, latrones ſive latrunculi, denique chartulæ luſoriæ, quas ſic vocitant.

Annon appellatione ſupellectilis luſoriæ in genere veniat univerſa res luſoria, ad ſphæriſterium uſque incluſivè? *Aff.*

Annon interim inter ſe & à ſe invicem differant in hâc ipsâ materiâ, alveolus luſorius & fritillus, ſive abacus luſorius & pyrgus? *Aff.*

Itemné alveolus & abacus, aut fritillus & pyrgus? *Neg.*

Scuticaqué & flagellum? *Diſt.*

Sphæravé & globus? *Neg.*

Aſtra-

Aſtragalivé adeò & tali, hi & taxilli? *Neg.*

Saltem hi & malleoli? *Aff.*

Teſſeræqué? *Aff.*

Et ſi, an ergò aſtragaliſmus, ſeu ludus talarius, ſit fueritqué diverſus à ludo teſſerario? *Aff.*

Similiterné calculorum ludus à latrunculorum? *Diſt.*

Convenienterqué oſcillatio ab aſcoliaſmo, hic à cindaliſmo, uterque ab epoſtraciſmo? *Aff.*

Apodidraſcinda porrò à myindâ, myinda à chytrindâ, chytrinda ab oſtracindâ, oſtracinda à dielcyſtindâ, dielcyſtinda à ſchœnophilindâ, ſchœnophilinda à baſilindâ? *Aff.*

Supellex Muſica amplitudine ſuâ continet omnia Inſtrumenta Muſica, ceu ſunt: Tuba, claſsicum, buccina, lituus, cornu, tympanum, organum pneumaticum, utriculus, tibia, fiſtula, chelys ſive teſtudo, lyra, cithara, barbitus, ſambuca, pandura, fidicula, pſalterium, nablium, pectis, cymbalum, crotalum ſive ſiſtrum, denique plectrum ſive pecten, & fides ſive chorda.

Annon appellatione ſupellectilis muſicæ in genere veniat univerſa res muſica? *Aff.*

Annon interim inter ſe & à ſe invicem differant in hâc ipsâ materiâ, tuba,

classicum, buccina? *Aff.*

Hæc & lituus? *Aff.*

Hic & cornu? *Aff.*

Tympanum porrò, atque organum pneumaticum? *Aff.*

Hoc & utriculus? *Aff.*

Tibiaqué adeò & fistula? *Aff.*

Testudo & chelys? *Neg.*

Hæc & lyra? *Aff.*

Lyra & cithara? *Aff.*

Barbitos & sambuca? *Aff.*

Pandura hinc & fidicula? *Aff.*

Convenienterqué, psalterium, nablium, pectis? *Aff.*

Cymbalum item & crotalum? *Aff.*

Hoc & sistrum? *Disq.*

Denique plectrum & pecten, fides, & chorda? *Neg.*

Supellex Accidentalis Seria est, quâ paterfamiliâs sui suorumque juvandorum atque adjuvandorum gratiâ utitur.

Estque Stabularia, Rustica, Piscatoria, Aucupatoria, Venatoria, Nautica, Architectonica, Fabrilis, Aurifabrilis, Textoria, Sutoria, Sartoria, Pistoria, Pictoria, Libraria, Chirurgica, & Polemica.

Supellex Stabularia amplitudine suâ continet omnia Instrumenta Stabuli, ceu sunt: Vacerra, capistrum, præsepe sive linter, frenum, lupatum, retinaculum sive habena, aurea, orea, postomis, fiscella, cingula,

gula, antilena, postilena, dorsuale sive instratum, sagmata sive clitellæ, ephippium, stapes sive staticulum, calcar, scutica, frontale, tomices, bullæ, phaleræ, strigil sive strigilis, ferramentum conciſorium, solea.

Annon appellatione supellectilis stabulariæ in genere veniant omnia instrumenta stabuli? *Aff.*

Hocqué stante, neque tamen obstante, nihilo inter se minùs differant, vacerra & capistrum? *Aff.*

Itemné præsepe & linter? *Dist.*

Retinaculum & habena? *Neg.*

Saltem frenum & lupatum, aurea & orea, hæc est postomis? *Aff.*

Fiscellaqué? *Aff.*

Cingula porrò & cingulum, antilena atque postilena? *Aff.*

Tum dorsuale sive dossuale & instratum, sagmata atque clitellæ? *Neg.*

Minimùm clitellæ & ephippium? *Aff.*

Stapes & staticulum? *Disq.*

Scutica inde, lorum, flagellum? *Aff.*

Bulla & phaleræ? *Aff.*

Supellex Rustica amplitudine suâ continet omnia Instrumenta Rustica, ceu sunt: Aratrũ, vomis sive vomer, bura sive buris, stiva, rastrũ, rastellum, pecten, irpex sive urpex, marra, pastinum, furca, merga, bidens sive bipalium, tridens, falx, sarculum, ligo, pala, ventilabrum, rutrum, rutellum

ſive hoſtorium, corbis, fiſcella, mulctrale ſive mulctrum, linter, aqualiculus, cylindrus, volvulus, vectis, phalanga ſive palanga, palus, vallus ſive ſudes, ſtipes ſive truncus, pertica, virga, fuſtis ſive baculus, denique vehiculum, currus, plauſtrum, tribulum, carrus ſive carrũ, carruca ſive ciſium, rhedaq;.

Annon appellatione ſupellectilis ruſticæ in genere veniant omnia inſtrumenta ruſtica & ruſticana? *Aff.*

Hocqué ſtante, neque tamen obſtante, nihilo inter ſe minùs differant, aratrum & vomer, buris & ſtiva? *Aff.*

Raſtrum item & pecten, raſtellum atque irpex? *Aff.*

Hic deinde autem & murra, hæc & paſtinum? *Aff.*

Furca porrò & merga, hæc & bidens? *Aff.*

Convenienterqué ſarculum & ligo, hic & pala? *Aff.*

Hæcqué adeò & ventilabrum? *Aff.*

Infurnibulumqué? *Aff.*

Rutrumqué? *Aff.*

Rutellumqué? *Aff.*

Corbis porrò & fiſcella, mulctrum & mulctra? *Aff: Prius: Diſq: Poſt.*

Linter hinc atque aqualiculus, cylindrus & volvulus? *Aff.*

Vectiſqué inde & phalanga ſive palanga? *Aff.*

Con-

Conſequenterqué palus & vallus ſive ſudes? *Diſq.*

Saltem ſtipes & truncus? *Aff.*

Perticaqué & virga? *Aff.*

Similiterné fuſtis & baculus ſive baculum? *Neg.*

Vehiculumqué adeò & currus, hic & plauſtrum ſive ploſtrum? *Aff.*

Hoc & tribulum? *Aff.*

Et in genere, carpentum atque pilentum, hoc & petoritum ſive petorritum? *Aff: Prius: Diſq: Poſt.*

Iſtud porrò & eſſedum? *Neg.*

Carrus quin & carruca? *Aff.*

Hæc & ciſium? *Neg.*

Rhedavé? *Diſq.*

Supellex Piſcatoria, Aucupatoria, & Venatoria, amplitudine ſuâ continet omnia Inſtrumenta Piſcatoria, Aucupatoria, & Venatoria, ceu ſunt: Sagena, retia, caſſes, plagæ, reticulum ſive rete jaculum, verriculum ſive everriculum, tragula, naſſa, fiſcella, ſirpiculus, excipulæ, excipulus, fuſcina, hamus, linea, calamus, virga, ames, nebula ſive tendicula, indago, venabulum, millus, numella, clava.

Annon appellatione ſupellectilis piſcatoriæ, aucupatoriæ, & venatoriæ, veniant omnia inſtrumenta piſcatoria, aucupatoria, & venatoria? *Aff.*

Hocq; ſtante, neq; tamen obſtante, nihilo

inter se minùs differant, sagena, retia, cassæ, plagæ? *Aff.*

Retequé, quod vocant, jaculum & verriculum? *Aff.*

Tragula porrò & nassa, hæc & fiscella? *Aff.*

Fiscella hinc & sirpiculus? *Aff.*

Excipulæ & excipulus? *Aff.*

Tum calamus & virga? *Dist.*

Hæc & ames? *Aff.*

Deniqué tendicula & indago, millus & numella? *Aff.*

Supellex Nautica amplitudine suâ continet omnia Instrumenta Nautica, ad navim usque inclusivè, ceu sunt: Malus, carchesium, antennæ, ceruchi, rudentes, funis, restis, pes, bolis sive linea, remulcus, retinaculum sive ancorale, ancora, tonsilla, chamulci, phalanges, contus, trudes, harpago, remus, haustrum, velum sive linteum, carbasus, siparum, artemon, orthrax, aplustre sive amplustre, thoracium, epidromus sive epidromum, dolon, prora hinc & puppis, in prorâ rostra, in puppi gubernaculum sive clavus, tutela, oculus, pyxidicula nautica, utrinque acroteria sive plutei navales, ad latus pergula sive agea, antlion, transtra, columbaria, scalmus, interscalmium, cinctus, pons, fori sive tabulata, stamina sive statumina, alvus hinc & alveus, sentina, carina, accedendoque à partibus navis ad

spe-

ſpecies, mox ratis, ponto, priſtis ſive piſtris, linterſive lembus, phaſelus, cymba, acatium, celox ſive dromas, ſcapha ſive barca, corbita, denique biremis, triremis, quadriremis. Etc.

Annon appellatione ſupellectilis nauticæ in genere veniant omnia inſtrumenta nautica, ad navim uſque, ejuſqué partes & ſpecies, incluſivè? *Aff.*

Hocqué ſtante, neque tamen obſtante, nihilo inter ſe minùs differant, malus & carcheſium, antennæ & ceruchi, hi & rudentes? *Aff.*

Funis item & reſtis, pes & bolis ſive linea? *Aff.*

Remulcus inde & retinaculum ſive ancorale? *Aff.*

Ancora porrò & tonſilla? *Aff.*

Chamulciqué adeò & phalanges ſive phalangæ? *Aff.*

Contus hinc, trudes, & harpago? *Aff.*

Remus & hauſtrum? *Aff.*

Conſequenterqué velum & linteum? *Neg.*

Saltem velum & carbaſus? *Diſq.*

Siparum & ſiparium? *Aff.*

In ſpecie, artemon atque orthrax, apluſtre ſive ampluſtre & thoracium, epidromus ſive epidromum & dolon? *Aff.*

Prora dehinc & roſtra, puppis & clavus? *Aff.*

Tutela inde atque oculus? *Aff.*

Prora & acroteria proræ, puppis & acroteria puppis? *Aff.*

Antlion & ſentina, tranſtra & columbaria, ſcalmus atque interſcalmium, cinctus & pons? *Aff.*

Convenienterqué fori & tabulata, ſtamina & ſtatumina? *Neg.*

Saltem alvus & alveus, carina & ratis, hæc & ponto, hic & piſtris ſive priſtis, hæc & linter ſive lembus? *Aff.*

Itidemné hic & phaſelus? *Diſq.*

Minimùm phaſelus & cymba, hæc & acatium? *Aff.*

Celox porrò & dromas, ſcapha & barca? *Neg.*

Corbitavé? *Aff*

Supellex Architectonica & Fabrilis amplitudine ſuâ continet omnia Inſtrumenta Architectonica & Fabrilia, ceu ſunt: Ergata, ſucula, cum fune ductario, chelonia, vectis, lingula, hypomochliũ, trochlea, tympanum verſatile, ciconia ſive tolleno, harpago, modiolus, hauſtrum, antlion, fiſtuca, pavicula, fibula, ſubcus ſubſcus ſuſcus, ſecuricla, crodax, armillæ, anſæ ferreæ, amuſſis ſive linea, libella ſive perpendiculum, dioptra, regula, norma, decempeda, radius, circulus, cælum, tornus, terebra, dolabra ſive runcina, ſcalprum, aſcia, ſecuris, bipennis, ſerra, lupus, forceps, malleus,

leus, martulus, tudes, cuneus, clavus, bulla, follis.

Annon appellatione ſupellectilis architectonicæ & fabrilis in genere veniant omnia inſtrumenta architectonica & fabrilia? *Aff.*

Hocqué ſtante, neque tamen obſtante, nihilo inter ſe minùs differant, ergata atque ſucula, hæc & chelonia? *Aff.*

Chelonia porrò & vectis, hic & lingula, hæc & hypomochlium? *Aff.*

Trochlea hinc & tympanum verſatile, tolleno & harpago, modiolus, hauſtrum, antlion? *Aff.*

Fiſtucaqué adeò & pavicula, fibula & ſubſcus? *Diſt: Prius: Aff: Poſt.*

Hæc & ſecuricla? *Diſq.*

Cnodaxqué? *Aff.*

Convenienterqué armillæ atque anſæ ferreæ? *Aff.*

Amuſſis & linea? *Neg.*

Saltem hæc & libella, illa porrò & regula, iſta porrò & norma? *Aff.*

Tum decempeda atque radius, hic & circinus? *Aff:*

Cælum inde & tornus, terebra & dolabra ſive runcina, lima & ſcalprum, hoc & aſcia? *Aff.*

Hæc & ſecuris, ſecuris & bipennis? *Aff.*

Serra ſubindè & lupus? *Aff.*

Forceps, forſex, forpex? *Aff.*

Malle-

Malleus, martulus, tudes? *Aff.*

Denique, cuneus & clavus, bulla & follis? *Aff.*

Supellex Aurifabilis amplitudine ſuâ continet omnia Inſtrumenta Aurifabrilia, ceu ſunt, cùm alia, tum hæc: Lacus, thermaſtris, teſtum ſive ſepium, ſcobina, acrophyſium.

Annon appellatione ſuppellectilis aurifabrilis in genere veniant omnia inſtrumenta aurifabrilia? *Aff.*

Hocqué ſtante, neque tamen obſtante, nihilo inter ſe minùs differant, lacus & thermaſtris, lima & ſcobina, acrophyſium & follis? *Aff.*

Supellex Textoria amplitudine ſuâ continet omnia Inſtrumenta Textoria, ceu ſunt: Pecten, liciatorium ſive jugum, ſcapus, tibicines, inſilia, harpedone, radius, pecten.

Annon appellatione ſupellectilis textoriæ in genere veniant omnia inſtrumenta textoria? *Aff.*

Hocqué ſtante, neque tamen obſtante, nihilo inter ſe minùs differant pecten & pecten? *Aff.*

Liciatorium & ſcapus? *Diſq.*

Saltem tibicines & inſilia? *Aff.*

Harpedone & radius? *Aff.*

Supellex Sutoria & Sartoria amplitudine ſuâ continet omnia Inſtrumenta Sutoria

ria & Sartoria, ceu sunt: Mustricula sive modulas, similium sive scalprum sutorium, subula, cheleuma, filum, acus, aciarium, digitale, forfex.

Annon appellatione supellectilis sutoriæ & sartoriæ in genere veniant omnia instrumenta sutoria & sartoria? *Aff.*

Hocqué stante, neque tamen obstante, nihilo inter se minùs differant, mustricula sive modulus & forma, subula & acus, cheleuma & filum? *Aff.*

Supellex Pistoria amplitudine suâ continet omnia Instrumēta Pistoria, ceu sunt: Furnus, infurnibulum, rutabulum, rutellum, ventilabrum, cribrum pollinarium, arca pollinaria, hostorium, mactra.

Annon appellatione supellectilis pistoriæ in genere veniant omnia instrumenta pistoria, ad furnum usque inclusivè? *Aff.*

Hocqué stante, neque tamen obstante, nihilo inter se minùs differant, infurnibulum, rutabulum, rutellum, ventilabrum? *Aff.*

Tum cribrum pollinarium & arca pollinaria? *Aff.*

Itemné hostorium & rutellum? *Disq.*

Saltem hostorium & radius? *Dist.*

Supellex Pictoria amplitudine suâ continet omnia Instrumenta Pictoria, ceu sunt: Colores, conchæ, penicillus, pluteus sive pluteum.

Annon

Annon appellatione ſupellectilis pictoriæ in genere veniant omnia inſtrumenta pictoria, ad colores uſque incluſivé? *Aff.*

Hocqué ſtante, neque tamen obſtante, nihilo inter ſe minùs differant, peniculi, penicilli, penicilla? *Neg.*

Saltem pluteus & pluteum? *Neg.*

Supellex Libraria amplitudine ſuâ continet omnia Inſtrumenta Libraria, ceu ſunt: Pluteus, graphium, ſcalpellum ſive cultellus ſcriptorius, calamus ſcriptorius, theca calamaria, atramentum ſcriptorium, atramentarium, papyrus, charta, philyra, ſittyba, membrana, palimpſeſtus, cera, ad librum, codicillos, tabulas, adverſaria, & pugillares uſque incluſivè.

Annon appellatione ſupellectilis librariæ in genere veniant omnia inſtrumenta libraria? *Aff.*

Hocqué ſtante, neque tamen obſtante, nihilo inter ſe minùs differant, papyrus, charta, philyra, ſittyba, membrana, palimpſeſtus? *Aff.*

Codicilli item & pugillares, tabulæ atque adverſaria? *Aff.*

Supellex Chirurgica amplitudine ſuâ continet omnia Inſtrumenta Chirurgica, ceu ſunt: Involucre ſive linteum humerale, concha ſive pelvis tonſoria, novacula

ſive

ſive culter tonſorius, aut raſoriùs potiùs, xyrotheca ſive capſula novacularia, forpicula, volſella ſive vulſella, odontagra ſive dentarpaga, (dentiducum Latinè appelles licet,) pericharacter, dentiſcalpium, auriſcalpium, phlebotomum ſive ſcalprum chirurgicum, excipulum, cucurbitula, clyſter, catheter, embryorectes ſive ungula, modiolus, ſerperaſtra, cauterium, ſcolopomachærium, pyulcus, ſpathomela ſive ſpecillum, ſpathula ſive ligula, fibula, faſciola, plagella, mitella, pittacium, ſplenium, hapſus, turunda, lemniſcus, peniculus, cuneolus, & convenienter linamentum ſaniarium, lucernarium, carptum ſive volſum, raſile, tortile, denique pyxis, tragematotheca, narthecium, myrothecium.

Annon appellatione ſupellectilis chirurgicæ in genere veniant omnia inſtrumenta chirurgica? *Aff.*

Hocqué ſtante, neque tamen obſtante, nihilo inter ſe minùs differant involucre & linteum humerale, concha & pelvis tonſoria? *Diſt.*

Culterqué tonſorius atque raſorius? *Aff.*

Forpicula hinc & volſella ſive vulſella, hæc & odontagra ſive dentarpaga? *Aff.*

Hæc & pericharacter? *Aff.*

Dentiſcalpium porrò atque auriſcalpium? *Aff.*

Et

Et consequenter, scalprum umbilicarium atque chirurgicum, excipulum atque cucurbitula? *Aff.*

Clyster & catheter? *Aff.*

Tum embryorectes sive ungula & modiolus? *Aff.*

Hic & cauterium, hoc & scolopomachærium? *Aff.*

Scolopomachærium hinc & pyulcus, spathomela ac spathula? *Aff.*

Ligulaqué adeò & fibula? *Dist.*

Convenienterqué fasciola, plagella, mitella? *Aff.*

Pittacium & splenium? *Aff.*

Præterqué turundam, hapsus, lemniscus, peniculus, cuneolus? *Aff.*

In specie linamentum saniarium, lucernarium, carptum, rasile, tortile? *Aff.*

Denique pyxis & tragematotheca, narthecium & myrothecium? *Aff.*

Supellex Polemica sive Militaris amplitudine suâ continet omnia Instrumenta Militaria, ceu sunt: In genere, arma, in specie, galea, cassis, conus, crista, buccula, thorax æneus sive ferreus, lorica, ocreæ ferreæ sive tibialia ferrea, scutum, clypeus sive clypeum, parma, pelta, cetra, umbo, gladius, ensis, machæra, xiphomachæra sive rhomphæa, harpe, acinaces, parazonium, pugio, sica, dolo, culter, vagina, telum hinc sive missile, & convenienter,

spicu-

ſpiculum, haſta ſive lancea, haſtile, geſum, pilum, ſariſſa, framea, verutum, tragula ſive trahula, jaculum, ſagitta, pharetra, corytus, arcus, funda, baliſta, catapulta, ſclopus ſive ſtlopus, bombarda, tormentum æneum, glans, igniarium ſive fomes igniarius, pulvis pyrius, pyroboli, malleoli, ſiphones, hamæ ſive amæ, ſecuris, bipennis, ceſtra, clava, proque cedendo, helepolis, teſtudo, vineæ, plutei, cuniculi, aries, onager ſive ſcorpio, ericius, murices ſive triboli, conque cludendo, caſtra, ſtativa, æſtiva, hiberna, ſtatio, prætenturæ, tentoria ſive papiliones, tabernacula, pelles, caſæ, ſigna militaria ſive vexilla, teſſera, ad milites atq; exercitum uſque incluſivè.

Annon appellatione ſupellectilis militaris in genere veniant omnia inſtrumenta militaria, ad milites atque exercitum uſque incluſivè? *Aff.*

Hocqué ſtante, neque tamen obſtante, nihilo inter ſe minùs differant, arma, armamenta, armatura? *Aff.*

Tum galea & caſſis, thorax æneus & lorica? *Aff.*

Scutum item & clypeus, parma, pelta, cetra? *Aff.*

Umbové? *Aff.*

Gladius hinc & enſis, machæra & rhomphæa, harpe & acinaces? *Aff.*

Conſequenterqué, parazonium, pugio, ſica,

ſica, dolo, culter? *Aff.*

Similiterné telum & miſſile, haſta atque lancea? *Neg.*

Saltem haſta & haſtile, geſum, pilum, ſariſſa, framea? *Aff.*

Verutumqué? *Aff.*

Spiculumqué? *Aff.*

Jaculumqué? *Aff.*

Hoc & ſagitta? *Aff.*

Pharetraqué adeò & corytus, arcus, funda, baliſta ſive balliſta, atque catapulta? *Aff.*

Sclopus hinc ſive ſclopetum, bombarda, tormentum? *Aff.*

Pyroboli inde autem malleoliqué, ſiphones & hamæ, ſecuris & bipennis, ceſtra & clava? *Aff.*

Proqué cedendo, helepolis & teſtudo? *Aff.*

Vineæ, plutei, cuniculi? *Aff.*

Tum aries & onager ſive ſcorpio, ericicius & murices? *Aff.*

Conqué cludendo, caſtra, ſtativa, æſtiva, hiberna? *Aff.*

Caſtra item ſtativa & ſtatio, hæc & prætentura? *Aff.*

Tentoria hinc & papiliones? *Neg.*

Saltem tentoria & tabernacula, utraque & pelles? *Aff.*

Hæ & caſæ? *Aff.*

Signa denique & vexilla? *Neg.*

CA-

CAPUT X.

Media sive Modi Domestici Acquirendi prænominatas Possessiones, quos tradit ac tractat ἡ Κτητικὴ, Acquisitoria. Divisio ejus in Ordinariam atque Extraordinariam: Ordinariæ in Naturalem, Artificialem, & Mixtam. Τῆς Κτητικῆς Naturalis subdivisio in Simplicem & Compositam. Vtriusque Species: Simplicis tres, Pastoritia, Venatoria, Agriculturæ: Compositæ quatuor, Pastoritia conjuncta cum Venatoriâ, vel Agriculturâ, hæc cum Venatoriâ, demum Pastoritia cum Venatoriâ atque Agriculturâ. Dubia, seu Quæstiones Controversæ, incidenter & pro re natâ.

TAntum *de Generibus Possessionum Domesticarum. Excipiunt Media seu Modi Acquirendi has ipsas: Quæ pars Græcis* Κλητικὴ, *Latinis Acquisitoria dicitur.*

Ἡ Κτητικὴ, *Acquisitoria, est Constitutionis*

tionis Domeſticæ Realis ea pars, quæ tradit Modum ritè Acquirendi τὰ Κτήματα, hoc eſt, Poſſeſſiones Domeſticas.

An ἡ κτητικὴ differat ἀπὸ τῆς οἰκονομικῆς? *Aff.*

Et ſi, an ut pars, an verò, ut miniſtra, miniſtrans huic inſtrumenta, quomodo pectinaria eſt miniſtra textoriæ, materiamvé, quomodo æraria eſt miniſtra ſtatuariæ? *Aff: Prius: Neg: Poſt.*

Annon acquiſitio afferat atque inferat dominii tranſlationem? *Aff.*

Proprietatemqué? *Aff.*

Conſequenterqué liceat habere bona propria? *Aff.*

Etiam homini pio? *Aff.*

Omniané poſſint fieri propria? *Neg.*

Atque adeò, annon jure naturali omnia primitùs fuerint communia, jurequé gentium demùm ſit introducta rerum diviſio, cùm creſcentibus hominum cupiditatibus in commune ampliùs vivi non poſſet? *Aff.*

Rationabiliterné? *Aff.*

Atque adeò, an poſſibile fuerit, abſolutam & ſimplicem omnium rerum ſervare communionem? *Neg.*

Ideoqué rectè ea, & à Philoſophis, & à Jureconſultis ſit improbata? *Aff.*

Theologiſqué? *Aff.*

Ut

Ut quæ pugnet, præter liberalitatem,& juſtitiam commutativam, cum jure divino, nominatim octavo & decimo præceptis? *Aff.*

An ergò ἡ ἀκοινωνησία ἢ ἰδιοκτησία præſtet τῇ κοινοκτησίᾳ? *Aff.*

Sicutqué natura mater bona fecit communia, ita uſus pater meritò ea diviſerit? *Aff.*

An vel illi deroget communio bonorum animi, quodqué diviſio ferè parit lites, vel huic patrocinetur ſtatus primævus atque indiſtinctus? *Neg.*

Dictumvé Chriſti, quo jubemur renunciare omnibus poſſeſſionibus? *Neg.*

Aut exemplũ Eccleſiæ Apoſtolicæ? *Neg.*

Communiové ſanctorum? *Neg.*

Amicorumqué? *Neg.*

Quodqué bonum, quò communius, hoc melius? *Neg.*

Communioqué adeò bonorum magis, neſcio quomodo, unam videatur facere civitatem? *Neg.*

Saltem æquatio atque exæquatio bonorum? *Neg.*

An etiam huic contraveniat proprietas poſſeſſionum? *Aff.*

Ideoqué non non præferenda, & illi, & iſti? *Aff.*

Annon, ut ſic, acquirere poſſit homo, donec vivit? *Aff.*

Etiam

Etiamné nanciſci atque adipiſci ? *Aff.*

Convenienterqué quoque etiam acquirere queat poſſit is, qui vult, aut nititur acquirere ? *Diſq.*

An ſic acquirens fiat locupletior ? *Neg.*

Modus ille Acquirendi, vel Ordinarius eſt, vel Extraordinarius.

Modus Acquirendi Ordinarius eſt, qui fit ordinariè, id eſt, per recepta ac legitima media.

Eſtqué vel Naturalis, vel Artificialis, vel Mixtus.

Annon modus acquirendi naturalis anteſtet artificiali ? *Aff.*

Uterque mixto ? *Diſq.*

Modus Acquirendi Ordinarius Naturalis eſt, qui proximè fit per media naturalia.

Eſtqué vel Simplex, vel Compoſitus.

Annon tot dentur atque extent vivendi modi naturales, quot modis alimentum poteſt quæri ſine commerciis ? *Aff.*

Modus Acquirendi Ordinarius Naturalis Simplex eſt, qui fit per media ſimplicia, cumque certo uno genere vitæ rem familiarem paramus.

Eſtque triplex numero: ἡ Νομαδικὴ, *Paſtoritia ſive Pecuaria,* ἡ Ἀγρευτικὴ ἢ Θηρευτικὴ, *Venatoria,* & ἡ Γεωργικὴ, *Agricul-*

Agricultura. Τῷ Ληϛεικῷ, *Prædatoriam, tanquam minùs probatum, minuſque probandum acquirendi modum, ex hoc albo diſpungimus ſcilicet.*

An præter tres nominatiſſimos naturales acquirendi modos detur quartus, captura videlicet hominum? *Neg.*

Et, ſi non, an ergò hæc ratio acquirendi victum ex venatione hominum, ſit violenta, ideoqué contra naturam? *Aff.*

Præſertim, ſi homines, qui capiuntur, non ſint hoſtes? *Aff.*

Agreſteſvé? *Aff.*

Aut agreſtes quidem, verùm ſibi, non aliis? *Aff.*

Atque adeò, an beſtiæ hi tales, ita ut, quemadmodum non eſt contra naturam, capere beſtias, ita non ſit contra eandem, capere barbaros? *Neg.*

Minimùm tunc, ſi naturâ facti ſint ad parendum, neque tamen velint parere? *Neg.*

Annon ſaltem magiſtratui Politico liceat bellum gerere adverſus hos, idqué eo fine, ut domentur atque ſubigantur? *Neg.*

Et, ſi non, ideò bellum non ſit legitimum medium adducendi homines ad cultum atque humanitatem? *Aff.*

Conſequenterqué tale bellum pugnet

cum humanitate? *Aff.*

Christianitatequé? *Aff.*

Quin immò cum ipsâ ratione, tam naturali, quàm civili, quarum illa non permittit, nocere ei, à quo non sis lacessitus, hæc non permittit, jus dicere extra territorium, in quo fundata est jurisdictio? *Aff.*

Atque adeò, an fides Christiana tollat jus naturale & humanum, ex quo nata atque profecta rerum dominia sunt? *Neg.*

Barbariesvé rerum dominium, aut jus, ex quo illud descendit? *Neg.*

Ideoqué meritò prædones hi tales audiant, & malæ fidei possessores, ut qui interrogati, quare possideant, nullam possessionis possint dicere causam justam? *Aff.*

Ac ne probabilem quidem? *Aff.*

Ἡ Νομαδικὴ, *Pastoritia sive Pecuaria, est modus acquirendi ordinarius naturalis simplex, quo rem familiarem paramus ex pastura animalium mansuetorum.*

An pecuaria sit ordinarius & legitimus modus acquirendi? *Aff.*

Omnisné indifferenter? *Neg.*

An à naturâ? *Aff.*

Ideoqué perantiqua? *Aff.*

Annon nominatim, atque in specie, antiquior mercaturâ? *Aff.*

Itemné agriculturâ? *Neg.*

Saltem quasi viva quædam agricultura? *Aff.*

ra?

Verùm pigrior? *Aff.*

An consentanea sacris litteris? *Aff.*

Et frequentata piis? *Aff.*

Etiam regibus? *Aff.*

Ἡ Ἀγριλπικὴ ἢ Θηρευτικὴ, *Venatoria, est modus acquirendi ordinarius naturalis simplex, quo rem familiarem paramus ex capturâ animalium ferorum. Hæc, si terrestrium fuerit, appellatur* Θηριωτικὴ, *Venatio: Si volatilium,* Ὀρνιθοθήρα, *Aucupium: Si aquatilium,* Ἁλιλπικὴ, *Piscatio.*

An venatoria sit ordinarius & legitimus modus acquirendi? *Aff.*

An rectè secetur in venationem, aucupium, & piscationem, tanquam tres species subordinatas? *Aff.*

Annon præter has detur quarta, id est, præter terrestrem venationis modum, aëreum, & maritimum, etiam igneus? *Neg.*

An juris gentium? *Aff.*

Ideoqué jus venandi, aucupandi, & piscandi, jure gentium cuilibet competat vel privato? *Aff.*

Idqué ob affinitatem, quæ est inter hæc tria studia? *Aff.*

An ergò heic ab uno genere venationis rectè arguatur inferatur ad alterum, saltem tunc, cum libera adhuc est omnibus venandi facultas? *Aff.*

Annon interim rationabiliter jus hoc sit coangustatum? *Aff.*

Ademtumqué privatis? *Aff.*

Fortean ideò, ne officia atque opificia desererentur, & prætextu venationis exercerentur latrocinia? *Aff.*

Nevé interiret fortassisan species? *Disq.*

Quodqué videretur esse studium Centauricum, id est, non periculosum modò, sed cruenum insuper & crudele? *Aff.*

Servilequé? *Aff*

Ideoqué Silvanis Satyris & Faunis committendum? *Aff.*

Si ademtum, in totumné? *Neg.*

Annon saltem possit adimi in totum? *Dist.*

Atque adeò, annon ad minimum persecutio noxiarum bestiarum privatis sit relinquenda? *Aff.*

Præsertim in propriis fundis? *Aff.*

Et libero aëre, fluminequé? *Aff.*

Immò etiam non noxiarum? *Aff.*

Dummodò alius in quasi-possessione illius juris non sit? *Aff.*

Neque quid decedat publico? *Aff.*

Contrà si fiat, annon pœnâ possit affici, qui contra edictum venationibus dat operam? *Aff.*

Capitaliné? *Neg.*

Minimùm tunc, si in loco illicito peiturus feram trajiciat hominem? *Neg.*

Univer-

Universè, annon, si minùs ipsum jus venandi, saltem prohibitio venandi, pertineat ad magistratum? *Aff.*

Et si, jurené communi, an verò consuetudine, ac præscriptione immemorali? *Aff: Post.*

Omnimodané? *Neg.*

Ideoqué, ne ipse quidem supremus princeps venationem passim possit prohibere absque justâ causâ? *Aff.*

Siqué prohibeat, injuriarum jure communi teneatur? *Aff.*

Gentiumvé? *Aff.*

Ut ad singulas species me dimittam: An, jus venandi restrictum sive civile habens, id cedere possit alteri? *Neg.*

Quiqué venandi jure gaudet, is insimul gaudeat quoque etiam jure glandis legendæ, pro usu esuvé ferarum? *Aff.*

Vel in alienâ silvâ? *Aff.*

Annon hanc possit sepimento cingere, vel invito domino? *Aff.*

Lignaqué ad hunc usum cædere? *Aff.*

Convenienterqué, venandi gratiâ ingredi alienum fundum, insalutato domino fundi? *Aff.*

An suum faciat, quod in tali fundo capit? *Aff.*

Annon interim cavere debeat, ne domino fundi immodicè noceat, segetibusqué ac messibus damnum inferat? *Aff.*

Quòd ſi id faciat, annon teneatur ad refuſionem damni? *Aff.*

Dominuſqué adeò fundi, vel ſilvæ, ſic venantem, poſſit fundo ſilvâvé prohibere? *Aff.*

Itemné ita jure ac dominio ſuo uti, ut jus venandi habenti, incidendis arboribus, aggeribuſqué vel foſſis ducendis, officiat? *Neg.*

Annon interim ligna ex ſilvâ ſuâ poſſit cædere, ad uſum atque refectionem ædificiorum, aliiſqué hæc vendere? *Diſt.*

Atque adeò, annon, qui ſepimento circumſeptas feras aufert, committat furtum? *Diſt.*

Si vel maximè dominus fundi ſilvæqué id faxit? *Diſt.*

Anquiro ulteriùs: Ferané animalia, ſemel occupata, ſemper ſint occupantis? *Aff,*

Etiamné tunc, ſi evaſerint cuſtodiam, ſequé in naturalem libertatem ac laxitatem receperint? *Neg.*

Aut ab alio occupata ſint, cùm ſic anfugerint? *Diſt.*

Vulneret alter feram beſtiam, alter verò ſic vulneratam capiat, vulnerantiſné ea, an capientis? *Aff: Poſt.*

Itemné, ſi alter eam adhuc perſequatur- *Neg.*

Afficiat quis in ſuo fundo vel nemore morti-

mortiferâ plagâ feram, verùm ea in aliam ſilvam fundumvé, antequam cadat, aufugiat, licetné eam perſequi atque apprehendere vel in fundo vicini? *Aff.*

Et ſi, adhibitoné clamore, aut buccinæ ſono, ſive cornu venatorio? *Neg.*

Retia tendat quis in alieno, fera illaqueata ſit, eximentiſné ea, an tendentis? *Aff.*

Annòn ſaltem tunc tendentis, ſi ita hæſerit, ut diutiùs luctando ſe nequeat expedire? *Diſt.*

Lupus invaſerit ovem, vulpes gallinam, accipiter columbam, alius obviam ventans eam prædam ex faucibus eripiat, quæſtionis eſt, an hic ſibi acquirat, an verò priori domino eam teneatur reſtituere? *Aff. Poſt.*

Stante ſtatuto, quo capienti vulpem vel lupum ponitur præmium, ſi quo caſu quis capiat vulpem vel lupam prægnantem, quæſtionis eſt, debeaturné huic unum præmium, an plura? *Aff: Prius.*

Capiat alius aves feras, ſed arte cicuratas, quæqué animum revertendi necdum depoſuerunt, quæritur, an ſuas faciat, qui capit? *Neg.*

An ergò furti nomine teneatur hic talis? *Aff.*

Ideoqué velit nolit redhibere eas cogatur domino avium? *Aff.*

Atque adeo, terræné magis elemento censeri debeant aves volucres, an verò aëris? *Aff: Post.*

Et si, annon ideò aëris potiùs, in quo spirant, conditione debeant æstimari, qui omnibus communis est, quàm terræ? *Aff.*

Proptereaqué rectè solo non censeantur cohærere, cùm nec feræ bestiæ, quæ tamen solo sustinentur, huic ascribantur? *Aff.*

Annon fructus aëris, sicut pisces fluminis? *Aff.*

Parsvé? *Aff.*

Ideoqué, quemadmodum cuilibet licet aucupari in libero aëre, ita liceat cuivis piscari in libero aquæ elemento, saltem de jure gentium? *Aff.*

Annon interim, jure hoc stante, neque tamen obstante, jus aucupii atque piscationis meritò sit restrictum ad certa loca & dies? *Aff.*

Certos quin etiam homines? *Aff.*

Quin immò aves & pisces? *Aff.*

Atque adeò, an perindè sit, utrùm quis calamo, reti, hamo, aucupetur piscetur-ué? *Neg.*

Quovis indifferenter instrumento, pro libitu, sine ullâ recognitione atque recompensâ? *Neg.*

Etiam in fundo ac flumine privato? *Neg.*

Non

Non obſervato diſcrimine inter aves & aves, piſces & piſces? *Neg.*

Ἡ Γεωργικὴ, *Agricultura, eſt modus acquirēdi ordinarius naturalis ſimplex, quo rem familiarē paramus ex terrâ, & iis, quæ è terrâ naſcuntur, Frugibus, inquam, & Fructibus. Unde in Agrariam ſeu Frumentariā, & Fructuariam ſive Hortenſem, tribuitur.*

Annon agricultura & ipſa ſit ordinarius atque legitimus modus acquirendi? *Aff.*

Inter omnia media acquirendi maximè omniū naturalis, neceſſaria, utilis? *Aff.*

Antiquiſſima inſuper, ſanctiſſima, juſtiſſima, ſtrenuiſſima? *Aff.*

Ideoqué longè omnium honoratiſſima? *Aff.*

Diviniſſimaq́;? *Aff.*

An infinita? *Neg.*

Infelixvé? *Neg.*

Mendaxvé? *Neg.*

Inq́; oblectamento potiùs, quàm fructu, numeranda? *Neg.*

Militiæ, ut poſtpoſita, ita poſtponenda? *Neg.*

Annon ejus ſtudium etiam conveniat viris principibus, ac perſonis illuſtribus? *Diſt.*

Modus Acquirendi Ordinarius Naturalis Compoſitus eſt, qui fit per media compoſita, cumquè non certo uno genere vitæ,

ſed diverſis, rem familiarem nobis paramus.

Eſtque quadruplex numero. Vel enim in eo componitur Paſtoritia ſeu Pecuaria cum Venatoriâ, atque ita res familiaris paratur comparatur, partim ex paſturâ animalium manſuetorum, partim ex capturâ animalium ferorum: Vel Paſtoritia ſeu Pecuaria cum Agricultur â, atque ita res familiaris paratur comparatur, partim ex paſturâ animalium manſuetorum, partim ex frugibus ac fructibus terræ: Vel hæc ipſa Agricultura cum Venatoriâ, atque ita res familiaris paratur comparatur, partim ex frugibus ac fructibns terræ, partim ex capturâ ferorum animalium: Vel Paſtoritia ſeu Pecuaria cum Venatoriá & Agricultur â, atque ita res familiaris paratur comparatur, partim ex paſturâ animalium manſuetorum, partim ex capturâ animalium ferorum, partim ex frugibus ac fructibus terræ conjunctim.

An hi modi poſſint inter ſe miſceri? *Neg.*

Saltem conjungi? *Aff.*

An in his ſemper ſervetur temperamentum ſive æquilibrium? *Neg.*

Prædominumvé? *Neg.*

Minimùm in ipsâ intemperie aliqua temperies? *Aff.*

CAPUT XI.

Ἡ Κτητικὴ Artificialis. Ejus definitio, & divisio, in Μεταβλητικὴν, Commutatoriam, & Χρηματιστικὴν, Pecuniariam latè sumtam. Hujus Species bis binæ: Commerciaria videlicet seu Mercatura, Mercenaria seu Operaria, Cauponia seu Tabernaria, denique Numularia præcisè sic dicta. Dubia, seu Quæstiones Controversæ, incidenter & pro re natâ.

Modus Acquirendi Ordinarius Artificialis est, qui proximè fit per media artificialia.

Estque vel Minùs Artificialis, vel Magis.

An modus acquirendi artificialis sit contra naturam? *Neg.*

Saltem inferior naturali, seu infra naturam? *Aff.*

Et quodammodò præternaturalis, sive præter naturam? *Aff.*

Modus Acquirendi Ordinarius Minùs Artificialis est ἡ Ἀλλακτικὴ ἢ Μεταβλητικὴ, *Permutatoria seu Commutatoria,*

modus acquirendi, quo rem familiarem paramus per Commutationem Rerum cum Rebus, Poßeßionum cum Poßeßionibus.

An ἡ μεταβλητικὴ sit ordinarius & legitimus modus acquirendi? *Aff.*

Artifné ea, an naturæ? *Diſt.*

An ergò natura quid generet propter permutationem, ac non potiùs propter nutritionem, atq; ſuſtẽtationem? *Aff. Poſt.*

Hocqué ſtante, neq; tamen obſtante, non ſit cõtra naturã, res naturales, artis intervẽtu, accommodare ad permutationem? *Aff.*

Atque adeò, annon rerum naturalium principalis ac proprius finis ſit quidem nutritio, ſicut calcei calceatio, ſecundarius interim ac minùs proprius finis quoque permutatio, propter nutritionem tamen, ſicut calcei finis in ſecundis permutatio cum aliâ re permutabili? *Aff.*

Et, ut ſic, non abs re permutatio dicatur eſſe juris naturæ? *Aff.*

Gentiumqué? *Aff.*

Orta primulùm ab indigentiâ? *Aff.*

Eaq; propter heroicis temporibus fuerit tam neceſſaria, quàm quæ maximè? *Aff.*

Tam uſitata, quàm quæ maximè? *Aff.*

An pars Oeconomiæ? *Diſt.*

Saltem Oeconomicæ? *Aff.*

Omneſné res naturales ſint commutatabiles? *Neg.*

Homogeneævé? *Neg.*

Æqualeſvé? *Neg.* Sal-

Saltem comparabiles inter se, si minùs ἀλήθεια, minimùm usu, qui in permutationibus potissimùm spectari solet? *Dist.*

Atque adeò, annon ab usu potiùs res permutabiles sint æstimandæ, quàm à naturæ prærogativâ? *Aff.*

Denique, an quis commutare possit rem, cujus dominus non est? *Neg.*

Ideoqué commutatio, præter actum commutandi, prærequirat fundamentum? *Aff*

An differat à conventione atque contractu? *Aff.*

Emtionevé? *Aff.*

Annon interim ejus nomen sæpè sit generale, omnibus conventionibus atque contractibus, in quibus utrinque aliquid intervenit, commune? *Aff.*

Modus Acquirendi Ordinarius Magis Artificialis est ἡ Χρηματιστικὴ, *Pecuniaria, modus acquirendi, quo rem familiarem paramus per Commutationem, vel Rei seu Possessionis, vel Operæ, vel Utriusque, vel Pecuniæ pro Pecuniâ.*

An ἡ χρηματιστικὴ sit ordinarius & legitimus modus acquirendi? *Aff.*

Ideoqué ejus cognitio futuro Oeconomo sit, tam utilis, quàm necessaria, tam necessaria, quàm utilis? *Aff.*

An pars Oeconomiæ? *Dist.*

Saltem

Saltem Oeconomicæ? *Aff.*

Atque adeò, annon pecunia ſit medium permutationis, & qúidem cõſtantius, quàm vel indigentia? *Aff.*

Naturalené, an artificiale? *Aff: Poſt.*

An in ejus copiâ conſiſtant veræ divitiæ, ac non potiùs in copiâ quorumlibet utilium atque utibilium? *Aff: Poſt.*

Proptereaqué Plutus non immeritò Græcis hominibus ſit dictus quaſi πλῆθος, id eſt, multitudo, cùm aliarum rerum, tum pecuniæ? *Aff.*

An hanc appetere liceat in infinitum? *Neg.*

Atque ut finem? *Neg.*

Minimùm ut inſtrumentum vivendi? *Aff.*

Immò benè vivendi? *Diſt.*

Atque adeò, an pecunia, quæ in infinitum augetur, ſit poſſeſſio domeſtica, inſtrumentumqué œconomicum? *Neg.*

Et, ſi non, an ergò eatenus tantùm ſit ac cluat inſtrumentum patrisfamiliâs & familiæ, quatenus in eâ acquirendâ ſervatur modus? *Aff.*

Ideoqué eam conveniat eſſe, ut terminabilem, ita terminatam? *Aff.*

An ille terminus ſit idem atque æqualis omnibus abſolutè, an verò idem & conſimilis omnibus proportione geometricâ? *Aff: Poſt.*

Isqué terminus consequenter temperamentum accipiat, non tantùm ex materiâ, sed etiam ex fine? *Aff.*

Animoque sapientis, qui pecuniam appetit propter usum? *Aff.*

An ergò usus sit finis divitiarum? *Aff.*

Ideoqué veræ divitiæ consistant ἐν τῇ χρήσει potiùs, quàm ἐν τῇ κτήσει? *Aff.*

Cùm sint bonum perutile, præsertim paratæ pro bono honesto? *Aff.*

Annon ut sic moraliter bonæ? *Aff.*

Cæteroquin indifferentes, id est, neque bonæ, neque malæ moraliter? *Aff.*

Animinè, an corporis, an verò compositi, hoc est, hominis? *Aff: Postr.*

An eædem cum opibus? *Neg.*

Et, si non, annon divitiæ ad usum magis, opes ad auxilium, referantur, illæ ad necessaria, hæ ad adventitia atque accessoria? *Aff.*

Magnificentiam, inquam, ornatum, splendorem, dignitatem? *Aff.*

Commutatio Rei seu Possessionis pro Pecuniâ dicitur Ἐμπορικὴ, *Commerciaria seu Mercatura, modus acquirendi ordinarius artificialis, quo rem familiarem paramus, permutatione omnis generis mercium pro pecuniâ.*

Hæc, si dictas merces navibus importet, aut exportet, appellatur Ναυκληρία, *Nautica*

tica, Navicularia, Naviculatoria, item Maritima: *Si plaustris,* Φορτηγία, *Oneraria sive Subvectoria, item Terrestris*: *Si domi has distrahat*, Παράσασις, *Stataria seu Institoria,* Αὐτοπωλικὴ, *cum suas,* Ἑτεροπωλικὴ, *cum alienas distrahit.*

An ἡ ἐμπορεικὴ sit ordinarius & legitimus modus acquirendi? *Aff.*

An juris naturæ & gentium? *Dist.*

Saltem inchoativè, si non perfectivè? *Aff.*

An rationi consentanea? *Aff.*

Justitiæqué, quam vocant, commutativæ? *Aff.*

Omnisné? *Neg.*

Nominatim illa, per quam pecunia non ad usum quæritur, verùm ad augmentum? *Neg.*

Atque adeò, annon contra naturam, augmento pecuniæ studere in infinitum? *Aff.*

Ideoqué mercatoribus lucrum debeat esse propositum, non tanquam finis, sed tanquam stipendium laboris & periculorum? *Aff.*

An necessaria ad familiæ sustentationem? *Dist.*

Ejusqué esse? *Neg.*

Saltem melius esse? *Aff.*

Præsertim ἐν λεπτογαίῳ, seu solo sterili? *Aff.*

An

An ergò idem ejus uſus, qui pecuniæ, putà, ſupplementum naturæ, ac naturalis defectus? *Aff.*

Annon interim ſit modus acquirendi admodum imperfectus, atque improprius, ſumta comparativé ad modos purè naturales? *Aff.*

Etiamné collata ad artificiales? *Neg.*

An profeſſio ſordida? *Diſt.*

Si minùs mercatura ſummaria, ſaltem ſummularia? *Aff.*

An vel illam vel iſtam liceat exercere magiſtratui? *Diſt.*

Nobilivé? *Diſt.*

Eccleſiaſticiſvé? *Neg.*

Atque adeò, utrum ſit conſultius, magiſqué è re publicâ pariter & privatâ, ut neceſſaria eſculenta vendant ii ſolùm, quorum operâ ejuſmodi fructus fuerunt producti, an verò propolæ? *Aff: Prius: aut Diſq: potiùs.*

An eadem heic ratio teneat in potulentis, quæ in eſculentis? *Neg.*

Uter hîc ſtatuere debeat precium, emtorné, an venditor? *Aff: Prius: Neg: Poſt.*

Eaqué propter contractus meritò cenſeatur cœpiſſe ab emtore, velut indigente re emtâ? *Aff.*

Tanquam contractus emtionis & venditionis, non contrà? *Aff.*

Atque

Atque adeò, an rectè Jure Civili contrahentium deceptio toleretur uſque ad dimidium juſti precii? *Diſq.*

Annon interim liceat rem pluris vendere, minoriſvé emere, quàm precium ejus ferat? *Aff.*

Viliùs, inquam, emere, quò cariùs vendas? *Aff.*

Præſertim tunc, ſi res venalis in utilitatem, non vendentis, ſed ementis, cedat, aut res commutabilis artificio aliquo, putà, vel operâ tranſportationis ſeu tranſvectionis, vel diuturnâ conſervatione, reddita ſit melior, ſaltem non facta deterior? *Aff.*

Siqué indigentia fuerit major? *Aff.*

Plenariuſvé venditoris atque emtoris conſenſus intervenerit? *Aff.*

Aut aliquid temporis inter venditionem & emtionem interceſſerit? *Aff.*

Reſqué illa non ſit à naturâ proximè producta in uſum alimenti? *Aff.*

Hiſce conditionibus poſitis ac præſuppoſitis, annon juſtè poſſit mercator diteſcere? *Aff.*

Omniſné ocyùs mercator, qui aliquid emit, vel vendit? *Neg.*

Saltem is, qui res, quæ in emtionem deduci, uſibuſqué hominum ac dominio ſubjici, alienariqué & acquiri queunt, hocqué fine paratæ ſunt, ut veneant, lucri faciendi,

nego-

negociandique causâ, eo animo comparat, ut rursus distrahat? *Aff.*

Importat has, ut exportet alias? *Aff.*

Quive adeò res emit, quas in eâdem specie vendat cariùs? *Aff.*

Mercibusqué negociatur? *Aff.*

Atque adeò, an possit esse mercatus, ubi nulla est merx? *Neg.*

Mercatura, inquam, sine merce? *Neg.*

Annon interim inter se & abs se invicem benè multum differāt ac distent hæc duo, ita ut merx sit species ipsa, quæ emitur venditurvé, mercatura verò ipsum vendendi emendiqué invicem jus, ipse promiscuus mercandi invicem usus & actus? *Aff.*

Convenienterqué vocabulum generis, ad omnes contractus pertinens, in quibus vertitur merx? *Aff.*

Negociatiové? *Aff.*

Omnisné? *Neg.*

Atque adeò, an appellatio mercis etiam ad servos & homines extendatur? *Neg.*

Et appellatio mercatoris quoque etiam ad mangones? *Neg.*

Negociatoresqué? *Dist.*

Fœneratoresqué? *Neg.*

Adeoqué ad publicanos & argentarios usque inclusivè? *Neg.*

Universé, an mercatorem possit agere is, cui possidendi jus non est? *Neg.*

Com-

Commerciũvé alicujus rei poſſit habere is, qui ejus habendæ non eſt capax? *Neg.*

Aut indifferenter omnes, vel merces, vel mercatores, uno impetu ſint probandi? *Neg.*

Nominatim ii, qui invehunt merces damnoſas, quæqué ad effœminandos animos pertinent, neque tam ad neceſſitates faciunt vitæ, quàm ad luxum, pompam, fucum, ludum, mollitiem, voluptatem? *Neg.*

Quiqué cum peregrinis mercibus important morum peregrinitatem? *Neg.*

Aut novis rebus ſtudent? *Neg.*

Argento poſt omnia ponentes? *Neg.*

Nominatiùs monopolæ? *Neg.*

Saltem in publicâ pecuniarum indigentiâ? *Diſq.*

Et ſi ab antiquo ita fuerit obſervatum? *Neg.*

Atque adeò, annon monopoliorum negociatio frontibus adverſis pugnet cum naturâ juſtitiæ commutativæ? *Aff.*

Et lege Chriſtianæ charitatis? *Aff.*

Jurequé Civili? *Aff.*

Immò cum ipsâ ratione? *Aff.*

Et naturali æquitate? *Aff.*

Ideoqué neutiquam permittenda privatis? *Aff.*

Quin prohibenda potiùs? *Aff*

Com-

Commutatio Operæ pro Pecuniâ dicitur Μισθικὴ ἢ Μισθαρνία, *Mercenaria seu Operaria, modus acquirendi ordinarius artificialis, quo rem familiarem paramus permutatione, id est, locatione operarum pro pecuniâ.*

Estque, universè vel Obsequialis, vel Artificialis in specie sic dicta, vel Mediæ Conditionis, id est, partim Obsequialis, partim Artificialis.

Operæ Obsequiales dicuntur, quæ non in arte ullâ certâ, sed in aliis quibuscunque obsequiis vertuntur, v. gr, reverentiâ exhibendâ, colendo, comitando, deducendo, reducēdo, idque magis ex obsequio, quàm officio, & necessitate causativâ, quam sic vocare amant Scholastici.

Operæ Artificiales dicuntur, quæ artis alicujus sunt propriæ, neque sine illâ queunt præstari, perficique.

Operæ Mediæ Conditionis dicuntur, quæ & obsequium & artem secum ferunt, Obsequiales ratione illius, Artificiales ratione hujus.

Suntque universè, vel Δουλικώτατοι, *vel* Τεχνικώτατοι, *vel* Βαναυσώτατοι, *vel* Ἀγρυνέστατοι, *id est, perquam Serviles, Artificiosæ, Sordidæ, denique Ignobiles, atque, ut ita dicam, Degeneres.*

Operæ Serviles dicuntur, in quibus plurimus

rimus est corporis, nullus aut perexiguus animi atque ingenii usus, ceu sunt, Operæ Typographorum, & Typothetarum, Bibliopegorum, Librariorum, Tabellariorum, Cursorum, Bajulorum, Fossorum, Lignatorum, Caudicariorum, Vespillonũ, Apparitorũ, Lictorũ, Carnificũ.

Operæ Artificiosæ dicuntur, in quibus nihil vel parum loci fortunæ, ceu sunt, Operæ Artificum in genere ferè, in specie Histrionum, Saltatorum, Gladiatorum, Pictorum, Fictorum, Sculptorum, Fusorum, Plumariorum, Architectorum, & his contrariæ, Venatorum, Piscatorum, Aucupum, Aleatorum.

Operæ Sordidæ dicuntur, quibus corpora tractantium fœdantur, inquinantur, aut læduntur, ceu sunt, Operæ Opificum ferè in genere, in specie, Fabrorum Ferrariorum, Lignariorum, Carpentariorum, Murariorum sive Cæmentariorum, Cerdonum, Coriariorum, Pellionum, Textorum, Fullonum, Mangonum, Tinctorum sive Infectorum, Suterum, Veteramentariorum, Victimariorum, Laniorum, Fartorum, Molitorum, Pistorum, Coquorum, Nautarum, Pharmacopœorum, Pigmentariorum, Unguentariorum, Chirurgorum, Barbitonsorum, denique Vitriariorum seu Fusorum Vitri.

Operæ Ignobiles seu Degeneres dicuntur,

tur, in quibus nullus virtutis eſt uſus, ſive animi, ſive corporis, ceu ſunt, Operæ Unctorum, Balneatorum, Fornacariorum, Mediaſtinorum, Scopariorum, Janitorum, Scandaligerulorum, ſeu Famulorum Gynæcei, adeoque eorum, qui in gynæconitide malunt agere, quàm in andronitide, ad fœminea miniſteria viri, ad virilia fœminæ.

An mercenaria ſeu operaria ſit ordinarius & legitimus modus acquirendi? *Aff.*

Et ſi, an ergò liceat operam ſuam mercede locare? *Aff.*

Ultroné ea ſolvenda? *Aff.*

An verò petenda? *Neg.*

Fortean ideò, quia omnis operarius dignus mercede ſuâ? *Aff.*

Aut, quia perſona, quæ operam præſtat, precioſior quovis precio, quod viciſſim ſolvi poteſt? *Aff.*

An præter ſumtum huic quoque debeatur inſuper victus? *Diſt.*

Inſtrumentorumqué, pro opere atque in opere fractorum, æſtimatio? *Neg.*

Atque adeò, an merces ſit tantùm pecunia numerata, an verò generaliter quodcunque præmium, quod pro labore ſive ſtipendio datur? *Aff: Poſt.*

Annon interim uſu loquendi propriè ac preſsè ſumta merces differat à didactro? *Aff.*

Nauloqué? *Aff.*

Operæ

Operæ quin etiam precio, quod artifici pro artifice operâ præſtatur? *Aff.*

Et convenienter à conductionis atque locationis precio, quod ἐνοίκιον Græcis? *Diſq.*

Penſionequé? *Aff.*

Mercenarius item à gratuito, qui ex merâ liberalitate exhibet ac præſtat operas? *Aff.*

Omniſné ſordidus? *Neg.*

Atque adeò, an nomine mercenariorum veniant tantùm ſervi alieni, quorum conductis operis utimur, an verò etiam liberi homines, ſi operas ſuas locent? *Aff. Poſt.*

Nominatim pædagogi? *Diſt.*

Et in genere officiales? *Diſt.*

Operariiqué? *Aff.*

Ab operané ſic dicti, an ab opere? *Diſq.*

Saltem universè magis ab operâ, quàm ab opere? *Diſq.*

An ergò differant opera & opus, opus & opera? *Aff.*

Conſequenterqué operam dicatur locare is, qui operatur, conducere verò is, cui opera præſtatur, contrà opus conducere is, qui operatur, locare verò is, cui opus præſtatur? *Aff.*

Atque ita opera ſit ipſa actio, induſtria, labor, conatus, ſtudium, quo in opere faciendo

ciendo utimur, opus autem operæ effectum, illa ἐργασία ἢ ἔργου, hoc ἀποτέλεσμα? *Aff.*

An unius operæ non sit nisi unum opus, & contra unius operis non nisi una opera? *Neg.*

Et, si non, an ergò unâ operâ plura opera possint effici, vel confici, & contrà in uno opere cõplures operæ cõsumi? *Aff.*

Annon officium diurnum? *Aff.*

Ideoqué justæ operæ, quæ diei æquales? *Aff.*

Numeroqué definitæ, saltem definibiles? *Aff.*

An harum pars per horas possit solvi? *Neg.*

An idem hîc pro operis, atque ex operis? *Neg.*

Locare operas, atque ex operis mercedem capere? *Neg.*

Annon interim, qui hoc potest, & illud possit, & contrà, qui hoc non potest, neque illud possit? *Aff.*

An rectè tribuantur in officiales sive obsequiales, artificiales, & medias? *Aff.*

Et sicut artificiales transeunt ad heredem, ita officiales? *Neg.*

Annon præter has detur quartum genus, operarum videlicet gratuitarum, quales eæ, quæ à clientibus, alumnis, hospitibus, amicis, collactaneis, educatoribus,

ex merâ liberalitate præſtantur? *Diſq.*

An hæ conſtituant novum genus? *Diſq.*

Annon ſubindè nomine operarum intelligantur perſonæ, quæ operantur? *Aff.*

Nominatim, Typothetæ, Typographi ſive Chalcographi, Bibliopegi? *Aff.*

Annon horum artificium longè utiliſſimum, verùm nonnihil ſervile? *Aff.*

Et ſordidiuſculum, ſi non ſordidum? *Aff.*

Honeſtior interim universè bibliopegorum profeſſio, quàm typographorum? *Diſq.*

Saltem tutior, & magis innoxia? *Aff.*

Atque adeò, an differant Typographi moderni à Librariis antiquis? *Diſt.*

Saltem hi à Tabellariis? *Aff.*

Et ſi, annon librarius propriè ſcriptor tabellarum è libris, tabellarius verò portitor? *Aff.*

An idem, quod tabularius ſive tabellio? *Neg.*

Curſorvé? *Neg.*

Viatorvé? *Neg.*

Aut ille, qui equo transvehitur, vel παραπλεῖ, navi prætervehitur? *Neg.*

Quid de Bajulis, à Bajiſné, Campaniæ opido, an verò à Græcanico βαιὸς, parvus,

eò

eò quòd parva bajulentur, magna vehantur? *Aff*: *Poſt*

Atque adeò, annon differant, bajulare, portare, ferre? *Aff.*

Et ſi, annon tam bajulare quàm portare ſit propriè φόρτος ſive onus propriis humeris ferre, ſed τὸ bajulare corporis tantum, τὸ portare etiam animi? *Aff.*

Aliquandò etiam plus, quàm ferre? *Aff.*

Quid de Foſſoribus & Lignatoribus, an vel illi iidem cum foſſariis, vel hi cum lignariis? *Neg.*

Quid de Caudicariis, annon ſaltem hi ejuſdem commatis cum lignatoribus? *Diſt.*

Si minùs re, minimùm uſu? *Aff.*

Quid de Veſpillonum, Libitinariorum, Buſtuariorum, Sandapilariorum, Atratorum Anteambulonum, Præconum Feralium, Pollinctorum, Præficæ item, & in genere, τῶν Νεκροφόρων καὶ Νεκρικόμων, qui cadavera defunctorum vel ad ſepulturam deferebant, vel ad eam parabant ac præparabant, opere atque operâ, ſerviliſné? *Aff.*

Et ſi, an ergò minùs liberale atque ingenuum ſit, libitinariam exercere, atque ſandapilarium ſeu defunctiferum agere? *Aff.*

Codonophorumqué? *Aff.*

Pollinctoremqué? *Aff.*

Atque adeò, à veſpiſné veſpillo, an verò à veſtium ſpoliatione, & non potiùs à veſperâ? *Aff:Poſtr.*

Aqué polluo & ungo potiùs pollinctor, quaſi pollutorum unctor, quàm vel à polio & ungo, quaſi polinctor, id eſt, poliens unctor, vel à pelle & ungo, quaſi pellinctor id eſt, pellis unctor? *Aff:Prim.*

Utrum munus fuerit honeſtius, ſaltem minùs ſervile, libitinariiné, qui quæſtui inſerviens libitinam exercebat, neceſſaria funeribus vendens, funeraqué conducens, an pollinctoris, qui cadavera defunctorum pollinciebat ſive pollingebat, id eſt, ungebat? *Aff:Prius.*

Itemné libitinarii, quàm deſignatoris, qui funera comitabatur tantùm, diſponebat, atque ordinabat, cùm ille funera efferenda conduceret, cæteraqué in eum apparatum adornaret, univerſequé rationibus Libitinæ Deæ præeſſet? *Aff:Prius.*

Annon vox libitinarii ex Ethnicâ Theologiâ ſit quaſi mutuò ſumta, ideoqué Chriſtiano uſu parùm digna? *Aff.*

Saltem id non omninò indignũ, præterqué rationem, quòd Romani juxta templum Veneris Libitinæ vendiderunt, quibus erat opus ad funus, ut homines, cum vel maximè libidinibus operam darent, meminiſſent, ſe aliqnandò morituros? *Aff.*

An etiam id rectè, quòd in ſepulcralibus

bus ſacris adhibuerunt ſiticines ſive ſicinniſtas, & choraulas monumentarios? *Neg.*

Præficaſqué? *Neg.*

Quid de Apparitoribus & Lictoribus, differuntné? *Aff.*

Lictor item & Carnifex? *Aff.*

Atque adeò, annon apparitor jus ligandi tantùm habuerit in civilibus, lictor verò etiam in criminalibus? *Aff.*

A ligandoné, vel quòd, cùm magiſtratus quem virgis verberari juſſiſſet, crura ejus ac manus mox ligaret lictor, vel quòd virgarum faſces ligatos gereret? *Quodl.*

An quaſi litor, à litando, quòd litaret, hoc eſt, interficeret reos, tanquam λειτουργὸς ſeu miniſter publicus? *Neg.*

Annon interim lictores antiquitus carnificum officium fuerint functi, neque tantùm reis in carcere cuſtodiendis, verùm etiam carnibus ex homine faciendis, id eſt, mutilandis damnatorum membris, fuerint præfecti? *Aff.*

Annon tam horum, quàm illorum officium, moribus fuerit probroſum, adeò, ut non ipſi tantùm pro infamibus haberẽtur, verùm etiam filii eorum, filiæqué, præſertim apud caſcos Romanos, apud quos lege cenſoriâ fuit cautum, ne quis carnifex eſſet civis Romanus, neu in urbe domiciliũ haberet, nevé cõcioni intereſſet, ne ejus præſentiâ illa funeſtaretur? *Aff.*

An rectè vel illis etiamnum negentur gradus Academici, vel his nuptiæ liberaliores? *Aff.*

Annon interim officium eorum, si per se, & remotis circumstantiis, consideretur, utut servile, necessarium tamen? *Aff.*

Honestumqué? *Aff.*

Horridum interim, & horrendum, sordidumqué, vel quia natura ipsa humana hujusmodi homines aversatur, qui exequuntur mortis etiam meritæ supplicium, vel quia plerunque sunt homines notæ haud bonæ, qui eliguntur ad hoc officium, vel quia ad sordida ministeria ferè adhibẽtur, velut ad cloacas purgandas, ad cadavera excorianda, deponendaqué? *Aff.*

Quid de Artificibus atque Opificibus in genere, differuntné? *Aff.*

Et si, annon artifex, qui arte quid facit, opifex verò, qui opus? *Aff.*

Ideoqué sicut hic ab opere denominationem accipit, ita ille ab arte? *Aff.*

Artuvé, quòd per artus scientiam suam subindè exerceat? *Disq.*

Atque adeò, an artificium accipiendum sit pro scientiâ cujusque artis, an verò potiùs pro artis exercitio? *Aff: Post.*

Ideoqué saltem hactenus non inappositè ducatur deducatur ab artu? *Aff.*

Quid de Histrionibus in specie, Pantominis, Ludionibus, annon horum operæ,

ut

ut artificiales, ita artificioſæ? *Aff.*

Infames interim, præſertim ſi ob præmium in ſcenam deſcendant, & vitia mimeticè repræſentent, & quidem larvati ſive perſonati? *Aff.*

Sive piam cauſam agant, ſive non? *Aff.*

Eaqué propter rectè Tiberius hos Italiâ quondam pepulerit, horumqué ædes vetuerit ingredi ſenatores? *Aff.*

Ius item Saxonicum eoſdem arcuerit ab honeſtis hominum unionibus? *Aff.*

Fortaſſiſan ideò, quòd plerique omnes eſſent perditiſſimis moribus, ac deploratæ nequitiæ? *Aff.*

Studiaqué eorum ad effœminandos atq; emaſculandos civium animos pertinerent? *Aff.*

Quid de Saltatoribus, etiamné horum opera artificioſa? *Aff.*

Verùm infamis? *Diſt.*

Saltem ſaltatio hiſtrionica, & geſticulatoria ſeu mimica? *Aff.*

Ionicaqué? *Aff.*

Quæqué eſt generis epicœni? *Aff.*

Et in ſpecie ὁ χορδακισμὸς ἢ κόρδαξ? *Aff.*

Itemné ſaltatio ſolitaria? *Diſt.*

Nominatim ſaltatio, quæ dicitur Pyrrhica? *Neg.*

Quid de Gladiatoribus, Retiariis, Mirmillonibus, & horum operâ, artiſné? *Aff.*

Annon differant à laniſtis? *Aff.*

Athletiſqué? *Aff.*

Palæſtritiſqué? *Aff.*

Pugilibuſqué? *Aff.*

Venio ad Pictores, Fictores, Sculptores, Fuſores, ejuſdemné, vel artis, vel artificii? *Diſt.*

Ingenuitatiſqué? *Diſq.*

Atque adeò, annon pictoria ſit ars liberalis? *Neg.*

Saltem ſtudium liberale? *Aff.*

Et vel Principe dignum? *Diſt.*

Annon quid commercii habeat cum Oratoriâ & Poëticâ? *Aff.*

Præcidatur precioſo pictori pollex, atque intra annum, quo præciſus fuit, occidatur, annon eo precio æſtimari conveniat quanti fuit priùs, quàm artem cum pollice amiſiſſet? *Aff.*

Legetur pictoris inſtrumentum, annon legato eâ legatione inſimul cedant colores, peniculi, cauteria, conchæ, ſimiliaquê? *Aff.*

Nominatim ceræ? *Aff.*

An ergò ceræ pictoris inſtrumento annumerentur? *Aff.*

Ideoqué ceræ uſus non tantùm obtinuerit in ſcribendo atque obſignando, verùm etiam in pingendo? *Aff.*

Etiamné in fingendo? *Aff.*

Atque adeò, annon fingi propriè dicantur, quæ é materiâ molli, iiſqué rebus, quibus

bus facile eſt figuras indere, in ſtatuas formantur? *Aff.*

An idem heic fingere, quod formare? *Neg.*

Cumqué fictor dicit, fingo, imponat figuram ſcilicet, cum dicit, informo, formam? *Aff.*

Sicutqué fingi propriè dicuntur, quæ è materiâ molli in ſtatuas formantur efformantur, ita ſculpi atque cælari, quæ è durâ? *Aff.*

Fundi verò, quæ ex utrâque? *Aff.*

Annon, ut ſic, differat imago à ſtatuâ? *Aff.*

Ita ut illa ſit, modò picta, modò cerea, hæc jam ænea, jam eborea, jam gypſea, jam lapidea, jam marmorea? *Aff.*

Neque ſculptilis tantùm, verùm etiam fuſilis? *Aff.*

An piè vel illa vel iſta poſſit frequentari? *Diſt.*

Decerniqué benè de Republicâ meritis? *Aff.*

Quæviſné? *Neg.*

Et abſque Principis conſenſu? *Neg.*

Quid de Plumariis, & Phrygionibus ſive Acupictoribus, differuntné? *Aff.*

A plumâné plumarius, an verò à plumando? *Aff: Poſt.*

Vel quòd acu pingeret ſuper culcitis plumeis? *Neg*

Atque adeò, instrumentumné plumarii pluma, an materia? *Aff:Post.*

Annon antiquissimi ars hæc plumaria instituti? *Aff.*

Ab Indisné inventa, an verò ex nostrâ continente unâ cum ipsis hominibus eò traducta? *Aff: Post.*

Annon desita apud nostros? *Aff.*

Quid de Architectis, & horum operâ, artificiosané? *Aff.*

Mage quàm τῦ χειροτέχνου? *Aff.*

An quid ipse operetur architectus, an verò tantùm præscribat operas atque opera operis? *Aff:Post.*

Convenienterqué differant, dominus, qui locat, architectus, qui conducit, officinator, qui fabrili subtilitate consarcinat? *Aff.*

Quid de Venatorum, Piscatorum, Aucupum professione, ab artené ea pendet ac dependet, an à casu? *Dist.*

Annon saltem aliquid includat artis, sed aliquid? *Aff.*

An ergo hîc prædominetur casus? *Aff.*

Ideoqué non absre emere vel vendere aleam dicatur, cum quis captum ferarum piscium vel avium emit venditvé? *Aff.*

Iactum retis, v.g. piscator, auceps pantheram? *Aff.*

Quid de Aleatoribus, & horum exercitio

citio inexercibili,in artené conſiſtit, an caſu? *Aff:Poſt.*

An ergò luſus aleæ ſit luſus fortunæ, id eſt, lubricus & erraticus? *Aff.*

Ideoqué homine ingenuo & cordato indignus? *Aff.*

Itemné, ſi modicus ejus ſit uſus? *Aff.*

Inqué eo quis verſetur, non ut in re ſeriâ,ſed ludicrâ? *Aff.*

Citra, inquam, patrimonii exhauſtionem, blasphemiamqué? *Aff.*

Iccircoqué luſus aleæ meritò legibus ſit, ut vetitus, ita vetandus? *Aff.*

Ad ſponſiones uſque, quæ aleæ causâ fiunt, incluſivè? *Aff.*

An ergò nemini unquam uſquam liceat luſitare aleâ? *Aff.*

Ac ne ſpectare quidem ludentem? *Aff.*

Annon ſaltem familiæ integrum ſit, ludere de eo, quod poſtmodum comedatur? *Neg.*

Militibuſvé adeò in genere? *Neg.*

Si minùs in procinctu, atque expeditione,minimùm extra operas? *Neg.*

Nominatim, an epiſcopi, presbyteri, diaconi, vel ipſi debeant ludere aleâ, vel alios ſpectare ludentes? *Neg.*

Secuſqué facientibus meritò fuerit poſita atque impoſita pœna? *Aff.*

Vel detruſionis? *Diſq.*

Atque adeò, an luſus aleæ exerceat

ludentes? *Neg.*

Iustamvé habeat delectationis causam? *Neg.*.

Et annon omnis aleator semper anxius, querulus, iracundus, morosus, difficilis, mœstus? *Aff.*

Inqué satiabilis? *Aff.*

Ideoqué meritò exosus omnibus, qui habent vel micam salis pietatisqué? *Aff.*

Hocqué nequior, quantò in arte est melior? *Aff.*

An hoc exercitii ludicri genus in ocio Trojani belli à quodam milite, cui nomen Alea, primitus sit inventum? *Neg.*

Et annon subindè capiatur pro omni fortunæ lusu in genere, non talorum solùm, aut tesserarum ex pyxide, hoc est, fritillo? *Aff.*

Nominatim pro calculorum quoque ludo, latrunculorumqué? *Aff.*

Annon interim ludus talarius differat à tesserario, calculatorius à latrunculari? *Aff:Prius:Dist:Post.*

Aleator item à tesserario? *Neg.*

Quid de Opificibus, omnesné in turpi, saltem ignobili, exercitio? *Aff.*

Et si, fortean ideò, quòd horum, non tam artes, quàm operæ, emantur, in quibus ipsa merces autoramentum ignobilitatis & sordium? *Aff.*

Annon interea ordo eorum sit summè ne-

necessarius atque utilis in Republicâ? *Aff.*

Inqué suo genere honestus? *Aff.*

Ipsis quin etiam probatus sacris litteris? *Aff.*

Ideoque maximi semper factus? *Aff.*

Atque à regibus, vel exercitii, vel valetudinis causâ, frequentatus? *Aff.*

Atque adeò, annon rectè Athenis juvenibus, postquam proximè pubertatem venissent, proposita fuerint publicè variorum opificiorum instrumenta, ut in eo instituerentur, cujus instrumentis maximè delectarentur? *Aff.*

Universè, annon faber, quasi faciber, à faciendo, eò quòd ex quâvis materiâ durâ quid faciat, efficiat, conficiat? *Aff.*

Atque ut sic, differat à plastâ, qui ex gypso, argillâ, cerâ, quid facit? *Aff.*

Annon oppidò quàm generale nomen, quodqué ex adjectione soleat distingui, ita ut alius sit aurarius, alius argentarius, alius carpentarius, murarius alius, parietarius alius, cæmentarius alius, vascularius alius? *Aff.*

Qualis faber fuerit Iosephus, nutricius Christi? *Disq.*

Annon saltem antiquissima, eaqué communissima, sit opinio, eum fuisse fabrum lignarium? *Aff.*

Faberné ipse quin etiam Christus, ὁ τέκτων καὶ τεκτόνος, an verò filius tan-

us tantùm fabri? *Quodl.*

Annon interim probabilius sit, eum, antequam prædicare inciperet, fabrilem artem domi exercuisse? *Aff.*

Ut ad species descendam: Annon fabri tignarii appellatione largè intelligatur omnis, qui ædificat? *Aff.*

Ideoqué tigni appellatione contineatur non tantùm id, cui tectum superimponitur, ea, inquam, ædificii pars, quæ tegit, non quidem continuatione lignorum perpetuâ, sed contignatione atque appositione, verùm absolutè atque in genere omnis materia, unde domus confici potest, ad tegulas usque, lapides, cæmenta, calcem, arenam inclusivè? *Aff.*

Annon interim in specie faber tignarius capiatur usu loquendi pro lignario, id est, non solùm eo, qui solaria lignea, hoc est, trabes, cæteraqué ad tabulata domus utilia, fabricat? *Aff.*

Itemné murarius pro parietario? *Neg.*

Cæmentarioqué? *Neg.*

An ergò murus & paries differant? *Aff.*

Cæmentum item & calx? *Aff.*

Ideoqué malè per cæmentum vulgò intelligatur illud intritum, quod fit ex terrâ, aquâ maceratâ, vel ex arenâ & calce? *Aff.*

Saltem non malè alterum intritum, quòd fit ex calce, arenato tectorio, & lapi-

dum

dum fragmentis ſive aſſulis? *Aff.*

Convenienterqué cæmenta nihil ſint aliud, quàm lapides parvi, rudes, informes, vulgares, de grandiori lapide decuſſi, vel temerè inventi, lapilli, inquam, cæſi incæſivé? *Aff*

Annon ſubindè vox cæmenti accipiatur pro ipſo opere, quod ſtruitur? *Aff.*

Vaſcularius item pro cælatore, inauratore, bracteario? *Aff.*

Unde ſcandularius, à ſcanduliſné, an ſcindulis, id eſt, ſectilibus aſſerculis? *Aff: Poſt.*

Adeoqué à ſcindendo potiùs, quàm ſcandendo? *Aff.*

Annon ſaltem, dum una ſcandula ſuper aliam imponitur, ſcandere alia ſupra aliam, ſquamarum more, gradatim videatur? *Aff.*

Sed nimirùm ſcandula ſit ſcandula, etiamſi non ſcandat, ſcanſitet? *Aff.*

Quid de Cerdonibus, Coriariis, Pellionibus, annon de tribu eorum, qui illiberalem & ſordidam artem τῦ κέρδους, id eſt, lucri causâ exercent? *Aff.*

Coriumqué aut pellem parant? *Aff.*

Quid de Textoribus, etiamné horum opera ſordida, ſaltem ſordidiuſcula? *Aff.*

Omniſné? *Neg.*

Neceſſaria interim, & bis tolerabilis, præ-

præſertim ſi corpori, non tanquam ſervo, telam paret, ſed tanquam domino? *Aff.*

A tegendoné, an verò à τάξει, id eſt, filorum doctâ coordinatione? *Aff: Poſt.*

An opus muliebre? *Diſt.*

Et, annon rectè olim, tam Græci, quàm Romani, filias ſuas in texturâ ac neturâ informandas curârint, ut colo fuſo atque acui aſſuetæ, non torperent, neu laſcivirent per molle ocium? *Aff.*

Idemné texēdi modus obtinuerit ſemper, an verò diverſus apud gentes diverſas? *Aff.*

Quid de Fullonibus, qui pannos excandidant, veſtimentaqué nitidant, hoc eſt, eluunt, atque in unum cogunt, inde cretâ candefaciunt ſeu incretant, annon ſorditiem ſordet hæc eorum profeſſio fullonia? *Aff.*

Hocqué non obſtante liceat nihilominus inſtituere fullonicas? *Aff.*

Etiam meritorias? *Aff.*

An ergò differant fullonia & fullonica? *Aff.*

Quid de Mangonibus, qui merces manu agunt, id eſt, comunt, ornant, fucant, poliunt, quò hoc cariùs vendant, &, ſi quid eſt, quòd ipſis diſpliceat, aliquo lenocinio abſcondunt, fallendi propoſito, etiamné horum artificium ſordidum? *Aff.*

Neque

Neque ſordidum tantùm, ſed etiam improbum? *Aff.*

Annon mercis appellatione heic quoque etiam veniant canes & equi? *Aff.*

Hocqué aſpectu mango ſit & dicatur rectè, non tantùm ὁ κυνοτρόφος, qui canes alit in uſum porrovenditionis, ſed etiam ὁ ἱπποβοσκὸς καὶ ἱπποκόμος, qui equos alit mangonizatos, ut hos multo cum fœnore vendat? *Aff.*

Itemné ὁ ἀνθρωποκάπηλος καὶ σωματέμπορος, qui corpora, hoc eſt, ſervos nundinatur, id eſt, emit venditqué? *Neg.*

Atque adeò, annon hic venalitiarius potiùs, quàm mango? *Aff.*

An ergò mango & venalitiarius differant? *Diſt.*

Annon ſubindè ſumantur promiſcuè atque indiſtinctè? *Aff.*

Quid de Tinctoribus ſive Infectoribus, horumqué operâ, annon ſordidior, quàm vel fullonum, vel mangonum? *Aff.*

Iidemné cum offectoribus? *Neg.*

Et, ſi non, annon infectores, qui alienum colorem in lanam conjiciunt, offectores verò, qui proprio colori novum officiunt? *Aff.*

Quid de Sutoribus & Vetramentariis, qui calceos vel conficiunt, vel reficiunt, nun-

nunquid ſutores ſunt ſutores, id eſt, ſordidi? *Aff.*

A ſuone, an à ſetâ, quaſi ſetores? *Aff: Prius: Diſq: Poſt.*

Aqué calce calceus, an verò ἀπὸ τοῦ καύλου ſeu ligno? *Aff: Prius: Diſq: Poſt.*

Atque adeò, utri calcei fuerint vetuſtiores, ligneiné, an verò linei, vel etiam lanei, coriaceiqué? *Aff: Prim.*

An idem calceus, quod calcearium? *Neg.*

Et, ſi non, an calcearium denotet calceum unum, ac non potiùs, quantum calceorum uſui eſt ſatis? *Aff.*

Conſequenterqué id, quod ad calceatum alicui eſt relictum? *Aff.*

Univerſè, annon calcei geſtamen ſit perutile, tum ad tegendos pedes, tum ad protegendos? *Aff.*

Ideoqué præſtet calceari, quàm diſcalceatum incedere? *Aff.*

Vtiqué calceis, quàm ſandaliis, crepidis, aut ſoleis? *Aff.*

An rectè Lycurgus calceorum uſu pueris interdixerit, quò ipsâ nuditate pedes eorum redderentur, & duriores, & expeditiores, ſervitutequé hâc pedum liberarentur? *Neg.*

Annon proximè ad Sutores ſtudii vicinitate accedant Sartores, ad Veteramentarios verò Sarcinatores? *Aff.*

Itemné

Itemné ſorditie? *Neg.*

Utri interim majore gaudeant libertate in exercitio artis ſuæ, ſutoreſné, an ſartores? *Aff: Prius.*

Atque adeò, annon ſartores non non teneantur pœnâ, ſi contra leges veſtiarias concinnent veſtes, undiculatas, raſas, rallas, foriculatas, papaveratas, denique tales, in quibus nihil, quo defendi, aut corpus, aut pudor, poſſit, quibuſqué ſumtis mulier parùm liquidò nudam ſe non eſſe juret, ne adulteris quidem plus ſui in cubiculo, quàm in publico, oſtenſura? *Aff.*

Quid de Victimariis, Laniis, Fartoribus, qui ad cultrum emunt pecudes & pecora, ut mox diſcindendo lacerent, id eſt, lanient, ſordidæné profeſſionis & ipſi? *Aff.*

Ideoqué rectè olim relegati extra urbem ob ſordes, præſertim lanii? *Aff.*

Annon iidem cum macellariis, qui carnes in canario publicè vendunt? *Aff.*

Etiamné cum laniſtis? *Neg.*

Quid de Molitoribus, Piſtoribus, Coquis, & horum miniſterio annon. quid habet ſordium atque inquinamenti? *Aff.*

Pluſculum tamen coquinaria, quàm piſtoria? *Aff.*

Molitoriavé? *Aff.*

Atque adeò, annon cocus antiquitus, tam

tam apud Lacedæmonios, quàm apud Romanos, viliſſimum mancipium æſtimatione & uſu fuerit, poſtea verò demùm, quod miniſterium antea fuerat, ars haberi cœperit? *Aff.*

An majori multò in precio fuerit piſtor? *Neg.*

Et, an tam illi, quàm huic, licuerit vel aſpirare ad aliquam dignitatem? *Neg.*

Annon fuerit tempus, cùm Lacedæmone nulli tolerarentur coqui, exceptis illis, qui jus atrum coquitarent? *Aff.*

Cumqué, qui in coquinariâ paulò peritiores erant, ſcitamentorum, inquam, fabri, (quibus addas licet piſtores dulciarios, & qui Marzompane Italicum præparant,) urbe exeſſe juberentur? *Aff.*

Fuerit item tempus, quo piſtores planè nulli fuerint Romæ? *Aff.*

Fuerit porrò tempus, cùm coqui & piſtores iidem eſſent? *Aff.*

Fuerit denique tempus, cùm, ut coquere, ita panes facere, eſſet opus mulierum? *Aff:*

Quid de Nautis, & horum miniſterio, vilené, immò ſordidum? *Aff.*

Quid de Pharmacopœorum, Pigmentariorum, & Unguentariorum operâ, conjunctané & ipſa cum ſordibus? *Aff.*

Itemné Pharmacopolarum? *Neg.*

An

An ergò Pharmacopœus & Pharmacopola differant? *Aff.*

Hic & Pigmentarius? *Dist.*

Saltem Pigmentarius & Aconitarius? *Aff.*

Unguentarius item & Unctor? *Aff.*

Quid de Chirurgis, seu Medicis Vulnerariis, etiamné horum professio sordida? *Dist.*

Si minùs à priori, seu ratione artis, minimùm à posteriori, seu ratione usus atque exercitii? *Aff.*

Annon vetutissimi instituti, ita ut olim Medici simul etiam fuerint Chirurgi? *Aff.*

An Clericis jure interdicta? *Aff.*

Atque adeò annon Chirurgi vocabulum sit generale, significans omnem operarium manuarium, chirurgiæ quoque vocabulum commune, denotans omnem artem, quæ actionem habet conjunctam cum manuum operatione? *Aff.*

Annon interim strictè magis, immò propriè magis, Chirurgice dicatur de eâ parte Medicinæ, quæ sectione, ustione, aut aliâ quâvis ratione, quæ manu administratur, vulnera curat? *Aff.*

Quid de Barbitonsoribus, annon horum officium olim fuerit ignotum, & flagitii loco habitum? *Aff.*

Raderequé adeò barbam servitutis indicium? *Aff.* Dedi-

Deditioniſqué? *Aff.*

Et in genere calamitatis, quà privatæ, quà publicæ? *Aff.*

Ignominiæ quin etiam & ludibrii? *Aff.*

Immò pœnæ? *Aff.*

Atque adeò, annon pro delicatulis quondam fuerint habiti in ſeculo illo intonſo, qui barbam raſitâſſent? *Aff.*

Rectené? *Diſq.*

An ergò non omnis raſura tonſuravé promiſcuè ſit improba atque improbanda? *Aff.*

Non utique inaffectata? *Aff.*

Neceſſariaqué, putà, ſi vel illa vel iſta adhibeatur, ne pili capitis nimium luxuriantes viſum impediant, &, qui in ſuperiori labri ſunt parte, inter comedendum obſtaculum aliquod objiciant, moleſtiamqué creent? *Aff.*

Quid de Vitrariorum ſeu Fuſorum Vitri Vitriariâ, rectené accenſetur artificiis ſordidis, *Aff.*

Etiam eorum vitriariorum, qui fuſis vitris utuntur, fuſiliaqué vitreamina vendunt? *Aff.*

Venio ad Unctores & Aliptas, qui paratis ac præparatis unguentis utuntur in commoda utentium, deterioriſné juris & conditionis, quàm Vnguentarii, qui hæc parant, præparant? *Neg.*

Et, annon unctores valetudini, unguentarii

tarii voluptati inſerviant ? *Aff.*

Ideoqué meritiſſimo ſuo , cùm aliis urbibus , tum Spartâ, ſint ejecti,eò quòd ſuppeditarent materiam luxus maximè ſupervacui ? *Aff.*

Non item unctores ? *Aff.*

Annon interim horum opera ſit ignobilis ? *Aff.*

Sicut & Balneatorum ? *Aff.*

Annon conſultum ſit,extare balnea publica in Republicâ ? *Aff.*

Et ſi, annon conveniat ea pro diverſitate ſexuum eſſe diſtincta ? *Aff.*

Uti & ordinum ? *Aff.*

Annon universè magis probentur privata ? *Aff.*

Et diurna potiùs , quàm nocturna? *Aff.*

Balnea , inquam, magis, quàm balneæ ? *Aff.*

An ergò aliud balnea , aliud balneæ ? *Aff.*

Illa privata , hæ publicæ ? *Aff.*

Annon nonnunquam balneæ à privatis hominibus publicè præberi ſint ſolitæ? *Aff.*

Hæqué legatæ domus ſint portio ? *Aff.*

Atque adeò , annon balneario ſive balneatorio inſtrumento legato contineatur etiam balneator , id eſt , ſervus, qui balnei uſibus deſervit ? *Aff.*

Fornacatorqué, qui ignis in fornace balnei

nei accendendi curam habet & gerit? *Aff.*

An differat à fornacario? *Neg.*

Saltem à furnario? *Aff.*

Fornax item à furno? *Aff.*

Furnus à clibano? *Aff.*

Uterqué à camino noſtrate? *Aff.*

Et, annon nobis ferè nunc caminus veniat pro ſtructurâ fumariâ, quæ fumum excipit, & per quam, velut per canalem, fumus ſine noxâ extra tectum emittitur? *Aff.*

Quid de Mediaſtinorum operâ atque miniſterio, qui mediis in ædibus ſtant ad obſequia, ut ad cujuſvis juſſa atque imperata præſtò ſint, viliſſimaqué & abjectiſſima quævis munia obeunt, annon vile, atqué ignobile, inhonoratumqué? *Aff.*

Derivatané ſit vox mediaſtini, an compoſita, vel à medio & ſtando, quaſi μεσοστάτης, vel à medio & ἄστυ, quaſi qui in mediâ civitate verſetur, ſicut bajulus in mediis urbis quadriviis, vel à medio & ſtabulo, quaſi qui in medio ſtabulo, ſeu medio ſtabuli, ſtet? *Aff. Prius.*

Et ſi, annon ſimpliciùs ducatur deducatur à medio, ita ut reliquum in vocabuli productione ſit numerandum potius, quàm ponderandum, menſurandumqué? *Aff.*

Atque ita, ſicut meſonauta eſt medius inter nautas ſummos & imos, ſic mediaſtinus

ſtinus ſit medius inter ſervos ſummos & imos? *Diſq.*

Oppoſitus artificibus ſervis, qui aliquod artificium callent, atque in eo verſantur, cùm ipſe nullam certam artem exerceat, verùm in mediis ædibus præſtò adſit, ad quævis obſequia pranſus paratus? *Aff.*

Quid de Scopariorum operâ, qui ſcopant, vel ſcopunt, hoc eſt, ſcobem ſeu pulverem everrunt, ſordentiaqué pavimenta purgant, annon eorum ſcopæ ſunt ſcopæ, id eſt, viles & abjectæ, ſicut illi, qui has tractant? *Aff,*

Quòd ſi villa paulò ſit cultior, annon tacitè accedant inſtrumento fundi ſcoparii? *Aff.*

Quid de Ianitorum & Portitorum operâ, annon tam ignobilis, quàm quæ maximè? *Aff.*

An differant janua, fores, valvæ, oſtium, porta? *Aff.*

Et ſi, annon janua ſit parietis & domorum, primus, inquam, domus ingreſſus, ſic dicta à Iano, cui conſecratum omne principium, fores, quæ foris aperiuntur, valvæ, quæ intus revolvuntur, oſtium cætera intra januam, ſive fores ſint, ſive valvæ, ſic dictum ab obſtando, ſicut aditus ab adeundo, porta porrò propriè urbis, arcis, munitionum, caſtrorum, ſic

dicta à portando, id est, importando atque exportando? *Aff.*

Quid de Sandaligerulorum operâ denique, annon abjectissima, & muliebre potiùs, quàm virile, ministerium? *Aff.*

Immò ne muliebre quidem? *Dist.*

Commutatio tam Operæ quàm Rei pro Pecuniâ dicitur Καπηλικὴ, *Cauponia seu Tabernaria, modus acquirendi ordinarius artificialis, quo rem familiarem paramus permutatione, id est, commodatione servitiorum, alimentorum, lectorum, stragulorum atque instragùlorum, candelarum, ipsiusque adeò domus sive hospitii, pro pecuniâ. Duobus verbis: Modus acquirendi per Cauponas & Tabernas Meritorias, unde nomen habet hæc vitæ professio.*

An cauponia seu tabernaria sit ordinarius & legitimus modus acquirendi? *Aff.*

Omnisné promiscuè? *Neg.*

Nominatim cauponia furunculorum & latrunculorum? *Neg.*

Lenunculorumqué? *Neg.*

Aut tabacopolarum seu tabacivendorum tabernaria? *Neg.*

Convenienterqué eorum, qui aquam fortem, sive aquam vitæ, institorum in morem, per tabernulas vendunt? *Neg.*

Atque adeò, an vel hâc, vel illo, liceat uti, ut potu, alimento, condimentové? *Neg.*

Vel

Vel etiam συγκαταβάσεως ἕνεκα, conversationis gratiâ? *Neg.*

Temporisqué fallendi ergò? *Neg.*

Saltem, ut medicinâ, id est, ob usum atque in usum medicinalem? *Aff.*

Atque valetudinis causâ? *Aff.*

Et, annon rectè, immò bis rectè, Clericos, exercentes tabernariam, Clemens Quintus exautorârit, ingrediqué tabernas, nisi in casu peregrinationis, vetuerit? *Aff.*

Nimiam quoque tabernarum & tabernariorum frequentiam leges civiles inhibuerint? *Aff.*

Sed nimiam scilicet, id est, abusum, non usum? *Aff.*

Absque eo sit, annon liceat exercere cauponiam? *Aff.*

Tabernariamqué? *Aff.*

Cœnaculariamqué? *Aff.*

Unde caupo, à copiâné, an à cupis, quasi copo, vel cupo? *Quodl.*

Annon universè magis à cupis, quàm à copiâ, ut qui sit esculentorum quidem & potulentorum, eduliorum, inquam, & vini venditor, sed maximè propriè vini? *Aff.*

Convenienter Græcæ nomenclationi, originationiqué, cujus tenore ὁ κάπηλος, ἀπὸ τῆς κάπης, à præsepi, ᾗ τῷ πηλῷ, vi

no, vel à τῷ πηλῷ, & verbo κακύνειν, quod est adulterare, eò quòd hoc genus hominum ferè soleat adulterare, id est, aquâ diluere vinum, idqué propinare hospitibus? *Quodl.*

Unde deinde autem taberna, à trabibusné, quasi traberna, an à tabulis, quasi taberina? *Disq:Prius:Aff:Post.*

Si à tabulis, ideoné, quòd claudatur tabulis, an, quia fiat confiat ex tabulis? *Quodl.*

Annon, ut sic, tabernæ nomine veniant quoque ædiculæ parvæ simplices in vicis, axibus & tabulis clausæ? *Aff.*

Omnequé adeò πανδοχεῖον, sive omnis locus, ædificio tectus tabularum, in quo & merces vendi, & opera quæcunque fabricari solent, non taberna cauponia tantùm? *Aff.*

Cellaqué vinaria? *Aff.*

Atque adeò, annon subindè tabernæ appellatio declaret in genere omne omninò utile atque dispositum ad habitandum ædificium? *Aff.*

Ipsum quin etiam in specie locum, in quem confabulandi causâ convenitur, qui λέσχη Græcis? *Aff.*

An sicut nomen, ita etiam speciem veterum tabernarum, retineant nostrates? *Neg.*

An idem taberna quod officina? *Neg.*

Diver-

Diverſoriumqué? *Neg.*

Hoſpitiumqué? *Neg.*

Et, ſi non, annon taberna propriè fuerit ædificium in loco publico, ubi merces, & quæcunque alia opera venum proponebantur exponebanturqué, officina verò ædificium, in quo ipſa opera fiebant, artificeſqué operas ſuas exercebant? *Aff.*

Atque ita omnis quidem officina fuerit taberna, non contrà, omnis taberna officina? *Aff.*

Taberna mercenaria, diverſorium atque hoſpitium etiam gratuitum? *Aff.*

Illud divertẽdi tantùm causâ, hoc commorandi? *Aff.*

A pedené & hoſtio hoſpes, quaſi hoſtipes, id eſt, oſtio pedem inferens, an ab hoſte, hoc eſt, peregrino? *Quodl.*

Significationiſqué, tam activæ, quàm paſſivæ? *Aff.*

Sed univerſé magis activæ, quàm paſſivæ? *Aff.*

Annon apud Græcè loquentes detur diſcrimen inter ξενίαν & ἰδιοξενίαν? *Aff.*

Itemné apud Latinè loquentes inter hoſpitium & hoſpitiolum? *Aff.*

Fortean, quòd illud publicum, hoc privatum? *Aff.*

Atque adeò, annon hoſpitia priſcis temporibus publicè fuerint dari ſolita? *Aff.*,

Consequenterqué hospitii necessitudo olim non solùm inter privatos fuerit contracta, sed etiam inter populos? *Aff.*

Quin immò inter singulos homines & civitates? *Aff.*

Onúsné patrimonii, an personæ? *Aff: Prius.*

Ideoqué ad heredes transitorium sive transmissorium? *Dist.*

Commutatio Pecuniæ pro Pecuniâ dicitur Χρηματιστικὴ τις, *Numularia præcisè atque abscissè sumta, modus acquirendi ordinarius artificialis, quo rem familiarem paramus permutatione, id est, locatione sive locitatione pecuniæ pro pecuniâ.*

Species ejus famosæ duæ sunt: Ὁ Τοκισμὸς, *Usura,* & ἡ Κολλυβιστικὴ, *Cambium.*

An numularia sit ordinarius & legitimus modus acquirendi? *Aff.*

Itemné Pensionaria eorum, qui ex reditibus suis annuis vivunt? *Aff.*

Annon interim pensio differat à reditu? *Aff.*

Hic ab usufructu? *Aff.*

Fructuqué? *Aff.*

Proventuqué? *Aff.*

Usuraqué? *Aff.*

Usura est modus acquirendi artificialis, quo rem familiarem paramus permutatione, id est, expositione pecuniæ pro pecuniâ.

Estqué

Estque vel Compensatoria, vel Punitoria.

Usura Compensatoria est, quæ præstatur, ut sarciat ac resarciat justum interesse, quod habet creditor, eò quòd pecuniâ suâ careat, dum eâ debitor utitur: Propter indemnitatem, inquam, mutuò dantis, mutuationisque indebitum officium.

Usura Punitoria est, quæ propter moram non solventium, pro pœnâ, aut à lege, aut ab homine, infligitur.

An usura sit ordinarius & legitimus modus acquirendi? *Aff.*

Præsertim taxata ac prætaxata? *Aff.*

Quæqué per modum, sive sub formâ, emtionis & venditionis exercetur? *Aff.*

Et in quâ ex creditoris parte hæc duo concurrunt, ut neque quæstus causâ ab illo sit facta, ejusqué interfit, usu pecuniæ suæ caruisse, ex debitoris verò parte, ut non modò damnum in exercendâ pecuniâ non senserit, verùm etiam lucri aliquid per ejus pecuniæ occasionem perceperit? *Aff.*

Annon his positis ac præsuppositis in mutuo, ratione ejus, quod interest, possit aliquid peti supra sortem? *Aff.*

Etiam à pauperibus, qui parum distant à mendicis? *Neg.*

Indigentibusqué, qui possunt aliquandò reddere? *Dist.*

Saltem iis, qui negociationes exercent, exqué his lucrum accipiunt? *Aff.*

Vel ante moram? *Aff.*

Immò etiam poſt moram? *Aff.*

An ergò debitor poſſit puniri, propter damnum creditoris, ex morâ ſolutionis? *Aff.*

Etiam præſumtum? *Neg.*

Annon ſaltem, ſi indubitatum & propinquum creditoris damnum, vel lucrum, propter mutuationem ceſſans, appareat, rectè permittatur ſtipulatio de eo quod intereſt, etiam ante moram? *Aff.*

Convenienterqué ex futuro tempore moræ liceat ſtipulari pœnam? *Aff.*

An hæc pœna ad priores ſolutas uſuras poſſit trahi, retrotrahi? *Neg.*

Aut ab eâ excuſetur debitor ex eo, quòd adfuerit minor, cui ſolvere non potuerit? *Neg.*

An jure hoc pœnali ſeu punitorio quoque etiam poſſit uti mercator venditor, exquè morâ ſemeſtrali, vel paululùm diuturniori, percipere uſuras precii ab emtore pœnæ loco? *Neg.*

Accipiat quis centum eâ conditione atq; lege, ut, niſi eadem centum intra calendas Martias perſolvat, decem præſtare nomine pœnæ teneatur, intraqué eum diem calendarum partem debiti totius exſolvat, quæritur, annon ceſſet integra pœ-

næ præſtatio, quamvis ſummo jure agi poſſet, ut tota præſtetur? *Aff.*

An jus hoc exigendæ pœnæ, ob negligentiorem ſolutionem, eò uſq; ſe extēdat, ut liceat creditori ex pacto propriâ autoritate ingredi poſſeſſionem, apprehendere rem, atque accipere in ſolutum, pro debiti quantitate? *Diſt.*

Et vel cuſtodiæ mancipare debitorem? *Diſt.*

Annon mora, mercatori facta, ut tali, graviori pecuniæ ſummâ debeat puniri, quàm ea, quæ facta eſt non mercatori, v. g, illuſtri? *Aff.*

Aut, annon quis citiùs ſolvere poſſit, quod debet, adeoqué tempus ſolutionis queat occupare? *Aff.*

Verùm cum onere ſcilicet? *Aff.*

Itemné, ſi quis acceperit mutuum ſub uſuris, cum pacto ſpeciali, ne intra annum ſolvat? *Aff.*

Dico mutuum ſub uſuris: An ergò aliud uſura, aliud mutuum? *Aff.*

Contractuſqué ſpecie differens uſura à mutuo? *Aff.*

Hoc à commodato? *Aff.*

Annon interim analogus mutuo, ut commodatum locato? *Aff.*

Alienationé rei ſimpliciter mutuum, an verò ſecundum quid tantùm, ſecundum, inquam, individuum ſeu ſpeciem, an

verò genus ſeu æquivalens? *Aff:Prius.*

Et ſi, ad idemné reddendum obligemur in mutuo, an verò ad tantundem? *Aff: Poſt.*

Universè, an uſura ſit res per ſe mala, actio, inquam, per ſe ac ſuo genere mala, an verò media, ita ut ab uſu vel abuſu judicetur, & moderatio quidem probetur, exceſſus verò damnetur? *Aff:Poſt.*

Iuriqué adeò Naturali, Divino, Canonico, Civili non non conſentanea, putà, ſi modus ſeu moderatio adhibeatur? *Aff.*

Iuri Naturali hactenus, ut quod non poſtulet gratis quid dari, gratis quid utendum concedi, cujus lucroſa & fructuoſa futura ſit uſurpatio, quodqué in his, quorum dominium nobis ſervamus, reſervamus, aliquid pro uſu ſumere permittat, v g, pro locatione ædium, navis, equi veredarii, aureis atque argenteis vaſis? *Aff.*

An ergò uſus rei ſit diſtinctus à re? *Aff.*

Conſumtio à conſumibilitate, id eſt, generatione lucri, quod ex conſumtione gignitur? *Aff.*

An vel illa, vel iſta, non ens, ita ut, qui quid utendum dant ſub uſuris, ex eo, quod non eſt, neque unquam fuit, generent, dequé nihilo aliquid efficiant? *Neg.*

Anno

Annon, si minùs contra naturam communem, saltem contra naturam singularem pecuniæ, quæ, cùm sit organum commutationis, interveniente usurâ fieri videtur res commutabilis, cùm sit precium mercis, fieri videtur ipsa merx, cumqué sit res sterilis, gignere videtur ex se aliud atque alterum? *Neg: Prius. Aff: Post.*

Atque adeò, an pecunia reverà sit res sterilis? *Dist.*

Saltem Physicè, si non Ethicè? *Aff.*

An hoc impediat, quò minùs sit fructuosa Ethicè, id est, usu, cùm sit infructuosa Physicè, id est, naturâ? *Neg.*

Sicut mulam sterilem dicimus naturâ, cùm tamen ex ejus locatione liceat capere percipere fructum, domum sterilem arte, cùm tamen ex ejus locitatione liceat agere exigere mercedulam? *Aff.*

Convenienterqué pecunia, licet non habeat usum activum, habeat tamen passivum? *Aff*

Respectu negociationis non ampliùs res sterilis, verùm ultra ac præter simplicem functionem alias functiones habens? *Aff.*

Iuri Divino hactenus, ut quod non vetet usuram simpliciter, sed mordacem? *Aff.*

An usuræ simplici obster, vel lex Mosis

generalis, non occides, non furtum facies, non concupiſces, vel ſpecialis de uſuris? *Neg.*

Et, annon hæc certo ac circumſcripto ſubjecto fuerit accommodata? *Aff.*

Neque nos liget ſimpliciter? *Aff.*

Annon ſaltem ejus ratio nos liget atque obliget? *Aff.*

Itemné, ſimilitervé, vel dictum Pſalmiſtæ, quo beatus prædicatur, qui pecuniam non dedit ad uſuram, vel parallelum dictum Chriſti, quò jubemur mutuum dare, nihil inde ſperantes? *Diſt.*

Conſiliumné dictum hoc contineat, an edictum ſive præceptum? *Aff: Poſt.*

Dequé ſorte agat, an verò appendice ſortis? *Aff: Utr.*

Iuri Canonico hactenus, ut quod non damnet indifferenter omnem uſuram, non utique liquidum intereſſe, ſed tantùm eam uſuram, quando pro ſolo mutuationis officio quid ſumitur lucri, lucrandi animo? *Aff.*

Annon, ut ſic, intereſſe Canonicum reverà ſit Iureconſultorum uſura compenſatoria, nihil ſignificans aliud, quàm penſationem damni emergentis, lucrivé ceſſantis, ob mutuationis officium? *Aff.*

Iuri Civili hactenus, ut quod non tam improbet uſuram, quàm uſurariam? *Aff.*

Et ſi, an ergò ejus, tanquam rei diſpenſabilis,

ſabilis, determinatio atque taxatio ſit fori civilis, ſive juris civilis? *Aff.*

Verùm anagogicè ad ius Dei & naturæ, legem, inquam, præſcriptam & inſcriptam? *Aff.*

Atque adeò, an jus civile, vel legislator Politicus, poſſit concedere uſuram, quæ contraveniat, vel illi, vel iſti? *Neg.*

Quæqué uni parti proſit, alteri noceat? *Neg.*

Annon interim majorem uſuram concedere poſſit illis in locis, ubi majus ex pecuniæ uſu percipi ſolet emolumentum? *Aff.*

Siqué alio modo publicis neceſſitatibus nequeat ſubveniri? *Aff.*

An reſcripta moratoria eam tollant? *Neg.*

Edictumqué reprobatorium monetale? *Neg.*

Atque adeò, an debitor poſſit ſolvere pecuniâ tali, quam ſcit brevi reprobatum iri? *Neg.*

Maximè, ſi citò, atque ante terminum factâ ſolutione, antevertere velit illud edictum? *Neg.*

Quomodo uſurarum modus conſtitui debeat, ex morené regionis, ubi contractum eſt, an ubi petitur? *Diſt.*

An idem quoque etiam teneat in ſortis æſtimatione? *Diſt.*

Depo-

Depoſitarius, pecuniâ utens, plus lucretur, quàm communes uſuras, quæritur, an id faciat deponenti? *Diſt.*

Promittantur alicui centum dotis nomine poſt tres annos, eoqué tempore non ſolvãtur, quæritur, curratné uſura ex nunc, an ex tunc? *Diſt.*

Detur anno currente agricolæ alicui modius frumenti mutuò, ut anno vertente modium cum octavâ parte uſuræ nomine reddat, quæritur, an teneatur ad ſolutionem octavæ? *Diſq.*

Det alius cui mutuò argentum fabrefactum, quæritur, an is poſſit æſtimare inſimul artificium? *Neg.*

Sit quis alicui obligatus ex aliquo contractu, ut ſolvat annuatim denarios certos groſſos, vel in tali monetâ, quæ eſt majoris valoris, perqué triginta integros annos ſolverit de aliâ monetâ, valoris ac ponderis minoris, quæritur, annon is intelligatur præſcripſiſſe jus ampliùs non ſolvendi de meliori monetâ? *Aff.*

Non petierit alius ex benè longo tempore uſuras, quæritur, an has nihilominus poſſit petere? *Diſt.*

Saltem repetere ſortem? *Aff.*

Et, an huic quoque poſſit præſcribi? *Diſt.*

Cambium eſt modus acquirendi ordinarius artificialis, quo rem familiarem paramus

mus permutatione, id est, prænumeratione ac præministratione pecuniæ pro pecuniâ, idque viâ repræsentationis, quam sic vocant. Græcis Κόλλυβος *dicitur, quæ vox denotat deductionem sive detrimentum pecuniæ, quod ex summâ apud numularios manet, cum pecunia ad exteras gentes est exportanda, & apud eos aliis numis commutanda, verbi gratiâ, argentea moneta aureâ, aut genera pecuniæ antiquata, vel quovis modo repudiabilia in unâ provinciâ, aliquo alio genere rato receptoque in ea provinciâ, idquè vel ob mercedem, vel quia ipsorum interest, pecuniam, quam permutationis vice exhibent, potiùs retinere, ob mirabilem illum Vertummum, & Protea in horas mutabilem, pecuniam: sic dictus* παρὰ τὸ κολλᾶσθαι βοῦν, *quòd pecuniæ illi collybisticæ quasi agglutinatus esset bos, hoc est, imago bovis incusa incussavè.*

An cambium sit ordinarius & legitimus modus acquirendi? *Affi.*

Et quidem perneceſſarius, ut quem ipſa indigentia humana introduxerit, ut ſic ſecuritati ac ſaluti viatorum, peregrinantiumqué, & in genere mercatorum, conſuleretur? *Affi.*

An contra naturam pecuniæ? *Neg.*

Permutationiſqué? *Neg.*

An ſaltem ab hâc differat? *Affi.*

Ita ut permutatio ſit vocabulum generis, cam-

cambium verò ſpeciei? *Aff.*

An vox Latina? *Neg.*

Veteribuſqué Iureconſultis cognita? *Neg.*

Annō interim interpretū & vulgi uſu receptiſſima, præſertim apud Feudiſtas? *Aff.*

Sicut verbum cambire, campſare, cambitor, campſor? *Aff.*

Annon videatur deductum à Græco κάμπτειν, quod eſt flectere? *Diſq.*

Τὸν Ὀβολοσταπιλὸν ἢ Δανεισμὸν, *Fœneratoriam Trapeziticā ſivè Daniſticā, hoc eſt, Uſurā Lucratoriam, quæ exmutuo contra naturā contractus improbius lucrū facit, acceptis pignoribus, ſecura periculi, tanquā minùs probatū, minuſquè probandū acquirendi modum, hinc in Morboniam abire jubemns: Sicut & τὸν Ἀνατοκισμὸν, Superuſurariā, quæ ſemper creſcendo ſortem, nenunquam exolvatur, veluti mergit.*

An fœneratoria trapezitica ſive daniſtica ſit ordinarius & legitîmus modus acquirendi? *Neg.*

Negociatioqué juſta? *Neg.*

An pars Oeconomiæ? *Neg.*

Inſtrumentumvé? *Neg.*

An conſentanea Iuri Naturali, Divino, Canonico, Civili Poſitivo? *Neg.*

Et, ſi non, an ergò contraveniat æquitati naturali, proportioniqué juſtitiæ commutativæ, quæ exigunt, ut in rerum commutationibus ita ſervetur æqualitas, ne al-

tera pars commutantium ab alterâ injustè circumveniatur? *Aff.*

An hanc æqualitatem servet fœneratio? *Neg.*

Et, annon crescat in infinitum, à quo abhorret natura? *Aff.*

Verè fœnus, id est, fœtus? *Aff.*

Immò funus? *Aff.*

Ut quod ex alieno damno & jacturâ, ex negociatione, inquam, incertâ certum lucrum captet? *Aff.*

Dominoqué invito ex re alienâ fructum quærat? *Aff.*

Idqué sine periculo? *Aff.*

Hominemqué tantum non vivum excoriet? *Aff.*

Contra prohibitionem divinam, & propheticum interdictum, quibus vetamur, ex creditis pecuniis tale compendium aucupari, aqué paupere fratre pignus accipere? *Aff.*

Annon interim Iudæis fuerit permissum, stãte legis sanctione de re fœnebri, ut usuram caperent ab alienigenis? *Aff.*

Sed permissum scilicet, sicut divortium? *Aff.*

Atque adeò, annon fœnerationem quoque damnet Ius, quod vocant, Canonicum? *Aff.*

Fœneratoresqué excommunicationis infamiâ notet? *Aff.*

Neque

Neque hos tantùm, ſed cooperantes quoque in fœnore, auxiliumqué præbentes uſurarum extorſioni? *Aff.*

Næ convenienter Iuri Civili, verè civili? *Aff.*

An ergò & ipſum infames pronunciet uſurarios, fœneratorumqué ratiocinia exercentes? *Aff.*

Atque adeò, annon uſurarii in benè moratâ civitate poſſint puniri, vel criminaliter? *Neg.*

Minimùm tunc, ſi malitia adſit, & habitus fœnerandi? *Diſq.*

Saltem ad reſtitutionem & ſatisdationem adigi? *Aff.*

Et vel quadruplione multari? *Diſq.*

Exterminiové? *Diſt.*

Nominatim illi, qui centeſimam uſuram exercent, id eſt, non ſimplarem, ſed duplarem? *Aff.*

Majoremvé? *Aff.*

An magiſtratui in hujus argumenti deciſione liceat magiſtrare, hoc eſt, definire uſuræ modum pro libitu? *Neg.*

Arbitramentoqué Politico? *Neg.*

Et, ſicut mitigare, ita exaſperare? *Diſt.*

Si minùs præter atque ultra modum, minimùm intra? *Aff.*

Annõ universè præſtet, collybũ potiùs in ejus locum inſtituere, Montemqué Pietatis erigere? *Aff.*

Vel

Vel aliâ ratione commodis ſubditorum conſulere? *Aff.*

Prohibere quin lege etiam τὸν ἀνατοκισμὸν, uſuram uſuræ? *Aff.*

Manusculorumqué acceptilationem? *Aff.*

An protinùs ſit uſura uſuræ, ſi minori uſuræ, non hâc die ſolutæ, major ſuccedat, legitima tamen? *Neg.*

Annon uſuræ uſurarum ſimile, quicquid ultra taxationem ligitimam commodi habet creditor, damno debitoris? *Aff.*

Vel, ſi pecuniam leviori uſurâ quis mutuetur, & mox majori locet? *Aff.*

Annon ſaltem tunc uſura uſuræ ſubſiſtat, cùm in ſortem redigitur, neque uſuræ, ſed ſortis, habet rationem? *Neg.*

Cumqué legitimus modus uſurarum capitalium non exceditur? *Neg.*

Redeo ad munuſcula: Annon hæc liceat aliquandò capere, nominatim in mutuo gratuito? *Aff.*

Adeoqué, an liberalis & merè ſpontanea debitoris remuneratio, debeat dici uſura, ac nõ potiùs mera donatio? *Aff: Poſt.*

Donum, inquam, non munus? *Aff.*

Itemné, ſi creditor eâ ſolâ ſpe, & quidem principaliter, ab initio motus ac commotus fuerit ad mutuandum? *Aff.*

Quid de auctionibus, ſectionibusqué

hoc

hoc eſt, venditionibus, quæ fiunt licitatione, id eſt, aucto à minimâ quantitate ad majorem à licitatoribus precio, eâ lege, ut res tradatur plus offerenti, ſub eandemné cum daniſmo vel anatociſmo cadunt rationem? *Neg.*

Legemqué? *Neg.*

Prohibitionemqué? *Neg.*

An idem illa, quod iſta, auctio, quod ſectio? *Neg.*

Hæc, quod ſubhaſtatio? *Diſt.*

Et, annon ſectio videatur ſucceſſiſſe in locum dimembrationis, hoc eſt, debitorum in partes ſectionis ſic dicta à ſecando, quòd haſtâ poſitâ obæratorum fortunæ ſecarentur, id eſt, diſtraherentur, vociqué præconis ſubjicerentur, per auctionarias tabulas, & programmà publicum? *Aff.*

An ergò aliquæ partes hîc fuerint præconis? *Aff.*

Fortean illæ, ut ad haſtam ſtans nunciaret precia oblata? *Aff.*

Annon præter hunc ſuas quoque partes habuerit coactor, collector ſive collectarius, convectarius, cujus erat, exigere precium in auctionibus ab iis, quibus res ſingulæ attributæ erant, atque ita pecunias cogere, colligere, collectare, convectare? *Aff.*

Annon coactoris nomine ſubindè quo-

que

que veniat is, qui modico precio mala nomina redimit, publicanorumqué reliqua, quæ illi, vel ob graviores curas, vel ob procraſtinationem debitorum, nequeunt exigere, exigit? *Aff.*

Argentariorum, inquam, qui, ceu divites, ſummam rerum poſſident, miniſter mercenarius? *Aff.*

Argentariæqué menſæ exercitor? *Aff.*

Atque adeò, annon ad argentariorum tabernas auctiones olim fuerint fieri ſolitæ, rerum, non ad eſum, ſed ad uſum, pertinentium? *Aff.*

Universè, annon in materiâ de numis, morando in his, qui eos publicè privatimqué, & olim tractârunt, & nunc tractant, differant, collybiſta ſive cambitor & campſor, numularius & menſarius, hic & argentarius? *Aff.*

Et ſi, annon cambitor propriè, qui cambit, campſor, qui campſat? *Aff.*

Numularius, qui majoris precii numis acceptis, numulos, id eſt, minuſculam pecuniam pro majuſculâ permutat, atque ita numariam mercaturam exercet, faciendo quæſtum mutandis commutandis pecuniis, menſarius verò is, qui publicâ autoritate fidequé numariam negociationem exercet, poſitis tabernis ac menſis in foro cum ære, adeoqué publicam rationem conficit, cùm argentarius privatam,

nego-

negociationiſqué privatæ? *Aff.*

CAPUT XII.

Ἡ Κτητικὴ Mixta, id eſt, partim Naturalis, partim Artificialis. Ejus tres ſpecies: Lignicidina, Lapicidina, & Metallica. Harum Definitiones. Dubia, ſeu Quæſtiones Cõtroverſæ, incidẽter & pro re natâ.

Modus Acquirendi Ordinarius Mixtus eſt, qui partim fit per media naturalia, partim per artificialia, Naturalis, quoad materiam, Artificialis, quoad formam.

Eſtque triplex numero. Continet enim τὴν Ὑλοτομικὴν, *Lignicidinam*, τὴν Λατομικὴν, *Lapicidinam*, & τὴν Μεταλλευτικὴν, *Metallicam.*

An ἡ κτητικὴ mixta universè magis ſit naturalis, quàm artificialis? *Neg.*

Ἡ Ὑλοτομικὴ ἢ Ὑλοτομία, *Lignicidina, eſt modus acquirendi ordinarius mixtus, quo rem familiarem paramus ex cæſurâ lignorum, ſeu ſilvis cæduis.*

An lignicidina ſit ordinarius & legitimus modus acquirendi? *Aff.*

An privatus ſeu privatorum? *Diſt.*

Annon

Annon differant, lignicida, lignator, lignarius, & faber lignarius? *Aff.*

ἡ Λατομικὴ ἢ Λατομία, *Lapicidina, est modus acquirendi ordinarius mixtus, quo rem familiarem paramus ex cæsurâ lapidum, seu lapidibus cæduis.*

An lapicidina sit ordinarius & legitimus modus acquirendi? *Aff.*

An privatus seu privatorum? *Dist.*

An rectè à nonnullis sub unum genus redigatur cum metallicâ? *Neg,*

Annon interim metalli nomine generalissimè accepto quoque etiam comprehendantur lapides? *Aff.*

Ipsa quin etiam arena? *Aff.*

Et terra metallaris? *Aff.*

Annon minùs minusqué ductiles, quàm metalla? *Aff.*

Immò vix ductiles? *Aff.*

An liquescant? *Dist.*

Saltem aliqui? *Aff.*

Accessorio putà ignis calore, eoqué maximo? *Aff.*

E solâné terrâ constent, an verò etiam ex aquâ, aëre, & igne? *Aff.*

Annon crescant? *Aff.*

Etiam excisi? *Neg*

An nutriantur? *Neg.*

Vivantvé? *Neg.*

Ideoqué, cum crescunt, non crescant per alimenti intraassumtionem, ut viventia,

tia, verùm per juxtaappoſitionem ? *Aff.*

Ἡ Μεταλλικὴ, *Metallica, eſt modus acquirendi ordinarius mixtus, quo rem familiarem paramus ex foſſurâ metallorum, & mineralium omnis generis*

An metallica ſit ordinarius & legitimus modus acquirendi ? *Aff.*

An privatus ſeu privatorum ? *Diſt.*

Annon differant metallarius & metallicus ? *Aff.*

Metallum item & minerale ? *Aff.*

Hoc & minera ? *Aff.*

Ita ut minera ſit vena metallica, ipſa quin metallorum fodina in genere, minerale verò id, quod in venis, fodiniſqué? *Aff.*

Unde nam τὸ μέταλλον, indené, quòd μετ' ἄλλο, id eſt, ubicunque inventa vena eſt, non procul inde inveniatur alia, vel quòd horum ſcrutatio excogitata demùm ſit poſt alia vitæ utilia, vel quòd unum poſt aliud fiat, aliaqué pars ex aliâ trahatur, an verò à verbo μεταλλαγεῖν, quod eſt commutare ? *Diſt.*

Atque adeò, an per metallum intelligatur ipſa auri argenti ſtanni plumbi æris ferri materia, an verò horum fodinæ ? *Diſt.*

Universè, atque in theſi, annon omne metallum ſit corpus foſſile, ſimilare, fuſile, ductile ? *Aff.*

Continuumqué ? *Aff.*

Id-

Idqué continuitate triplici, & eâ, quæ eſt à propinquitate partium, quâ fit denſitas, & eâ, quæ à duritiâ, quâ fit reſiſtentia, & eâ, quæ à glutinoſitate, quâ fit pertinacia cohæſionis? *Aff.*

Annon gravius terrâ, putà eâ, quæ reperitur? *Aff.*

Etiamné purâ? *Neg.*

An creſcat? *Aff.*

Etiam exciſum? *Neg.*

Nutriaturvé? *Neg.*

Saltem nutriat? *Neg*

Vivatvé, licet non nutriat, nec nutriatur? *Neg.*

Quid de pulvere metallico Alchymiſtarum non fucato, metallumné? *Neg.*

Minimùm aliquid metalli? *Neg.*

An ejus virtutis atque operationis, ut arte accedente ad naturam potis ſit facere aurum ex non auro? *Neg.*

Et quodnam optimæ notæ, generoſiuſqué cæteris, illudné, quod in montium ruinis inſtar germinis alicujus, filamenti ſpecie, provenit, an iſtud, quod è puteorum ſcrobibus effoditur, ac non potiùs hoc, quod è fluminibus aurifluis excipitur, curſu ipſo fluminis perfectionem ejus adjuvãte? *Aff: Poſtr.*

Ita, ut auro comico Alchymiſtarum nihil ſit opus? *Aff.*

Plura ſis vide ſuprà de metallis in

ſpecie, cap: II. *pag:* 373. *& ſeqq:* quæ huc repete, adhibito iterum judicio Philoſophico.

CAPUT XIII.

H^c Κτητικὴ Extraordinaria, diviſa in Directam & Indirectam. Vtriuſque ſpecies aliquot famoſæ. Dubia, ſeu Quæſtiones Controverſæ, incidenter & pro re natâ.

MOdus Acquirendi Extrarodinarius eſt, qui fit extraordinariè, id eſt, per legitima quidem, ſed minùs familiaria ac conſueta media.

Eſtque vel Directus, Indirectus.

Modus Acquirendi Extraordinarius Directus eſt, quo res familiaris paratur comparatur, directè quidem, ſed non ordinariè, veluti per Dotem, Donationem, Legatum, Hereditatem, Occupationem, Captionem ſeu Captivitatem, Inventionem Theſauri, &c.

An acquiſitoria, quæ fit per dotem, donationem, legatum, hereditatem, occupationem, captionem ſeu captivitatem, inventionem theſauri, ſit ordinarius & legitimus modus acquirendi? *Neg: Prius: Aff. Poſt.*

Saltem extraordinarius? *Aff.*

An

An ergo homini marito liceat capere dotem, compendiumqué inde quærere? *Aff.*

Fructuſqué rerum dotalium percipere? *Aff.*

Annon, & illorum, & harum is dominus ſit civiliter? *Aff.*

Abſolutuſné? *Diſt.*

Minimùm tunc, ſi adulterio ſe polluat uxor? *Aff.*

Annon hoc in caſu lucretur dotem? *Aff.*

Dotaliaqué bona? *Aff.*

Vel ſuperſtite conjuge? *Aff.*

An rectè ea, (putà dos,) numeretur inter donationes ab antiquis? *Neg.*

Vel ſimplices? *Neg.*

Et, ſi non, an ergò dos differat à donatione ante nuptias, ſive propter nuptias? *Aff.*

Atque adeò, annon donatione propter nuptias comprehendatur in genere omne lucrum dotale, quod conjux ſuperſtes ſibi paciſcitur in bonis primùm morituri? *Aff.*

Et, ut ſic, ſoluto matrimonio, donatio propter nuptias maneat apud conjugem ſuperſtitem ad vitam ejus? *Aff.*

Annon interim, non ſequente matrimonio, res donata ſit reſtituenda à viro, nolente contrahere? *Aff.*

Quid de donationibus, factis inter virum & uxorem, constante matrimonio, rectené sunt prohibitæ? *Aff.*

Itemné donationes, quæ fiunt mortis causâ, id est, non tantùm causâ infirmæ valetudinis, verùm etiam periculi propinquæ mortis, vel ab hoste, vel à prædonibus, vel ab hominis potentis crudelitate, odiové, aut navigationis ineundæ ergò, aqué ituro per loca insidiosa, ætatequé fessо? *Neg.*

Sive suæ tantùm mortis causâ illæ fiant, sive alterius? *Neg.*

Annon pœnitentia heic habeat locum? *Aff.*

Revocatioqué, cùm aut pristinæ incolumitati restitutus est, qui donavit, aut prior decessit, cui donatum est? *Aff.*

Eaqué tam expressa, quàm tacita? *Aff.*

Quid de donationibus inter vivos, etiamné hîc pœnitentia habet locum? *Neg.*

Annon saltem revocari possit ob ingratitudinem donatarii? *Aff.*

Vel si donator adjiciendo adjecerit clausulam, irrevocabiliter? *Aff.*

Donatioqué sit jurata? *Aff.*

Universè, annon donatio sit contractus juris gentium, solo, inquam, jure gentium institutus, gratiâ dominii, sine ullâ, præterquam liberalitatis ac munificentiæ, causâ in aliquem transferendi? *Aff.*

Et si,

Et ſi, an ergò donationes fieri debeant ex merâ liberalitate, nullo jure cogente? *Aff.*

Annon hodiè donatio perficiatur ſolo conſenſu? *Aff.*

Donationiſqué obligatio contrahatur nudo pacto? *Aff.*

Atque adeò, annon in hâc materiâ differant donatio & donum, ita ut donatio ſit quaſi doni datio, donum verò datum donantis? *Aff.*

An neceſſe ſit, ut ad donationem inde accedat rei traditio, hinc acceptio? *Aff.*

Conſequenterqué donatio abſenti haud aliter rectè fiat, quàm ſi abſens rem ſibi miſſam acceperit, vel apud ſe jam conſtitutam ſibi donatam ſciverit, donantiſqué liberalitatem agnoverit, ratamqué & gratam habuerit? *Aff.*

Annon peræquè differant donum & munus? *Aff.*

Ita ut donum ſit nomen generale, munus verò donum cum causâ, putà natalitium, nuptiale, donum genus, munus ſpecies, donum voluntarium, quod nullâ neceſſitate, jure, officio, ſed ſponte præſtatur, quod ſi non præſtetur, nulla reprehenſio ſit, ſin præſtetur, plerunque laus inſit, munus verò neceſſarium, lege, imperio, more, illud plus, hoc minus, illud rerum

majorum, hoc minorum, illud rerum absentium, hoc præsentium, illud ferè deorũ, hoc hominum, aut utrumque quidem deorum, sed illud superiorum, hoc inferiorum scilicet? *Aff*: *Saltem Disq.*

Omne, inquam, munus donum, non contrà? *Aff.*

Ideoqué, quæ muneri dantur, etiam dono dentur, non contrà? *Aff.*

Annon interim munus honorarium sit & cluat idem, quod donum gratuitum? *Aff.*

Uti & legatum, præsertim pium, quod religioni, bonis litteris, aut paupertati relinquitur? *Aff.*

An idem cum donatione, quæ fit mortis causâ? *Neg.*

Hereditatevé? *Neg.*

Et, si non, annon hereditas sit successio in universum jus, quod defunctus habuit tempore mortis, legatum verò delibatio quædam illius hereditatis, quâ testator ex eo, quod universum heredis foret, alicui quid collatum vult? *Aff.*

Donatio, inquam, à defuncto in ultimâ voluntate relicta, ab herede præstanda? *Aff.*

Omniané legata sint ejusdem naturæ specificæ? *Neg.*

Ideoqué ademtum differat à translato, utrumque, à caduco? *Aff.*

Ita ut legatum ademtum sit, quod testator

tor adimit legatario voluntate mutatâ, trāſlatum, quod legatario ademtum transfert in alium, caducum verò, quod defuncto eſt relictum, quem teſtator in vivis eſſe credebat, aut ei, qui prius, quàm teſtator, deceſſit, cumqué res legata non invenitur, vel legatarius legatum reſpuit, conditiové, ſub quâ quid eſt relictum, defit, aut capitales utrinque oboriuntur inimicitiæ? *Aff.*

Caducum porrò ab inutili, cum deficit legatum, vel ex perſonâ legantis, aut ejus, cui quid legatur, vel ex re, quæ legatur, ut, ſi uterque ſit inhabilis, & qui legat, & cui legatur, reſqué legata ſit ſacra, vel propria ejus, cui relinquitur? *Aff.*

Itemné hereditas ab hereditatis aditione? *Aff.*

Ita ut hereditas ſit juris, hereditatis aditio facti? *Aff.*

An adeunda præcisè, & quidem intra dies centum? *Neg.*

Aut ab inteſtato, cùm ex teſtamento eam liceat adire? *Neg.*

Atque adeò, annon hereditatem paternam poſſit recuſare filius, & adire fraternam? *Aff.*

Itemné avitam? *Diſt.*

Universè, annon adeatur hereditas, cum heres eam ſe accipere, vel dicto, vel facto, teſtatur? *Aff.*

Contrà verò repudietur, cum is, ad quem delata est, eam adire recusat? *Aff.*

Aut se ab eâ tempore excludi est passus? *Neg.*

Annon interim hereditas defuncti non adita fiat caduca? *Aff.*

An possit usucapi? *Neg.*

Minimùm res hereditariæ? *Aff.*

An ergò aliud hereditas, aliud res, quæ hereditate acquiruntur? *Aff.*

An harum nomine etiam veniant nomina? *Aff.*

Hereditatisqué adeò appellatione etiam contineatur damnosa? *Aff.*

Convenienterqué ea adita obliget æri alieno adeuntes, etiamsi non sit solvendo? *Aff.*

An viventis? *Neg.*

Ideoquè non deferatur, nisi successione? *Aff.*

Annon inferat dominium? *Aff.*

Sic dicta, vel ab erâ, id est, terrâ, vel ab hero, id est, domino, vel ab ære? *Disq.*

An appellatione heredis tantùm veniat filius, id est, heres proximus? *Neg.*

Annon quoque heredis heres, id est, heres remotus? *Aff.*

Et postea-nati? *Aff.*

Omnes quin immò successores? *Aff.*

Neque masculi tantùm, sed etiam fœminæ? *Aff.*

Non

Non ſcripti tantùm heredes, verùm etiam nuncupati? *Aff.*

Neque inſtituti tantùm, verùm etiam ſubſtituti? *Aff.*

Ab hereditatis aditione, quæ occupatio quædam, juvat vicinitatis jure tranſitum facere ad occupationem in genere: Ecquid, annon & ipſa eſt apprehenſio rei juſta? *Aff.*

Sed rei ſcilicet, quæ nullius eſt, quæquè in medio poſita in neminis privatim eſt bonis? *Aff.*

Atque adeò, annon occupare propriè ſignificet id, quod in commune erat, ante alios capere? *Aff.*

Convenienterquè, annon occupationis titulo protinùs ſua fecerint, qui primi in vacua venerunt? *Aff.*

An ſolâ apprehendentis voluntate conſtet occupatio, an verò præter apprehenſionis animum deſideret alium titulum? *Aff: Prius: Neg: Poſt.*

An idem, quod invaſio? *Neg.*

Et annon, ut nunc res ſunt, ordinariè occupentur mobilia, invadantur immobilia? *Aff.*

Etiam captivitas ſeu captio occupatio quædam, jure belli quæ fit, ſive ea ſit hominum, ſive rerum: Ecquid, an ergò hoſti liceat eripere, tam homines, quàm res, tam res, quàm homines? *Aff.*

Utqué prædæ quid ſit, ſufficiat illud hoſtile eſſe? *Aff.*

Neque referat, utrùm is, qui capitur, ſit liber, an ſervus, res, quæ capitur, mobilis, an immobilis, ſacra, an profana, privata, an publica? *Aff.*

Atque adeò, annon liberi homines captivitate fiant ſervi capientium, libertatequé amiſsâ, qui in dominio antè non erant, interventu captivitatis in dominio eſſe incipiant? *Aff.*

Quiqué ante captivitatem ſervi erant alterius, poſt captivitatem ſervi fiant capientis? *Aff.*

Quæqué ante captionem res erant alterius, poſt captionem fiant occupantium, militum, ſi mobiles, principis, ſi immobiles? *Aff.*

Itidemné res ſacræ, & religioſæ, modò capientibus deſinant eſſe tales? *Aff.*

Et conſequenter res privatorum, ſacro commendatæ? *Aff.*

Quæqué in prædâ ſunt? *Aff.*

Neque primò à nobis profectæ, verùm ab hoſtibus captæ? *Aff.*

Aut poſt fœdus demùm captæ, quo de milites, in terris remotioribus verſantes, nihil dum ſcire potuerunt? *Aff.*

Alterutrum ſi ſit, ſi qua recuperentur ex hoſtium poteſtate, annon ea redeant ad priores dominos jure poſtliminii, quod ſic vocant? *Aff.* Sive

Sive hoſtibns devictis ea recuperentur, ſive nondum devictis, ſive finito bello, ſive ſtante & durante? *Aff.*

Etiam inventio occupatio quædam eſt, verùm rerum aliarum, quàm animatarum: Ecquid? an ergò inventione intervenientе res fiant occupantis, quæ aliquandò alicujus fuerunt, ejus autem eſſe deſierunt, ita ut, cum occupantur, nullius ſint, vel nullius unquam fuerunt, alīcujus tamen eſſe poſſunt? *Aff.*

Convenienterqué fiat ejus, qui invenit, quod non ſit alterius? *Aff.*

Nominatim theſaurus, id eſt, depoſitiva pecunia, quæ longâ vetuſtate competentes dominos amiſit? *Aff.*

Et in genere mobilia, condita ab ignotis dominis, tempore vetuſtiori? *Aff.*

An dici poſſit theſaurus, etiamſi multò minus, quàm immemoriale, tempus ſit elapſum, dum dominus ignoretur modò? *Neg.*

Et, annon contra talem inventorem, qui ſic inventa non reddit, furti actio poſſit inſtitui? *Aff.*

Rapinæqué? *Aff.*

An necdum inventi theſauri ſit aliqua poſſeſſio, vel, quod eodem recidit, necdum inventus atque occupatus theſaurus ſit in alicujus bonis? *Neg.*

Atque adeò, an, ut theſauri dominium

quis acquirat, sufficiat, ut eum videat, an verò requiratur, ut eum insuper apprehendat? *Neg:Prius:Aff:Post.*

Etiamné, si alicui totus thesaurus, vel pars ejus debeatur? *Aff.*

Ut ab universalibus ad particularia, ab his ad singularia, digrediar, aut degrediar veriùs, annon thesaurus, in proprio fundo inventus, totus inventoris, tanquam domini fundi? *Aff.*

Etiamsi servus communis, in fundo domini unius proprio, illum invenerit? *Aff.*

Itemné, si thesaurum in re dotali invenerit maritus? *Neg,*

Saltem, si in re emtâ emtor? *Aff.*

Sit quis à tutore pupilli mercatus domum, adqué refectionem ejus induxerit fabrum, isqué pecuniam invenerit, quæritur, ad quem inventa pecunia pertineat, ad vendentemné, an ementem, qui induxit fabrum? *Dist.*

Etiamné, si non thesaurus fuerit illa pecunia, sed pecunia fortè perdita, vel per errorem ab eo, ad quem pertinebat, non ablata? *Neg.*

Quid de thesauro, in alterius fūdo, vel territorio, invēto, v g, in loco civitatis, in Cæsaris locis privatis & patrimonialibus, vel etiã fiscalibus, religiosisq;, domininé fundi, vel territorii, an verò invenientis? *Dist.*

Saltem tunc domini fundi ac territorii,

civi-

civitatis, Cæsaris, fisci, si inventus datâ operâ, illisque invitis? *Aff.*

Itemne, si fortuitò? *Neg.*

Atque adeò, annon dimidia pars thesauri inventi sit inventoris, sive cum domini voluntate, sive sine eâ, in alieno fundo thesaurus sit invētus, dūmodò fortuitò? *Aff.*

Vel per mercenarium? *Aff.*

Etiamne, si specialiter ad fodiēdum thesaurum mercenarius ille sit cōductus? *Neg.*

Absque hoc sit, annon, si thesaurus deditâ operâ, invitoque domino, sit inventus, inventor pro re natâ possit puniri? *Aff.*

Inveniens thesaurum partem fisco debitam supprimat, annō justè totus thesaurus fisco tum applicatur in pœnam, inventorque simul alterum tantum solvere cogitur? *Aff.*

Magicis artibus inveniatur thesaurus, fisci ne, an invenientis? *Aff: Prius.*

Itemne, si inventus in alieno? *Neg.*

An ergò tunc pars tantum sit fisci? *Aff.*

Atque adeò, an vel ipse fiscus liberam in alieno fundo thesauri scrutandi facultatem concedere possit? *Neg.*

Vel requisitus? *Neg.*

Annon aliud hîc invenire, aliud reperire? *Neg.*

Saltem communiter aliud invenire, quàm reperire? *Aff.*

Illud artis & industriæ, hoc casus & fortunæ? *Aff.*

Modus

Modus Acquirendi Extraordinarius Indirectus est, quo res familiaris paratur comparatur indirectè admodum, atque ex eventu quodammodò, veluti per Alluvionem, Præscriptionom, Usucapionem, Contractum Assecurationis, Certamina Pigneratitia, Etc.

An acquisitoria,quæ fit per alluvionem, præscriptionem, usucapionem, assecurationem, certamina pigneratitia, sit ordinarius & legitimus modus acquirendi? *Neg: Prius: Aff: Post.*

Saltem extraordinarius? *Aff.*

Et si, directusné, an indirectus? *Neg: Prius: Aff: Post.*

Nominatim, atque in specie, annon alluvio sit accessionis naturalis species? *Aff.*

Et si, an ergò, quod per alluvionem agro alicujus flumen adjicit, jure gentium acquiratur ei, cujus est ager? *Aff.*

Itemné, si vis fluminis partem aliquam ex alterius agro detrahat, adjiciatqué prædio alterius? *Neg.*

Incrementumné lateus alluvio, id est,id, quod paulatim alicujus fundo accedit latenter, an verò ipse appulsus fluminis ad ripam? *Aff: Post.*

Idemné, quod circumluvio,aut eluvio? *Neg.*

Vel jus, quod vocant,accrescendi? *Neg.*

Annon huic oppidò quàm cognatum

sit

sit jus, quod vocant, naufragii, quo, si qua navis expulsa ad littus, quid inde acquiritur fisco? *Aff.*

Rationabiliterné? *Dist.*

Minimùm tunc, si retum ejectarum ignoretur dominus, neque resciri possit? *Aff.*

Vel res ad littus delatas intra longissimum tempus sibi non vindicet? *Aff.*

Et, annon tali in casu majestas jure sibi arroget compendia naufragiorum, sive bona naufragorum? *Aff.*

Iustequé ea dividantur inter principem atque inventorem, adinst ar thesauri in loco publico inventi? *Aff.*

Absque hoc sit, annon rectè, immò bis rectè, ex naufragiis emolumentum captantes, vel naufragium passos spoliantes, ipso facto excommunicet Ius Canonicum? *Aff.*

Quid de præscriptione, id est, definitione seu diffinitione temporis legitimâ, intra quod acquiritur dominium per possessionis continuationem, secundum legis dispositionem, subsistitné? *Aff.*

Annon contractus vim habeat? *Aff.*

Privilegiiqué, seu singularis concessionis? *Aff.*

Præsertim, si præter temporis continuationem, sine interruptione legitimâ currentem, bonus titulus, & bona fides accesserint? *Aff.*

Res

Reſquè ſit talis, ut teneri præſcriptione poſſit, dominioquè noſtro ſubjici? *Aff.*

Abſque hoc ſit, in defectu bonæ fidei, an quis exceptione præſcriptionis ſe poſſit tueri? *Neg.*

Vel immemorialis? *Neg.*

Atque adeò, an poſſeſſor malæ fidei ullâ temporis longinquitate præſcribat? *Neg.*

Nominatim, qui furto aut rapinâ quid cepit, intercepit? *Neg.*

Quamvis benè diu rem poſſederit? *Neg.*

Annon præter bonum titulum, perſuade ſucceſſionis, hereditatis, donationis, legati, emtionis, & ſimilium, bonamquè fidem, ſive bonam conſcientiam, ne quid fortean dolo agatur, nevè ignorantia, quæ obtenditur, ſit fortaſſisan affectata, vel ſophiſtica, deſideretur inſuper temporis diuturnitas? *Aff.*

An neceſſariò decem viginti triginta quadraginta anni? *Diſt.*

An idem heic teneat in rebus mobilibus, quod in immobilibus, in immobilibus, quod in mobilibus? *Neg,*

In corporalibus, quod in incorporalibus, in incorporalibus, quod in corporalibus? *Neg.*

Et, annon in rebus mobilibus ſufficiat vel triennium, in rebus verò immobilibus inter præſentes decennium, inter abſentes alterum tantum? *Aff:*

In rebus corporalibus tempus minus, in incor-

incorporalibus, ceu sunt, jura, servitutes, imperium, jurisdictio, vectigalia, tempus majus? *Aff.*

An rectè secetur in favorabilem, odiosam, rigorosam, mixtam? *Neg.*

Et, si non, an ergò omnes præscriptiones sint ex eâdem causâ, à brevissimâ ad longissimam usque inclusivè? *Aff.*

Omnes, inquam, favorabiles, quippè propter bonum publicum introductæ, hoc est, ideò, tum ne dominia rerum diu aut semper in incerto essent, tum ut sic finis esset litium? *Aff.*

Annon, ut sic, coram Deo justè teneantur res, quarum domini sumus præscriptione? *Dist.*

Convenienterqué justè quis v. g. possideat tunicam suam, etiamsi fortassis non sciat, quomodo lana ad eum pervenerit, qui fecit pannum? *Aff.*

Itemné alterius uxorem justè ille, qui hoc ignorat? *Neg.*

Quòd si non, an ergò scelera non admittant præscriptionem? *Aff.*

Ut inexcusanda, ita inexcusabilia tempore? *Aff.*

Et quæ nullâ præscriptione possint fieri justa? *Aff.*

Atque adeò, annon in præscriptionis argumento principaliter, inde lex, hinc nostra conscientia, sit inspiciunda? *Aff.*

Hisqué

Hiſqué addicentibus rem, verè ejus dominus ſit, qui eam tenet, non qui tenuit? *Aff.*

Et, an in præſcriptione, contra jus gentium, quo de inducta rerum dominia ſunt, transferatur jus alienum? *Neg.*

Cumqué alterius injuriâ locupletur præſcribens, ejus videlicet, contra quem præſcribit? *Neg.*

Et, annon ſaltem aliquandò liceat ſentire privato lucrum ex alterius damno? *Aff.*

Delictové? *Aff.*

Negligentiâvé? *Aff.*

Ut breve faciam; Annon aliud præſcriptio, aliud conſuetudo? *Aff.*

Uſucapioqué? *Aff.*

Atque adeò, annon uſucapio in rebus mobilibus atque immobilibus locum habeat, præſcripto verò in immobilibus tantùm, atque incorporalibus? *Aff.*

Universè, annon, ut ſit juſta uſucapio, ad ejus dico juſtitiam, ex parte uſucapientis requiratur ſimiliter bonus titulus,& bona fides, quâ ſibi ſit conſcius, quòd jus alicujus non intervertatur, ex parte verò ejus, cujus bona uſucapiuntur, negligentia? *Aff.*

Hiſqué concurrentibus non non peccato vacet uſucapio, ſubſiſtens, & de Jure Divino, & de Naturali, & de Civili? *Aff.*

Annon exemplum Iephthæ hîc operetur

tur efficaciter ad asserendum jus divinum hâc parte, qui præter belli titulum, & donationis divinæ, usucapionis uti nitiqué videtur argumento, fundatæ inde in temporis præscriptione ac præscriptibilitate, hinc in vindicantium oscitantiâ ac supinitate? *Aff.*

Næ convenienter rationi naturali, quæ suadet, ne crimina maneant impunita, quodqué sibi quis fieri non vult, (voluntate putà ordinatâ sive regulatâ,) id ne facere præsumat alteri? *Aff.*

Civiliqué, quâ jacturâ rerum neglectarum meritò punitur dominus, qui res suas tam negligenter habuit, ut toto illo intervallo, quod usucapioni largitur conniventia principis, earum curam non habuerit? *Aff.*

Ut ita usucapio non tantùm subsistat in foro animæ seu conscientiæ, sed etiam in foro fori, bono publico inducta, quò dominia rerum hoc certiora essent, in infinitâ rerum varietate, quâ fit, ut incertum plerumque sit, utrùm tradens sit dominus rerum? *Aff.*

Et, annon utilitate publicâ, cui inservire debet privata, purgetur deteratur asperitatis vitium, si quod hîc est? *Aff.*

Atque adeò, annon lex ex causâ possit uni auferre, & alteri dare? *Aff.*

Nominatim ex causâ supinitatis, quò

cæte-

cæteri à ſimili oſcitantiâ, quam puniri publicitùs intereſt, metu ſimilis pœnæ prohibeantur? *Aff.*

Ex causâ verò, quin immò ex culpâ? *Aff.*

Atque adeò, annon in uſucapione ſit proportio inter culpam & pœnam, pœnam & culpam, ſi minûs antecedenter, & concomitanter, ſaltem conſequenter? *Aff.*

Id eſt, propter exemplum? *Aff.*

Diſpendiumqué publicum? *Aff.*

Annon ſufficere poſſe videatur pœna pecuniaria, ſalvâ re? *Neg.*

Saltem magna, major, maxima? *Diſt.*

Quid de aſſecurationis contractu, idemné quod fides, aut fidepromiſſio? *Neg.*

Indemnitatiſvé cautio? *Diſt.*

Fidejuſſiové, ſive cautio fidejuſſoria, quæ fit per fidejuſſores, vel pignora? *Neg.*

Et, ſi non, annon indemnitatis poſſit conveniri, qui aſſecuravit ſeu cavit, non item, qui fidejuſſit? *Aff: Prius: Diſt: Poſt.*

Saltem non ante principalem? *Aff.*

Quid de certaminibus pigneratitiis, id eſt, ſponſionibus, quæ fiunt depoſito pignore, licitamqué obligandi, ut cauſam, ita effectum, habent, prohibitænė? *Neg.*

Prohibendævé? *Neg.*

Minimùm illæ, quæ ludi causâ fiunt? *Aff.*

Atque

Atque adeò, an ludus sit legitimus modus acquirendi? *Neg.*

Ideoqué næ rectè leges sponsionibus, quæ non virtutis causâ sunt factæ, interdicant? *Aff.*

Victumqué nullo modo teneri pronuncient? *Aff.*

Præsertim si ex inhonestâ ludi causâ sponsio intercesserit? *Aff.*

Annon, quicquid eo nomine amissum, datumqué, possit repeti? *Aff.*

Inqué pauperes erogari, ut, qui perdidit, afficiatur damno, & qui lucratus est, non fruatur malè parto? *Aff.*

Idem de Ollâ Fortunæ judicium, quam huc revoces licet, propter rationis similitudinem, atque argumenti parallelismum.

Finis Libri I.

INSTI-

Mss. 621/II.

INSTITUTIONUM OECONOMICARUM DIDACTICO-PROBLEMATICARUM LIBRI SECUNDI,

Qui eſt

DE

SOCIETATIS DOMESTICÆ ADMINISTRATIONE,

CAPUT I.

Σύνδεσμος ſive connexio partis unius cum alterâ, Conſtitutionis cum Adminiſtratione. Adminiſtratio diviſa in Perſonalem & Realem. Adminiſtratio Perſonalis ſubdiviſa in Partem, quæ continet Virtutes Perſonarum Domeſticarum, & eam, quæ Imperium, Obſequium, & Officium. Virtutes diſtinctæ in Ἀρχικὰς, Principes, & Ὑπηρετικὰς ἢ Διακονικὰς, Miniſtras ſive Miniſteriales. Singularum ſpecies, per formam ὑποθέσεως, aut ἀνθυποθέσεως potiùs. Dubia, ſeu Quæſtiones

stiones Controversæ, incidenter & pro re natâ.

DEscripta est pars Oeconomices prior, quam diximus continere Constitutionem Societatis Domesticæ quoad Materiam ejus, seu Partes, vel Quasi-Partes: Adoffert se nunc altera, quæ expedit Administrationem ejus, id est, Formam, seu Ordinem illarum Partium, ac Regimen.

Administratio hæc, sicut Constitutio, & ipsa vel Personalis est, seu Hominum Domesticorum, vel Realis, seu Possessionum Domesticarum.

Administratio Societatis Domesticæ Personalis, Virtutibus, indequè emergentibus, Imperio, Obsequio, & Officio, absolvitur.

Virtutes Personarum Domesticarum universè vel Ἀρχικαὶ *sunt, Principes, vel* Ὑπηρετικαὶ ἢ Διακονικαὶ, *Ministræ sive Ministeriales.*

An tractatio de virtutibus sit argumenti OEconomici? *Neg.*

Saltem tractatio de virtutibus personarum OEconomicarum? *Aff.*

An ergò aliæ sint virtutes personarum domesticarum in specie, aliæ personarum seu hominum in genere? *Aff.*

Et

Etsi, annon domestici, quà homines, teneantur ad easdem virtutes, ad quas reliqui homines, qui sunt ejusdem speciei, quà verò tales homines, id est, domestici, hâc præcisione insuper teneantur ad peculiares virtutes, illo modo ad virtutes, quas vocant, viri, quæ habentem reddunt bonum virum, hoc ad virtutes, quas vocant, officii, quæ eundem reddunt bonum domesticum? *Aff.*

Atque adeò, annon Oeconomica præsupponat hominem, jam imbutum virtutibus? *Aff.*

Hocqué suppositò, omnis domesticus bonus quoque etiam sit vir bonus? *Aff.*

Præsertim in familiâ optimè constitutâ? *Aff.*

Immò & in non constitutâ optimè? *Aff.*

Et, an virtutis, per quam quis constituitur vir bonus, accommodare se familiæ pessimæ? *Neg.*

Ideoqué, quando Aristoteles dicit, non esse eundem virum bonum, & domesticum bonum, vocabulum virtutis non sit accipiendum propriè pro virtute morali, verùm communiter pro quâvis facultate, proprioqué rei munere ac functione? *Aff.*

Quicquid horum sit, annon interim differat vir bonus à domestico bono? *Aff.*

Convenienterqué virtus viri à virtute officii? *Aff.*

Ethica ab Oeconomicâ? *Aff.*

Ipſæ quin virtutes Oeconomicæ abs ſe, atque inter ſe? *Aff.*

Et ſi, graduné tantùm cum Platone, an verò ſpecie cum Ariſtotele? *Aff: Poſt.*

Annon hoc ſtante, neque tamen obſtante, nihilominùs conveniant quoad formam & finem communem, licet differant quoad formam propriam, quemadmodum aliud munus, v g, gubernatoris, aliud proretæ, aliud remigis, quæ tamen in eo conveniunt, quòd omnia illa munera ſint nautica, quodqué ad ſalutem navis tendant omnia? *Aff.*

Universè, an ſocietas domeſtica ſtare & conſiſtere poſſit ſine virtute? *Neg.*

Vitamqué domeſticam quis vivere ſine hâc? *Neg.*

Beatitudinemqué domeſticã conſequi? *Neg.*

Benequé, tum imperare, tum parere in domo, abſque commnni hoc Mercurio? *Neg.*

Ideoqué non inappoſitè virtutes Oeconomicæ tribuantur in ἀρχικὰς & ὑπηρετικὰς ἢ διακονικὰς? *Aff.*

Virtutes Ἀρχικαὶ, *Principes ſive Principales, ſunt, quæ perſonis principibus conveniunt in ſocietatis domeſticæ adminiſtratione.*

Suntquè quatuor numero, loquendo de generibus singulorum, non singulis generum: Prudẽtia, Tẽperãtia, Fortitudo, & Iustitia.

Prudentia est virtus Ἀρχικὴ, *gubernans* τὸ βουλευτικὸν *in societatis domesticæ administratione.*

Temperantia est virtus ἀρχικὴ, *gubernans* τὸ ἐπιθυμητικὸν *in societatis domesticæ administratione.*

Fortitudo est virtus ἀρχικὴ, *gubernans* τὸ θυμικὸν *in societatis domesticæ administratione.*

Iustitia est virtus ἀρχικὴ, *gubernans* τὸ ἡγεμονικὸν *in societatis domesticæ administratione.*

Virtutes Ὑπηρετικαὶ ἢ Διακονικαὶ, *Ministræ sive Ministeriales, sunt, quæ personis deincipibus conveniunt in societatis domesticæ subministratione.*

Suntquè totidem numero: Prudentiæ supposita, aut oppositа veriùs, Vigilantia, Temperantiæ Modestia, Fortitudini Patientia, Iustitiæ Fides.

Vigilantia est virtus ὑπηρετικὴ ἢ διακονικὴ, *adgubernans* τὸ βουλευτικὸν *in societatis domesticæ subministratione.*

Modestia est virtus ὑπηρετικὴ ἢ διακονικὴ, *adgubernans* τὸ ἐπιθυμητικὸν *in societatis domesticæ subministratione.*

Pa-

Patientia eſt virtus ὑπηρετικὴ ἢ διακονικὴ, *adgubernans* τὸ θυμικὸν *in ſocietatis domeſticæ ſubminiſtratione.*

Fides eſt virtus ὑπηρετικὴ ἢ διακονικὴ, *adgubernans* τὸ ἡγεμονικὸν *in ſocietatis domeſticæ ſubminiſtratione.*

Annon virtutes perſonarum domeſticarum, tam principum, quàm deincipum, næ commodè cum Theage Pythagoréo tribuantur diſtribuantur ſecundum facultates animæ, putà, τὸ βουλευτικὸν, ἐπιθυμητικὸν, θυμικὸν, καὶ ἡγεμονικὸν, ita ut pro ratione, inde ſtet prudentia, hinc vigilantia, pro cupiditate, inde temperantia, hinc modeſtia, pro appetitu iraſcendi, inde fortitudo, hinc patientia, pro utroque ſenſuũ appetitu, inde juſtitia, hinc fides? *Aff.*

Et, annon reliquæ virtutes Oeconomicæ non incommodè ad has quaſi familias καθ' ἀναγωγὴν poſſint revocari? *Aff.*

Nominatim, atque in ſpecie, annon in uxore & liberis, ipſis quin etiam ſervulis, præter τὸ ἐπιθυμητικὸν καὶ θυμικὸν, quoque locum ſuo loco habeat τὸ βουλευτικὸν, καὶ τὸ ἡγεμονικὸν? *Diſt.*

Si minùs κύριον, id eſt, ἀνδρικὸν, πατρικὸν, δεσποτικὸν, minimùm ἄκυρον, id eſt, γυναικικὸν, παιδικὸν, δουλικὸν? *Aff.*

Atque adeò, annon in uxore, liberis, ſervis,

ſervis, præter virtutes ſexus, ætatis, conditionis, id eſt, γυναικικὰς, παιδικὰς, δουλικὰς, deſiderentur aliæ honoratiores, putà Ethicæ? *Aff.*

Perfectæné? *Diſt.*

Si minùs comparatè, ſaltem abſolutè? *Aff.*

Et, annon his indigere videatur omnis omninò perſona Oeconomica? *Aff.*

Verùm perſonæ imperantes in ipſâ comparatione perfectioribus ſcilicet, parentes imperfectioribus? *Aff.*

Iiſqué diverſis? *Diſt.*

Si minùs quoad eſſentiam animi, ſaltem quoad exiſtentiam officii? *Aff.*

Et, annon, ut ſic, juſtitia, v g, imperantis, ſit diverſa à juſtitiâ parentis, viri à mulieris, juvenis à ſenis? *Aff.*

CAPUT II.

Perſonarum Domeſticarum, ex Virtutibus earum deſcendens, Imperium & Obſequium, tam Simplex, putà Maritale & Vxorium, Paternum & Filiale, Herile & Servile, quàm Compoſitum, quod Domeſticum appelles licet. Vtriuſque collatio cum Imperio atque Obſequio Civili, convenienter Ariſtoteliſmo maximam partem. Dubia,

ſeu

seu Quæstiones Controversæ, incidenter & pro re natâ.

EX *hoc Virtutum fonte & capite emergit proximè Personarum Domesticarum, cùm Imperium, & Obsequium? tum Officium.*

Imperium Personarum Domesticarum, pro Societatum Domesticarum Constitutione, universè vel Simplex est, vel Compositum.

Imperium Personarum Domesticarum Simplex iterum vel Maritale est, vel Paternum, vel Herile.

Imperium Maritale est, quod Maritus Iure Naturali Divino & Civili, exercet in Vxorem, eam gubernando, id est, dirigendo & corrigendo.

Repræsentat Imperium Politicum, sive Rempublicam, quia est inter æquales, referturque ad commune utriusque commodum. Sicut enim magistratus in Republicâ civibus imperat secundum leges, quas consensus fecit, sic maritus in domo secundum conditiones uxori, cui dominatur, non ut dominus servis, sed ut magistratus liberis. Quamvis enim in eo non sint vices imperandi ac parendi, ut in civili, tamen perindè ut in illo magistratus differt à privato, vestitu, cultu, sermone, insignibus, ita in hoc maritus ab uxore, ornatu, oratione, honore.

Annon imperium, quod vocant, maritale, marito competat jure naturæ, ex cujus lege atque ordine mulier ferè mollior, & minùs minusqué instructa iis dotibus, quibus ornatos esse convenit eos, qui imperium cum fructu sunt gesturi? *Aff.*

Hocqué intuitu monstrosum, cõtraqué naturam, ut vir mulieris, mulier viri occupet munia, viri, v g, texant, pensa trahant, culinas curent, lectos sternant, lavent, fœminæ contrà negocientur, per rostra, per castra volitent, nunc exercitus horrentur ad prœlium, nunc seditiosos cives ad pacem, leges quin ferant, sequé iis implicent rebus, quas verecundia sexus non fert, imbecillitas naturæ non permittit? *Aff.*

Et, annon brutorum quoque atque herbarum fœminæ cedant ac concedant maribus hâc parte, leæna, v g, leoni, gallina gallo, oves hœdo, cervæ cervo, plãtæ minùs speciosæ, minusqué efficaces, speciosioribus, magisqué efficacibus? *Aff.*

Ideoqué ordinem à naturâ dictatum inversum eant, immò eversum, qui se mulierum arbitrio comiter submittũt, similes iis, qui, cùm mulieres peperissent, loco puerperarum in lectulo cubitabant? *Aff.*

Quid de Sacarum instituto, quibus placuit à pugnâ imperium exauspicari, ita ut haud aliter mulier ad obsequium viro teneretur, quàm si virtute ejus victa atque evicta

evicta in certamine succubuisset, probaturné? *Neg.*

Atque adeò, annon rectè, naturæquè convenienter, mulierculæ in aliena falcem missitantes, vocentur reocentur ad focum, colum, fusum? *Aff.*

Templaquè & preces? *Aff.*

Annon idem imperium marito quoque competat jure divino, ex cujus lege atque ordine maritus caput uxoris, sicut Christus Ecclesiæ? *Aff.*

Etiamné ante lapsum? *Aff.*

Et si, fortassisan ideò, quòd vir non sit creatus ex muliere, sed mulier ex viro, nec vir creatus propter mulierem, sed mulier propter virum? *Aff.*

Quodquè vir conditus, ut in ejus dominio gloria Dei eluceſcat, fœmina verò, ut in ejus subjectione gloria viri? *Aff.*

Nedum post lapsum? *Aff.*

Iterum fortassisan ideò, quòd priùs seducta fœmina, quàm vir, Eva, quàm Adam? *Aff.*

Annon idemmet imperium marito competat etiam jure civili positivo, ex cujus lege atque ordine maritus omnium actionum, quæ uxori conceduntur, est arbiter, cujus prædiis fruitur, communicans huic nomen, familiam, dignitatem, statum, conditionem? *Aff.*

An ea judicio potis sit sisti absque auto-

ritate mariti? *Neg.*

Veniâvé judicis, abſente marito? *Neg.*

An ſapiat juriſdictionem? *Neg.*

Amicum atque amicabile, ſi quod aliud, ut quod in humanitate conſiſtat, non immanitate? *Aff.*

Neque tam fuſte indigeat, quàm palpo? *Aff.*

Et, annon humanior tractatio liberaliorqué, non tantùm incundiores reddat fœminas, ſed etiam fœcundiores? *Aff.*

Obſequentioreſqué? *Aff.*

Cùm optabilius ſit amari, quàm vapulare? *Aff.*

Atque adeò, annon uxoris vitium, ſi leviuſculum ſit, ſalvoqué honore ac pudore diſſimulari queat, ſpeſqué ſit, errorem cum tempore conniventiâ ſuperatum iri, ſit decoquendum, non recoquendum? *Aff.*

Nedum excoquendum? *Aff.*

Neque verò jurgandum, ſi ſine jurgio res poſſit confici? *Aff.*

Abſque hoc ſit, ſi blandis remediis uxoris animus nequeat expugnari, annon fortiora tunc adhibenda remedia ſint? *Aff.*

Siqué cum gratiâ obſequi detrectet, cogi poſſit vel ingratiis? *Aff.*

Et vel verberari? *Aff.*

Idqué ſine injuriâ, dum ne ſine causâ id fiat modò, nec præter modum? *Aff.*

An realis hæc caſtigatio maritum verbetonem

beronem infamet? *Neg.*

Indevé conſciſcatur divortii actio? *Neg.*

Minimùm tunc, ſi verberibus ingenua indignis ſit affecta? *Neg.*

Atque adeò, an maritus, qui caſtigando uxorem modum tranſivit, puniatur, quòd verberaverit uxorem, ac non potiùs, quòd modum tranſiverit? *Aff: Poſt.*

Et vel virgis ceciderit, vel flagellis? *Aff.*

Loriſvé? *Aff.*

Annon heic, antequam à verbis ad verbera veniatur, etiam atque etiam diſtinguendum ſit inter delicta mulierum, atque ingenia mulierum? *Aff.*

Moreſqué? *Aff.*

Duroqué demùm nodo durus quærerrendus cuneus? *Aff.*

An huic vindictæ verbereæ obſtet, quòd ita quis videatur ſeipſum odio habere, ſeipſum verberibus afficere, cum uxor cum marito ſit una perſona, una, inquam, caro? *Neg.*

Et, annon diſcriminandum heic ſit inter perſonam & perſonam, carnem & carnem? *Aff.*

An huic cenſuræ quoque obſtet, quod natura mater diſtinxerit fœminam à ſervo? *Neg.*

Liceatné ergò uxore uti ſerviliter? *Neg.*

Vt quæ ideò dicatur facta coram viro, quò huic ſit præſtò ad miniſtrandum, at-

qué ſerviendum, more aſtantium ſervulorum coram dominis ſuis, horumqué, non verba tantùm, ſed & nutus, obſervitantium? *Neg.*

Atque adeò, annon inſignitam injuriam huic ſexui faciant Barbari, qui mulieribus promiſcuè utuntur loco ſervitiorũ, teneriſqué earum corporibus abuntur ad ſuffodiendos & confodiendos agros, agenda armenta? *Aff.*

Quid multis? Annon cum uxore agendum ſit, ut cum ſociâ, non ut cum ſervâ? *Aff.*

Nedum, ut cum beſtiâ, quam occidere fas & jura ſinunt? *Aff.*

Ideoqué malè, immò bis malè, à veteribus marito in eam ſit datum jus vitæ & necis, jus, inquam, uxorem domi necandi, ad mortem damnandi? *Aff.*

Idqué ob clavium ſuppoſitionem, viniqué prægуſtationem? *Aff.*

Veneficiumqué? *Aff.*

Adulteriumqué? *Aff.*

Ita, ut liceret marito in causâ adulterii cum cognatis de adulterâ privatim cognoſcere, inqué deprehenſam in adulterio capitaliter animadvertere? *Aff.*

Etiam in deprehenſum in turpitudine adulterii? *Aff.*

Vel in continenti? *Aff.*

Domiqué ſuæ? *Aff.*

Peſſimo,

Peſſimo, & in præſens, & in futurum, inſtituto atque exemplo? *Aff.*

Atque adeò, an ex integro à crimine cædis poſſit excuſari, qui manus cruentas in uxorem atque adulteros temerè expedierit? *Neg.*

Saltem in foro interiori? *Neg.*

Licet agat ex permiſſione? *Neg.*

Sanctionequé legis? *Neg.*

Annon interim cædes illa, ut non probetur, ita excuſetur aliquo modo ex juſto dolore? *Aff.*

Sed excuſetur ſcilicet, non juſtificetur? *Aff.*

Ne per poteſtatem maritalem quidem? *Aff.*

Quodqué in manu ac ditione virorum mulieres? *Aff.*

Et, annon conſultius, ut coërcitio horum criminum, hujuſqué noxæ, ſit penes magiſtratum? *Aff.*

Marituſqué, qui per ſe ad ultionem nimis quàm præceps, adulteram publico judicio vindicet? *Aff.*

Contrà item maritum adulterum uxor? *Aff.*

An ergò maritus & uxor heic pari paſſu ambulent, ita ut liceat uxori in maritum, quod marito in uxorem? *Aff.*

Ideoqué iterum malè marito olim fas fuerit, uxorem, in adulterii crimine de-

prehenſam, impunè necare, illi, ſi vir adulterâſſet, judicio agere non item? *Aff.*

Eâqué propter jure metitiſſimo poteſtas hæc maritis noviſſimè ſit ademta, tanquam adverſa atque adverſaria juri naturali, ut quæ pugnet cum amore maritali, qui omnium amores & amicitias ſuperare dicitur, immò cum amore ſui ipſius, eò quod uxor una caro cum marito σωμαπικῶς, ita, ut illam interficiendo, ſe quodammodò interficere videatur maritus, adverſa juri divino, ut quæ pugnet cũ præcepto ſexto, quo de nõ licet hominem occidere, nedũ uxorem, cui maritus cohabitare jubetur ſecundnm ſcientiam, huicqué, tanqnam vaſculo infirmiori, honorem tribuere, adverſa juri civili verè civili, quo de omnis privata vindicta eſt prohibita, cognitioqué adulterii remiſſa ad prætorem & judices, fortean ideò, ut ſic conſuleretur innocẽtiæ fœminarum, maritiqué hoc pacto deterrerentur metu infamiæ à facili delatione, peccataqué conjugum muſſitare mallent, ſciendoqué neſcire, quàm ſe in publicam infamiam ponere, adverſa denique rationi, ut quæ tribuat privatis, quod denegatum eſt magiſtratibus, imperiumqué, à Deo & naturâ marito conceſſum, ad conſervandam tuendam ac defendendam vitam ac ſalutem uxoris, in peſtem & perniciem ejus vertat? *Aff.*

Con-

Convenienterquè næ magnum errorem erret Bodinus, qui jus privatæ castigationis malè votitis votis optat reduci, ne publica accusatio utrumque conjugem diffamet? *Aff.*

Sed quid, si uterque conjugum pari laboret vitio, etiamné tunc alter alterum deferre publicè poterit, immò debebit, de vitio? *Neg.*

Et, si non, an ergò in tali casu mutuis vitiis pensata crimina conveniat manere impunita? *Neg.*

Universè, Politicumné, an verò Aristocraticum, sit mariti in uxorem imperium? *Aff: Prius.*

Saltem Aristocraticum, simul sumtum cum uxoris imperio, respiciendo non maritum patremfamiliâs, cui subordinatur uxor materfamiliâs, sed familiam, quæ utriusque imperium comiter exaudire tenetur, cùm imperent ad communem utriusque, ac totius familiæ, utilitatem? *Aff.*

Utqué sic degeneratio hujus imperii, quando uxor potentior opibus distinctam ducit familiam, mariti nullâ in re, nisi ad officia lecti, indigens, sit Oligarchica, similis Oligarchiæ ex censu? *Aff.*

Cumqué uxor ornatu oratione honore maritum vincit, hæc degeneratio & ipsa sit Oligarchica, similis Oligarchiæ ex tribu? *Aff.*

Impe-

Imperium Paternum est, quod Parêtes, Iure Naturali divino & civili, exercent in Liberos, eos gubernando, id est, dirigendo & corrigendo.

Repræsentat Imperium Basilicum, sive Regnum, quia enim parentes hîc se habent ita erga communes liberos, quemadmodum se habet rex erga suos subditos. Rex genere, sive naturâ specificâ, idem est cum subditis & parentes cum liberis: Rex ætate, prudentiâ, autoritate, benevolentiâ, beneficientiâ superior est subditis, & parentes peræquè liberis: Rex imperat subditis, secundum leges, quas ipse sanxit, & parentes perindè liberis: Plena est autoritas regis in subditos, nec minùs plena parentum in liberos.

Annon imperium, quod vocant, paternum, parentibus competat jure naturæ, cujus lege generatum subjicitur generanti, inferius superiori, imperfectum perfecto, indignius digniori, minùs utile utiliori, junius seniori, id, quod beneficium accepit, ei, à quo accepit? *Aff.*

Nominatim, atque in specie, annon imperium in liberos quoque competat matri naturaliter, quæ plusculum molestiæ devoravit, dum eos utero suo per novem menses gessit, gestavit, plusculum periculi subjit, exantlavit, dum cum dolore peperit, plusculum oneris sustinuit, dum in

lucem

lucem editos lactavit, plusculum diligentiæ impendit, dum ablactatos eduxit, educavit? *Aff.*

Atque adeò, annon liberi sint quasi germina & partes, non tantùm patris, verùm etiam matris, cùm nascantur ex semine & sanguine utriusque, modò non caro utriusque aucta, novâque animâ animata, caro, inquam, de carne, atque os de ossibus? *Aff.*

Fictionené juris civilis, an rei veritate? *Aff: Post.*

Vtut personam completam, contradistinctam à personâ parentum, referant Physicè, nunquid? *Aff.*

Annon interim liberi universè magis sint in manu ac potestate patris naturaliter, eò quòd pater, cujus vel ipsum nomen includit dominium, sit totius generationis principium, matremqué ætate, prudentiâ, perfectione exuperet, inqué potestate propterea habeat? *Aff.*

Annon idem imperium parẽtibus proximè competat jure divino, cujus lege liberi jubentur obsequi suis parentibus, & quidem sub comminatione pœnæ, quâ vitæ usurâ privantur, qui vitæ autores non justo habuerunt in precio? *Aff.*

An hujus præcepti dominici autoritas quoque tendatur extendatur ad matrem? *Aff.*

Ideoqué par huic debeatur obedientia, &

per

per consequens par imperium, saltem in genere generis, cùm obedientia præsupponat potestatem, tanquam suum correlatum? *Aff.*

Annon idemmet imperium parentibus quoque etiam competat jure civili positivo, cujus lege liberi sunt in manu ac potestate parentum? *Aff.*

Ita ut à naturâ quidem sit hoc imperium, aliquam tamen formam à jure civili habeat, quod immorigeris liberis ponit pœnas, morigeris verò præmia? *Aff.*

Annõ etiã hujus legis autoritas benignè interpretando extendatur ad matrem? *Aff.*

Sed universè tamen magis applicetur ad patrem, quàm matrem, quæ cùm ipsa sit in potestate, alios non videtur posse habere in potestate? *Aff.*

Definitané, an verò indefinita, immò infinita, sit hæc potestas? *Aff: Prim.*

Ideoqué non omnis potestas parentibus in liberos sit data, sed modificata? *Aff.*

Atque adeò, annon jus patriæ potestatis in pietate, non atrocitate, humanitate, non immanitate, consistat? *Aff.*

Consequenterqué contra pietatem naturalem peccet pater, quoties filium privatâ autoritate acriori remedio corrigit? *Aff.*

Et, an delictum filii extinguat naturam? *Neg.*

Iusqué,

Iusqué, quod in eâ fundatur? *Neg.*

Conjunctionem, inquam, paternam? *Neg.*

Agnationisqué vinculum? *Neg.*

Annon interim jura, tam divina, quàm humana, parentibus tribuant jus castigandi liberos? *Aff.*

Vel corporaliter? *Aff.*

Atque adeò, annon à primâ pueritiâ usque ad adultam adolescentiam coactione aliquâ sit opus, intra tamen quod fiat terminos privatæ ac domesticæ animadversionis? *Aff.*

An hæc animaduersio etiam se extendat ad verbera? *Aff.*

Virgationemqué? *Aff.*

Operasqué rusticas? *Aff.*

Aliaqué opera pœnalia? *Aff.*

Ipsam quin etiam necem? *Neg.*

Saltem de Romuli constitutione? *Aff,*

Et, annon sensim postremum mitigaverit cultura, deleverit dies, cætera, quæ ex jure gentium prodeunt, servaverit usus? *Aff.*

Et meritò quidem? *Aff.*

Vniversè, annon jus illud exoletum vitæ & necis, quo de lege Romuli curiatâ licuit patri liberos, non tantùm naturales, seu naturâ adgenitos, verùm etiam adoptivos, neque injuges tantùm, sed etiam conjuges sive conjugatos, occidere, cognitâqué

tâqué domi causâ necare, adverſando adverſetur juri naturæ, quæ poteſtatem dedit in liberos, vitæ tuendæ, non tollendæ causâ, cùm liberi ſint quaſi membra, ac viſcera parentum, quæ tueri ac conſervare condecet, non autem in ea ſævire? *Aff.*

Ideoqué rigor hic à pietate patriâ, quam implantavit omnium animis naturæ providentia, ſit alieniſſimus? *Aff.*

Convenienterqué pater, interficiendo filium, violet jus naturæ? *Aff.*

Graviuſqué multò peccet, quàm ſi interficiat extraneum? *Aff.*

Atque adeò, annon pater, occidendo filium, vitricus privignum, licet ſe impiaverint, ille erga patrem, hic erga vitricum, committant parricidium? *Aff.*

Sive auditos, ſive inauditos, occiderint? *Aff.*

Abdicatoſvé? *Aff.*

Emancipatoſvé? *Aff.*

Itemné, ſi ex juſtâ irâ, in ipſo fervore, in flagranti, inquam, crimine, atque ἐν ἔργῳ, in facinore deprehenſam filiam obtruncaverit pater, & quidem in continenti, domiqué ſuæ, vel generi? *Aff.*

Fortean ideò, quòd patri non competat juriſdictio in liberos, ſed poteſtas tantùm, verùm circumſcripta, intraqué dominium vitæ conſiſtens? *Aff.*

An contrarium inferat, vel excellentia

natu-

naturæ paternæ, vel laborum paternorum magnitudo & multitudo, multitudo & magnitudo, ut vitam, quam non dedit pater, neque ablatam restituere potest, pro arbitrio diripere possit ex hoc fundamẽto? *Neg.*

Et, annon laboribus parentum precium persolvi possit alio modo, putà ex operis, bonis, reverentiâ, obsequio liberorum? *Aff.*

Annon idem jus quoque adversando adversetur juri divino, tam generali, non occides, quàm speciali, quo immorigeri liberi ad judicem duci jubentur, ut ab eo, ad patris arbitrium, secundum, inquam, sentẽtiã, quam dixisset pater, plecterentur? *Aff.*

Ideoqué, si quid graviùs delinquat filius, pater eum castigandum debeat offerre judici, dicturo ex ipsius præscripto sententiam? *Aff.*

Annon idem jus quoque etiam adversando adversetur juri civili verè civili, quo de pater, occidens liberos, annumeratur parricidis, teneturqué lege Pompejâ de parricidiis, judiciumqué datur prætori, neque cuiquam in se & suos jurisdictio conceditur? *Aff.*

Immò ipsi rationi? *Aff.*

Atque adeò, annon ordinariè magistratus, qui exemplo, non ultioni, pœnam infligit, prærerquam quòd majori juris prudentiâ sit præditus, meliùs sibi moderari possit

possit, quàm parentes, quorum judicium pervertit amor, qui facit, ut parentes plerumque adjumento esse soleant liberis cõtra alienas injurias, penitus penitusqué evertit amori succedens par odium, quo fit, ut fortiori affectu suffocetur debilior, quemadmodum ignis major consumit minorem, nunquid? *Aff.*

Et, annon, quò injuria gravior, quæ benemeritis infertur ab iis, à quibus minimè conveniebat, hoc graviùs soleant irasci, adeò, ut quæ apud concordes vincula fuerunt charitatis, incitamenta irarum sint apud infensos? *Aff.*

Ita ut nullæ parentum heic sint partes, neque quoad internum judicium seu conscientiæ, quod Dei, neque quoad externum seu scientiæ, quod, si Ecclesiasticum, ministerii, si Politicum, magistratus, cùm judicare sit munus publicum? *Aff.*

Annon saltem parentibus liceat liberos, salvo pietatis jure, offerre supplicio? *Aff.*

Immolarevé? *Neg.*

Devoverevé? *Neg.*

Minimùm vovere? *Aff.*

Aut attinere in custodiâ privatâ, siqué aliter ad obedientiam redigi nequeant, domi hos pœnæ loco detinere, donicum resipiscant, adqué se, id est, frugem redeant? *Aff.*

Itemné in servitutem redigere dominicè? *Neg.*

Eam-

Eamqué perpetuam? *Neg.*

Saltem in ſervitium? *Neg.*

Atque adeò, an parentes in liberos habeant dominium, ita ut idem illis liceat in liberos, quod dominis in ſervos, an verò poteſtatem patriam tantùm? *Aff: Poſt.*

An hæc impediat, quò minùs liberi ſint liberi? *Neg.*

Vtqué tollat poteſtas illa libertatem facti, relinquat nihilominùs libertatem juris? *Aff.*

Liberis obtinentibus juris libertatem, ita ut ne parentes quidem, vel liberorum ſervitute, ſuam redimere ipſi poſſint libertatem, cùm ſicut vita liberorum, ita libertas, manu ac poteſtate parentum ſit exemta, parentibus interim retinentibus facti libertatem, quoad perſonam liberorum, & res? *Aff.*

An ergò parentibus non tantùm ſit poteſtas in perſonam liberorum, ita ut corporis ſui uſum, invitis parentibus, quorum intereſt, non poſſint in alium abalienare, ſed etiam in res, ita ut omnia à liberis acquiſita, vi patriæ poteſtatis, non ipſorum ſint, verùm parentum, in quorum ſunt poteſtate? *Aff.*

Idqué olim omnimodò, ac pleniſſimè, adeò, ut pater acquiſita poſſet alii filio, vel etiam extraneo, donare, vendere, & quocunque modo alienare, hodiè ex parte tantùm,

tùm, & quoad certa, quod ex ſubſtantiâ patris, totum & totaliter, quod verò aliundè, quoad adminiſtrationem atque uſumfructum fructumuſum, patris, quoad proprietatem, acquirentium, peculiis caſtrenſibus & quaſi-caſtrenſibus exceptis, in quibus nihil juris habet pater? *Aff.*

Atque adeò, an filiusfamiliâs poſſit, ſine parentum conſenſu, mortis causâ donare? *Neg.*

Legarevé, aut teſtari, vel permittente patre? *Neg.*

Codicilloſvé facere? *Neg.*

Conſequenterqué, donare quidem, patre permittente, teſtari non item? *Aff.*

Annon interim convaleſcant codicilli, ſi ſui juris factus hos confirmet? *Aff.*

A poteſtate patriâ reali libens relabor ad perſonalem, anquiroqué, ulteriùs, an vigore poteſtatis hujus, generationisqué præſumtâ autoritate, parentibus liceat liberos diſtrahere ſive venundare, permutarevé, victus causâ, ut ſolvant gulæ eorum ſumtum, propter ſummam, inquam, tum egeſtatem, tum neceſſitatem, ſi nec liberos ſuos tueri poſſint, nec velit alius quiſquam, aut capti redimendi ſint ab hoſtibus, vel illic occidendi? *Neg.*

Et quidem vel ſanguinolentos, id eſt, recèns natos, atque à matre adhuc rubentes? *Neg.*

Gran-

Grandioresvé naturâ seu natu? *Neg.*

Saltem loco pignoris, hoc est, oppignerationis potiùs, quàm venditionis, jure, id est, hactenus, ut emtor quidem obtinéndi servitii habeat facultatem, sed liceat illi, qui vendidit, itemqué ei, qui alienatus est, adeoqué cuilibet alii, eum repetere ad propriam ingenuitatem, dummodò precium offeratur, quanti valeret, si servus esset, aut aliud mancipium ejusdem æstimationis pro precio præstetur? *Neg.*

Prové parentum debitis, seu æris alieni parentum luendi causâ? *Neg.*

Idqué vel ter, de Romuli Romulidarumqué constitutione, quam hodiequé amplectuntur Moscovitæ? *Neg.*

Saltem hactenus, si tertiùm venditi liberi non ampliùs redeant in parentum potestatem? *Neg.*

Et, annon recté hæc constitutio, tanquam nimis dura, abolita sit à Diocletiano & Maximiano Imperatoribus? *Aff.*

A Constantino verò relicta illo solo casu, si quis propter nimiam paupertatem, vitæ victusqué causâ, filium filiamvé sanguinolentos, (ter sanguinolentus ipse,) vendidisset, rectené? *Neg.*

Fortean ideò, quia non sit permittendum, ita agi cum liberis, non secùs ac cum merce, eò quod liberi capitis nulla possit esse æstimatio? *Aff.*

Annon

Annon interim veteri jure Iudæorum vendi potuerint liberi in ſervitutem, utut ad tempus? *Aff.*

Ejici quin etiam è domo? *Aff.*

Uerùm citra præjudicium juris communis ſcilicet? *Aff.*

Atque adeò, annon parentes poſſint liberos, ſi minùs venum dare, minimùm vi patriæ poteſtatis abdicare, id eſt, domo, immò familiâ, exigere? *Diſt.*

Exheredarevé? *Diſt*

Quâviſné de causâ, v g, ſi patri manus cómodare nolit filius ad occidendam matrem, quantumvis in adulterio deprehenſam? *Neg.*

Ideoqué licentia exheredationis ſalutariter ſit conſtricta intra ambitum ingratitudinis, ob quam exheredari poſſunt liberi vel maximè, & modò non unicè, emancipatiqué retrahi in poteſtatem patriam, putà, ſi convicium dixerint patri vel matri, atriociqué aliâ injuriâ hos affecerint, vel egentibus, & jamjam morituris, alimenta denegaverint? *Aff.*

Atque adeò, an, licet ſit ſcortator filius, homicida, nequam, nulliuſqué frugi, exheredatione plecti poſſit, quàm diu pietatem paternam ingratitudine enormi inſigniter non læſit, violavit? *Neg.*

Annon ſaltem tunc filius poſſit exheredari, ſi quæſtum ex lenocinio fecerit, vel

arena-

arenarium egerit? *Aff.*

Et, annon majore contumeliâ parentes afficiat hic talis, qui deditâ operâ, in opprobrium parentum, quæstum facit in prostibulis, arenâ, aut scenis, quàm qui in homicidium, calore iracundiæ, in adulterium, furore libidinis, aut alia crimina, stultâ quâdam pertinaciâ, ruit? *Aff.*

Ut breve faciam: Annon exheredatio sit consentanea juri naturæ, quo de parentibus licet liberis, qui se non habent secundum naturam, privilegiumqué naturale non naturali maleficio perdiderunt, remittere debitũ', eosq; ab hereditate semovere, non item liberis ejurare parentes, quibus naturaliter semper sunt & manent obligati, cùm semper debeant parentibus, quantacunque tandem munera iis reddiderint, non sic parentes liberis? *Aff.*

Atque adeò, an iisdem ex causis parentes possint abigi à percipiendo officio liberorum, ex quibus excluduntur liberi ab hereditate parentum? *Neg.*

Convenienterqué, si, v g, impias manus parentibus intulerit filius, hunc contrà pater pugnis plagisqué coërcuerit, ille non non plecti debeat, atque omni hereditate abigi, hic non item, cùm multa liceant parentibus in liberos, quæ nefas liberos vel præsumere in parentes? *Aff.*

Annon eadem exheredatio quoque sit

consentanea juri divino, ut quæ fundetur in maledictione Simeonis, Rubenis,& Levi? *Aff.*

Necnon juri civili, quod utramque hîc facit paginam? *Aff.*

Itemné, si ex odio atque invidiâ parentes uni filiorum totam hereditatem abjudicent, & ex favore inconsulto in alterum translatum eant? *Neg.*

Et, annon excipi soleant quidam casus, in solatium præteritorum, aut supplantatorum indignè liberorum, utputà, si patres à novercis contra propria viscera incitentur, vel à parasitastris artibus parasiticis à naturali storge abducantur,ut non dubitent in fraudem juris heredes exheredes scribere? *Aff.*

Sed redeo ad patriam potestatem in genere, perpetuané, ita ut in filios maritos, & nepotes, se extendat? *Aff.*

Annon hoc stante, neque tamen obstante, eximantur nihilominùs aliquandò liberi è manu ac potestate parentum? *Aff.*

Nominatim morte naturali, quæ omnia solvit, dominiumqué aufert? *Aff.*

Etiamné civili? *Dist.*

Si minùs naturaliter, saltem civiliter? *Aff.*

Consequenterqué maximâ & mediâ capitis minutione, id est, libertatis civitatisque amissione? *Aff.*

Et

Et congruenter ſervitute? *Aff.*

Deportationequé ? *Aff.*

Itemné relegatione ? *Neg.*

Patriſqué vel filii captivitate ? *Neg.*

Saltem impiâ tractatione ? *Aff.*

Expoſitionequé ? *Aff.*

Vti & profanâ ad quæſtum meretricium proſtitutione? *Aff.*

Similiterné alimentorum negitatione? *Neg.*

Minimùm præſcriptione , veluti ſi annis decem ſe filius geſſerit pro patrefamiliâs ? *Aff.*

Adoptionequé ? *Diſt.*

Si minùs iterum naturaliter , cùm ut ſic poteſtas patria in alium reverà tranferri nequeat , eò quòd ſit perſonalis, & à naturâ non detur ad tempus , verùm in perpetuum, ſaltem civiliter ? *Aff.*

Emancipationequé , quæ & ipſa actus civilis ? *Aff.*

Annon interim ſic emancipati liberi, licet ſibi acquirant ac negocientur , non parentibus , teneantur nihilominùs exhibere illis reverentiam , non ſecùs , atque in poteſtate conſtituti ? *Aff.*

Petere quin etiam conſenſum in nuptiis ? *Aff,*

Et , an majeſtas patrem cogere poſſit, emancipare filium ? *Neg.*

Saltem invito patre hunc emancipare ,

hoc eſt, patriæ poteſtatis nexu liberare ex causâ, ſi videlicet exemtio illa vergat in ſalutem publicam, convenienterqué quoque proſit patri? *Aff.*

Promovere quin etiam ad honores, vel reluctante patre, ſalvo tamen quod fiat jure naturali, quod poteſtas humana ne ex hâc quidem causâ perrumpere poteſt, eò quod à Deo & naturâ ſit conſtitutum? *Aff.*

Hocqué aſpectu, patriæ poteſtatis vinculum videatur fortean ſolvere ac reſolvere civiliter dignitas, nominatim principatus, conſulatus, patriciatus, magiſterii militaris, licet neminem abſolvere poſſit ab obſequiis naturalibus, cùm contra jus naturale non valeat diſpoſitio ac creatio humana? *Aff.*

Dico civiliter. Atque adeò, annon, ut ſic, pietas, patri debita, cedat & concedat publicæ poteſtati? *Aff.*

In perpetuumné, an verò eo articulo tantùm, quando filius in munere publico occupatur? *Aff: Poſt.*

Quòd ſi filius fuerit abſque officio publico, publicamqué perſonam exuerit, atque ad privatam redierit, vel vitam, vel converſationem, annō tunc recidat in poteſtatem privatam patris filius civiliter, redeatqué ad poteſtatem patriam, quia deſiit repræſentare Rempublicam, extinctaqué eſt cauſa,

cauſa, quæ exercitium patriæ poteſtatis ſuſpendebat? *Aff.*

Et, an unquam filio, ac non potiùs Reipublicæ, cedat pater, cui eum ſubjecit natura, ſicut filium patri? *Aff.*

Repugnetqué adeò, quò minùs quis uno reſpectu ſit pater, altero filius? *Neg.*

Annon, ut ſic, ſi filius, v g, ſit prætor, patris judex eſſe queat? *Aff.*

Huncqué reluctantem poſſit cogere? *Aff.*

Annon interim, ad vitãdam ſuſpicionem, ſuperſedere potiùs debeat filius à jure dicundo, hancqué provinciam proprætori committere, cùm aliud ſit, quid poſſe, aliud debere? *Aff.*

Quid de doctoratus dignitate, magiſteriiqué, etiamné & ipſa patriæ poteſtatis nexibus exuit filium Doctorem, Magiſtrumvé, perſuade civiliter? *Diſq.*

Saltem epiſcopatus dignitas? *Aff.*

Monachiſmusvé? *Neg.*

Et in genere ſpiritualitas? *Neg.*

Venio ad matrimonium, in quo etiam finio, annon ſaltem per illud, tanquam per ſolẽnem modum ſolvendæ patriæ poteſtatis, liberi liberentur à jure, quod in ipſos habent parentes? *Neg.*

Ita ut uxor, cum venit in poteſtatem mariti, deſinat eſſe in poteſtate parentum? *Neg.*

Quòd ſi non, an ergò cum poteſtate ma-

ritali commodùm poſſit conſiſtere patria, ita ut in utriuſque poteſtate ſimul ac ſemel queat eſſe filia, in poteſtate mariti, quoad obſequia matrimonii, in poteſtate verò patris, quoad obſequia filialia & ratione aliorum effectuum? *Aff.*

Convenienterqué maritali poteſtati ita meta ſit ponenda, ne perturbet, aut omninò ſupprimat, jus patrium, quod Deus & natura aſſignârunt parentibus? *Aff.*

An ergò una perſona poſſit eſſe in duorum poteſtate? *Aff.*

Annon interim diſtinctæ ſint & maneant poteſtates, maritalis & patria? *Aff.*

Dividuariqué poſsint? *Aff.*

Vtra harum alteri cedat in hypotheſi; quando verſantur circa idem objectum, cum non diſtinguantur, niſi ratione lecti & domus, maritaliſné patriæ, an contrà? *Diſt.*

Cumqué adeò mandata mariti ac parentum in diverſa eunt, maritoné potiùs debeat morem gerere uxor, an parentibus? *Diſt.*

Saltem universè magis marito in theſi? *Aff.*

Atque adeò, annon lex divina mariti alliget imperio conjugem, non patris? *Aff.*

An ea lex obſtet, quò minùs, tam ille, quàm iſta, ſint in poteſtate parentũ, etiamſi ille fortaſsis jam ſit pater, iſta mater? *Neg.*

Uni-

Universè, an imperium hoc paternum rectè comparetur conferatur cum imperio regio? *Aff.*

Ideoqué malè in tyrannicum mutârit Romulus, commutârint Romulidæ? *Aff.*

Imperium Herile est, quod Herus & Hera, Iure Naturali Divino & Civili, exercent in communes Servos & Servas, eos gubernando, id est, dirigendo & corrigendo.

Repræsentat Imperium Civile Despoticum, sive Dominatum, quia hîc omnia referuntur, non solùm ad unius nutum atque arbitrium, sed etiam ad unius commodum & utilitatem. Quicquid enim servus acquirit, id hero suo acquirit, eodemqué exemplo serva heræ, peculio excepto.

Annon imperium, quod vocant, herile, hero competat jure naturæ, quæ alios animi dotibus, id est, necessariis dominationis instrumentis, instruxit, hosqué imperare, alios iisdem exarmavit, sed contrà corporis viribus, id est, necessariis servitutis adminiculis, succinxit, hosqué parere superioribus voluit? *Aff.*

Quæ, inquam, servum fecit propter usum, qui in recto illius regimine vertitur? *Aff.*

Annon idem imperium hero, proximè naturam, quoque competat jure divino, quod servos jubet parere suis dominis, etiam in speciem asperioribus? *Aff.*

Annon

Annon idemmet imperium hero quoque etiam nimis quàm competat jure civili positivo, quod parùm civiliter servos heris suis, non tam subdit, quàm subjicit, detrahens his omnia jura, quibus jure communi gaudent homines, nominatim matrimonium, familiam, genus, cognomen, testimonii-dictionem, testamenti-factionem, tam activam, quàm passivam, hereditatis aditionem, usucapionem, stipulationem, obligationem, contractum, fidejussionem, actionem, præterquè libertatem, atque officia civilia, etiam bona? *Dist.*

Quodquè adeò servos, æquè pro nullis, ac pro mortuis, habet, ideoquè vivis, & caput habentibus, non annumerat, rectenè? *Dist.*

Et, an servus per servitutem definat esse homo naturalis, perdatquè jus humanitatis, ipsi commune cum dominis? *Neg.*

Sitquè accessorium sui domini, ac non potiùs ejus concivis, immò conservus, in civitate hâc mundanâ? *Aff.*

Eâquè tam universali, quàm particulari? *Aff.*

Ideoquè habendus, ut homo, non naturaliter tantùm, sed civiliter? *Aff.*

Suo tamen loco atque ordine? *Aff.*

Utrum majoris artis sit, regere, an possidere servos? *Aff: Prius.*

Fortean ideò, quòd regimen præsup-

ponat

ponat scientiam, possessio non item? *Aff.*

Atque adeò, annon universa virtus heri consistat in benè regendis servis? *Aff.*

Convenienterqué is demùm frugi sit herus, non qui habet servos, sed qui iis benè scit uti? *Aff.*

Et, annon habere servos quilibet possit, regere non item? *Aff.*

Ipsorummet quin insuper dominorũ interfit, ne severiùs, quàm par est, tractentur servi? *Aff.*

Immò Reipublicæ? *Aff.*

Eò quòd nimia crudelitas ex servis faciat hostes? *Aff.*

Proptereaqué prudenter apud omnes ferè gentes variis modis sit cautum innocentiæ servulorum? *Aff.*

Verùm in scelere non scelere scilicet, involuntariisqué atque insciis delictis? *Aff.*

Absque hoc sit, annon vel ab arâ misericordiæ à dominis possint avelli, proqué meritâ noxâ puniri? *Aff.*

Et, vel virgis cædi, vel loris, quæ propriæ pœnæ servorum? *Aff.*

Etiamné capite plecti? *Neg.*

Atque adeò, annon potestas dominica se, præter libertatem, etiam extendat ad corpus? *Aff.*

Itemné ad vitam? *Neg.*

Et, annon rectè huic consuetudini, quæ dominis olim dabat jus vitæ & necis in ser-

vos, cum die per æquitatem ſenſim ſit detractum? *Aff.*

Dominiſqué in ſervos dati judices, qui ſicut de pervicaciâ ſervorum, ita de ſævitiâ dominorum, cognoſcerent? *Aff.*

Conſequenterqué generale præceptum, de non occidendo homine, de nõ profundendo ſanguine humano, etiam paſsivè applicandum ſit ad ſervos? *Aff.*

Immò activè ad dominos? *Aff.*

Idqué argumento legis ſpecialis, quæ pœnam irrogari jubet ei, qui ſervum ſuum aut ancillam virgâ percuſsiſſet, ita ut ex ictu illo moreretur? *Aff.*

Et, quòd nemini fas, re ſuâ in præjudicium ſalutis publicæ abuti? *Aff.*

Convenienterqué nec domino ſervo? *Aff*

Ideoqué magnum iterum errorem erret Bodinus, qui antiquum jus ſervitutis, herilemqué poteſtatem, poſtliminiò vult revocari? *Aff.*

Annon ſaltem rectè olim, ſuſpecto de crimine aliquo domino, ſervi in caput ejus ſint torti? *Neg.*

Propterqué ſuſpicionem cædis dominicæ omnes aliquandò ad ſupplicium rapti, omnis, inquam, familia ad contagium pœnæ tracta, quæ ſub eodem tecto manſitaverat? *Neg.*

Confectiqué, vel ætate, vel morbis, immò

mò integri ætate & viribus, venum expositi, instar possessionis, quæ non possidet, sed possidetur? *Neg.*

Atque adeò, annon, licet servus, quatenus consideratur, ut possessio, non secùs, ac alia bona mobilia, videatur posse distrahi, alienari, tamen quia idem quoque constituit personam Oeconomicam in certâ societatis classe, saltem hâc præcisione sit extra commercia humana seu hominum? *Aff.*

Sibiqué acquirat? *Neg.*

An ergò, etiam ut sic, quicquid acquirit, illi acquirat, in cujus potestate est, cùm ex jure gentium bona in sua potestate habere nequeat, qui non est suæ potestatis? *Aff.*

Atque ita quidem acquirat, ut ne momento quidē res acquisita consistat in personâ acquirētis, sed statim transeat ad eum, cui acquiritur, id est, dominum, sicut filiifamiliâs rescula ad patrem? *Aff.*

Universè, annon imperium hoc herile rectè conferatur cum imperio civili despotico? *Aff.*

Rectiùs, quàm cum tyrannico? *Aff.*

Imperium Personarum Domesticarum Compositum alio nomine dicitur Domesticum.

Imperium Domesticum est, quod Pater & Materfamiliàs, Iure Naturali Divino

& Civili, exercent in Domesticos, eos gubernando, id est, dirigendo & corrigendo.

Repræsentat Imperium Civile Mixtum, hoc est, partim Politicum, partim Basilicum, partim Despoticum. Nam politico imperio hîc paterfamiliâs utitur erga matremfamiliâs, basilico hæc cum illo erga communes liberos, despotico uterque erga communes servos & servas.

Annon imperium, quod vócant, domesticum, patrifamiliâs competat jure naturæ divino & civili positivo, quo de paterfamiliâs caput familiæ, hoc est, id in domo, quod Deus in mundo, præsul in choro, princeps in Republicâ? *Aff.*

Etiamné ab eo matrifamiliâs? *Aff.*

Immò cum eo? *Dist.*

Verùm subordinatum scilicet? *Aff.*

Hocqué aspectu materfamiliâs næ rectè dicatur appelletur domina, si minùs in ordine ad patremfamiliâs, saltem in ordine ad familiam, ad quam regendam unâ cum eo concurrit? *Aff.*

Annon imperium hoc domesticum sit diversum, ob personas diversas, quibus pater & materfamiliâs præsunt, quæ nō sunt ejusdem status & conditionis omnes, verùm diversæ? *Aff.*

Ideoqué diuerso quoque modo administrandum? *Aff.*

Atque adeò, annon aliter imperium hoc

sit

sit exercendum in uxorem, aliter in liberos, aliter in servos? *Aff.*

Et si, ideò bis rectè comparetur conferatur cum imperio civili mixto? *Aff.*

Annon interim ab imperio civili simplici differat specie, eò quòd domestici imperii unus solùm & semper sit dominus, & quidem in impares, civilis verò, nec unus solùm dominus, sed quandoque plures, neque ipsi plures semper cum imperio, sed vicissim, neque pari jure ac conditione omnes, illius materia etiam servi, hujus tantùm liberi homines, illius finis salus unius familiæ seu domus, hujus salus multarum familiarum seu domorum, in pagi, urbis, provinciæ, regni, imperii, hoc est, Reipublicæ modum descriptarum? *Aff.*

Quod imperio huic subordinatur, ac correlativè correspõdet, Obsequium, illud verò & ipsum, vel Simplex est, vel Compositum.

Obsequium Personarum Domesticarum Simplex iterum vel Vxorium est, vel Filiale vel Servile.

Obsequium Vxorium est, quod Uxor, Iure Naturali Divino & Civili, Marito suo præstat, ei parendo, id est, directioni ac correctioni ejus locum dando.

Repræsentat Obsequium Politicum, hoc est, civium democraticorum.

Annon obsequium, quod vocant, uxorium, uxori competat jure naturæ, quo de omne

omne fœmineum minùs aptum natum ad imperandum maſculeo, cujuſqué inſtituto deterius parere debet meliori, imperfectius perfectiori, ignobilius nobiliori, non contrà? *Aff.*

Et, annon vel ideò non ex capite viri deſumta ſit mulier, ut Minervam fabulantur poëtæ, ne dominium affectaret in virum, verùm ex latere, eoqué ſiniſtro, ut imbecillitatis ſuæ meminiſſet, quæqué eam comitari amat, ſubjectionis? *Aff.*

Ideoqué imperium uxorium non non ſit contra naturam, ſi minùs particularem, ut cum maritus, vel propter naturæ vitium, vel propter prudentiæ defectum, ad imperandum eſt ineptus, ita ut ipſe opus habeat moderato uxoris regimine, ſaltem univerſalem? *Aff.*

Quemadmodum contra naturam, corpus imperare animæ, appetitum rationi? *Aff.*

Annon idem obſequium uxori, proximè naturam, quoque competat jure divino, quo de uxor ſubjecta eſt viro, huicqué dominari prohibetur? *Aff.*

Ideoqué imperium uxorium in ſecundis etiam ſit contra ſcripturam, quæ mulieres jubet comas alere, caputqué velare, in ſignum ſubjectionis? *Aff.*

Annon idemmet obſequium uxori quoque etiam competat jure civili poſitivo omnium

mnium populorum, quorum leges in hoc conueniunt, marito ab uxore deberi obsequium? *Aff.*

Ideoqué imperium uxorium in tertiis quoque sit contra judicium rectæ rationis, quæ anima legum, mulieremqué subesse, non præesse, jubet? *Aff.*

Atque adeò, annon perquam ignominiosum in & per se muliebre imperium, servumqué nimis servitium, cum mulier, quæ parere debebat, imperat, vir, qui imperare debebat, paret? *Aff.*

Quando, inquam, fulmenta scansitant mensam, & gallina cantat, gallus tacet? *Aff.*

Atque adeò, annon mulieres viris, uxores maritis, imperium cedere ac concedere conveniat, vel propter famam, ne videantur affectare superbam γυναικοκρατίαν? *Aff.*

Aut, an qua mulier tam effrons, quæ de imperio in maritum privato publicè se ausit efferre? *Neg.*

Convenit ergò uxoribus obsequium: at quale, absolutumné, an verò limitatum? *Neg: Prius: Aff: Post.*

Saltem absolutumin iis, quæ non lædunt pietatem & bonos mores? *Disq.*

Quæqué non impediunt jus conjugii? *Disq.*

Remqué familiarem spectant, cui soli dedita

dedita debet esse uxor? *Disq.*

Etiamné in adiaphoris seu adiaphoricis, ut si febricitanti marito jubeatur porrigere vinum ab ipsomet febriente? *Disq.*

Universè, annon voluntarium debeat esse uxoris obsequium? *Aff.*

Dilectionisqué potiùs, quàm conditionis? *Aff.*

Politicumqué adeò,& politum, non servile,& servum? *Aff.*

Obsequium Filiale est, quod Liberi, Iure Naturali Divino & Civili, Parentibus suis præstant, eis parendo, id est, directioni ac correctioni eorum locum dando.

Repræsentat Obsequium Basilicum, hoc est, civium monarchicorum.

Annon obsequium, quod vocant, filiale, liberis competat jure naturæ, quo de generatum subjicitur generanti, junius seniori? *Aff.*

Annon idem obsequium liberis, proximè naturam, quoque competat jure divino, quo de liberi subjiciuntur parentibus, idqué tam activè, quàm passivè? *Aff.*

Annon idemmet obsequium liberis quoque etiam competat jure civili positivo, quo de, sicut imperii gloria relicta parentibus, in quorum potestate sunt liberi, ita obsequii honos relictus liberis, qui in potestate sunt, quæ subjectionem præsupponit correlativè? *Aff.*

Uni-

Universè, absolutumné sit hoc liberorum obsequium erga parentes, an verò limitatum? *Neg:Prius:Aff:Post.*

Saltem in iis, quæ non lædunt pietatem & bonos mores? *Aff.*

Quæqué non impediunt libertatem liberorum? *Aff.*

Etiamné in adiaphoris seu adiaphoricis? *Aff.*

Absque hoc sit, si, v g, parentes quid præcipiant contra Deum, & naturam, annon isto casu plus valere debeat parens æternus, quàm temporalis, cùm hic illi sit subjectus? *Aff.*

Plus, inquam, valere honestas, quàm potestas, si, v g, parentes jubeant incendere Capitolium, sibiipsis mortiferum offerre poculum, inqué se lethalem stringere gladium, contrucidare matrem, prodere patriam, patrem patriæ perdere? *Aff.*

Sicut &, si pater vetet alere matrem, fratrem, patruum? *Aff.*

Frigidamvé sibi poscat contra præscriptum medici, dum febri torretur, aut conditionem nuptiarum obtrudat liberis invitis, jubeatqué ducere infamem, causam orare pro Clodio aliquo, aut Tubulo? *Aff.*

Annon saltem parentibus istactenus mos sit gerundus, si, v g, jubeant ire in militiam, rus colere, hoc vel illud vitæ genus capessere,

capeſſere, hanc vel illam veſtem ſumere, cauſas defenſitare, uxorem ducere, ut juſſum proficiſci, ut accerſitum venire? *Diſt.*

Atque adeò, an expediat, ut per omnia, atque in omnibus, liberi ſubjiciantur parentibus? *Neg.*

Et, annon ſubindè ab obedientiâ liberetur filius, nominatim per officium publicum, ſaltem civiliter? *Aff.*

Ideoqué, ſi pater ſit perſona privata, filius verò publica, ille huic parere teneatur, non contrà? *Diſt.*

Si minùs in congreſſibus privatis, in quibus obſervari ſolet jus domeſticum, ſecundum quod filius eſt filius, minimùm in cōgreſſibus publicis, in quibus obſervari ſolet jus publicum, ſecundum quod filius familiâs, in magiſtratu cōſtitutus, vicem gerit patris familiâs, pater verò filii familiâs? *Aff.*

Itemné vitâ parentum improbâ atque improbatâ, ſi, v. g, impudicè, laſcivè, inhoneſtè vixerint, ſi in arenariorum, mimorum, veneficorum ordinem ſe receperint, beneficioqué ſuo, id eſt, vitæ, quam poſt Deum liberis dederunt, venenis aut maleficiis inſidiati fuerint, adqué interitum liberos tradiderint, exqué ſervitute, aut carcere indigno, non redemerint, aut furore correptos inhumaniter tractaverint? *Diſt.*

Et in genere, parum liberaliter domi foriſ-

foriſqué habuerint? *Neg.*

Quomodo hîc ſe gerere debeant liberi, ſævientibuſné reſiſtere parentibus, ſive illi verbis ſæviant, ſive verberibus, ſive flagris coërceant, ſive à menſâ abigant, ſive penates claudant, atque ædibus proturbent, de teſtamento, de ſpe ſucceſſionis dejiciant, & vel vinculis onerent manus? *Neg.*

Et, annon mali quoque parentes retineant nihilominùs jura parentum? *Aff.*

Etiamſi fortaſſis modum excedant, dum dolo careat exceſſus modò? *Aff.*

Atque adeò, annon ſatius ſit, injurias parentum cum laudabili patientiâ muſſitare, quàm cum execrabili impietate vindicare? *Aff.*

Præſertim, cùm perſolvi dignè gratia nequeat, ne malis quidem parentibus? *Aff.*

Et verò etiam verbera eorum æquioribus multò animis ſint ferēda liberis, quàm vel ſervis dominorum? *Aff.*

Ergoné, dicat aliquis, quicquid privatim ſtatuerint parentes, dummodò in ſævitiam intolerabilem non exeant, id omne ferendum? *Aff.*

Quid, ſi ſupra modum ſæviant, contraqué pietatem ac poteſtatem afficiant ex ſe genitos, annon ſaltem tunc licebit liberis modeſtè obſiſtere, leniter, inquam, & verecundè? *Aff.*

Atque adeò, annon vel vultu ſæpè lædatur

datur pietas? *Aff.*

Verbisvé? *Aff.*

Ideoqué vel in bonâ causâ humilis esse debeat oratio liberorum apud parentes, in quantum res finit? *Aff.*

Dico, in quantum res finit. Si enim hæc non finat, annon liberis, vegrandi injuriâ affectis, in parentes detur actio, ita ut hos in jus vocare, & legibus cum iis possint experiri? *Aff.*

Sive in potestate sint constituti, sive non? *Dist.*

Et, annon ob nimiam sævitiam erga liberos teneantur parentes hos emancipare? *Aff.*

An id facere facilè sint cogendi? *Neg.*

Aut actio in parentes liberis indulgenda facilè, atque absque veniâ? *Neg.*

Præcipuè, si actio sit famosa, quæ pudorem parentum suggillet, dolumqué arguat? *Neg.*

Atque adeò, annon meritissimo suo exheredari possint liberi ex hâc causâ, si in criminalibus accusaverint parentes? *Aff.*

Sicut &, si percusserint? *Aff.*

Testimoniumqué contra parentes dixerint non compulsi? *Aff.*

Sequé advocatos conduci sint passi contra eos? *Aff.*

Iudicesvé in eorum causâ sederint extra ordinem? *Aff.*

Annon

Annon hoc ſtante, neque tamen obſtante, pater à filio, in magiſtratu conſtituto, poſſit judicari? *Aff.*

Et vel damnari? *Aff.*

Salvâ pietate ac poteſtate? *Aff.*

Stare item, ſi ſit Vaſallus, pro domino feudi contra patrem? *Diſq.*

Saltem pro patre patriæ contra eundem? *Aff.*

Atque adeò, annon patrem perduellem reum perduellionis agere, & vel occidere poſſit filius? *Diſq.*

Patremvé bannitum? *Neg.*

Annon ſaltem fratri fas occidere fratrem bannitum, ſororemvé bannitam? *Neg.*

Aut filio matrem, deprehenſam in adulterio, juſſu patris? *Neg.*

An ergò parricidium committat filius, qui, quantumvis juſſus à patre, ſanguine materno ſe conſcelerat, inſanoqué ferro matris jugulum haurit? *Aff.*

Atque adeò, annon inter jubentem patrem, & vetantem naturam, hæc plus poſſit? *Aff.*

Convenienterqué plus tribuendum ſit æquo naturæ interdicto, quàm iniquo patris juſſo? *Aff.*

Universè, an parricidia unquam vacent impietate? *Neg.*

Inqué his ulla ſatis juſta cauſa ad ſceleris patrocinium poſſit prætexi? *Neg.*

Ideo-

Ideoqué ea tolerentur magis, quàm probentur, vel publicæ utilitatis causâ patrata? *Aff.*

Sed non priùs ſcilicet, quàm ſi in eas anguſtias res ſit redacta, ut niſi per cædem patris Reipublicæ conſuli nequeat? *Aff.*

An, utut hæc neceſſitas factum per ſe impium quâdamtenus excuſet, &, quicquid coëgit, defendat, propterea factum illud in laude ponat, præmioqué dignum faciat? *Neg.*

Et, annon parricidium caput criminum, inter peſſima ſcelera peſſimum, improbiſſimumqué immò complexus quidam ſcelerum? *Aff.*

An cadat in hominem ſanum? *Neg.*

Nedum filium, cui ſanum eſt ſynciput? *Neg.*

Ideoqué non abs re Perſæ neminem apud ſe fieri parricidam crediderint, ſed, ſi quid tale perpetratum eſſet, eum, qui perpetrâſſet, ſpurium judicaverint? *Aff.*

Alii, immanitate facti quaſi extra ſe rapti, occultæ fati malignitati imputârint tanti ſceleris impulſum, rectené? *Neg.*

Annon parricidium committatur, non tantùm cæde, ſed etiam ſolo conatu patrandæ cædis paternæ? *Aff.*

Manuumqué erectione, ac verberum intentatione? *Diſq.*

Criminationequé, ſeu verborum inſectatione? *Diſq.* Etiam-

Etiamné is accuſari poſsit parricidii, qui venenum tantùm in domo patris trivit, incertâ ſuſpicione, utrùm illud patri parâſſet? *Neg.*

Annon, ut humanam non ſentiant ſemper vindictam parricidæ, divinam tamen non effugiant nemeſin? *Aff.*

Et ferè puniantur pœnâ talionis? *Aff.*

Atque adeò, an impunè unquam contemnantur parentes? *Neg.*

Aut ullas imprecationes faciliùs exaudiat Deus, quàm quæ à parentibus funduntur contra liberos? *Neg.*

Ideoqué horum diræ ſummo ſint cavendæ opere? *Aff.*

Venio ad ſupplicium parricidarum, quod his poſuerunt leges, annon, ſi parentem puer verberit, vel mala huic verba duit, aſt ille plorâſsit, hic puer divis ſacer eſſe debeat? *Aff.*

Minimùm, vel manus præciſione plecti, vel linguæ? *Aff.*

Sin vitam ei improbè intercepſit, inſui culeo potiùs cum cane, & gallo gallinaceo, & viperâ, & ſimiâ, inrerqué eas ferales anguſtias comprehenſus, ſecundum quod regionis qualitas tulerit, vel in vicinũ mare, vel in amnem projici, ut omnium elementorum uſu vivus carere incipiat parricida, huicqué cœlum ſuperſtiti, & terra mortuo, auferatur, quàm deficiente aquâ

ad

ad beſtias damnari, quam pœnam in locum prioris videtur ſurrogâſſe Adrianus? *Aff.*

Sed cur parricidarum ſupplicio adjecta hæc animalia? Fortaſsiſan ideò, quòd enumerata animalia inteſtino odio ſe perſequantur, vipera ſimiam, gallus viperam, ſimia hominem? *Diſq.*

Utqué ſic tanti criminis reo, quo divino & humano jure munita pietas evertitur, major horror incuteretur? *Aff.*

Ad augendam, inquam, ſupplicii atrocitatem? *Aff.*

Sed cur nominatim vipera? Fortaſsiſan ideò etiam in ſecundis, quòd nihil videretur magis horrendum, quàm ſerpentum, quos ipſa natura, aut maledictio divina potiùs, nobis adverſos conſtituit, contubernio miſceri, proptervé paritatem fortean criminis viperæ, quæ maternam alvum, ut in lucem prodeat, exedere creditur, ſic dicta, quaſi vi ſuâ pereat? *Aff: Poſt.*

Cur deinde autem ſimia? Fortaſsiſan ideò, quòd oſculando fœtus ſuos necet, ob paritatem, inquam, & parilitatem delicti, an, quia parricidam oportuerit non eſſe nativum hominem, ſed mõſtrum aliquod, humanâ pelle obductum, quale præ ſe fert ſimia? *Aff: Prius.*

Cur denique culeus? Fortaſsiſan ideò, ut cœlum, ſol, aqua, terra, ex quibus omnia

mnia nata ac ſata eſſe dicuntur, adimerentur ei, qui eum necâſſet, unde natus eſſet? *Aff.*

Nevé aqua pollueretur, quâ cætera, quæ violata ſunt, expiari putantur? *Aff.*

Obſequium Servile eſt, quod Servi & Servæ, Iure Naturali Divino & Civili, Hero ac Heræ præſtant, his parendo, id eſt, directioni ac correctini eorum locum dando.

Repræſentat Obſequium Civile Deſpoticum, hoc eſt, civium in dominatu, ſeu regno dominico.

Annon obſequium, quod vocant, ſervile, ſervis competat jure naturæ, quo de ſubjiciuntur inferiores ſuperioribus, deteriores melioribus, imprudentes prudentioribus, ignari ſapientibus, minùs generoſi magis generoſis? *Aff.*

Annon idem obſequium ſervis, ſecundum naturam, quoque competat jure divino, quo de ſervi ſubjiciuntur dominis, tam activè, quàm paſſivè, etiam in ſpeciem aſperioribus? *Aff.*

Annon idemmet obſequium ſervis quoque etiam competat jure civili poſitivo, quo de ſervus eſt ſervus, id eſt, domino ſuo ſubjectus, ad obſequium obnoxium uſque? *Aff.*

An hoc ſervorum obſequium ſit abſolutum, an verò limitatum? *Neg: Prius: Aff: Poſt.*

Saltem in iis, quæ non lædunt pietatem, & bonos mores? *Aff.*

Etiamné in adiaphoris ſeu adiaphoricis? *Aff.*

Abſque hoc ſit, ſi domini quid præcipiant contra Deum & naturam, annon iſto caſu pluris eſſe debeat dominus æternus, quàm temporalis, cùm hic illi ſit ſubjectus? *Aff.*

Plus, inquam, apud ſervos valere honeſtas, quàm poteſtas? *Aff.*

Convenienter obſequio ſervili, quod magnùm quidem, ſed tamen non indefinitum, nedum infinitum? *Aff.*

Obſequium Perſonarum Domeſticarum Compoſitum alio nomine dicitur Domeſticum.

Obſequium Domeſticum eſt, quod Domeſtici, Iure Naturali Divino & Civili, Patri & Matrifamiliâs præſtant, his parendo, id eſt, directioni ac correctioni eorum locum dando.

Repræſentat Obſequium Mixtum, hoc eſt, partim Politicum, partim Baſilicum, partim Deſpoticum. Nam politico obſequio reſpectivè utitur materfamiliâs erga patremfamiliàs, tanquam uxor erga maritum, conjux erga conjugem, baſilico liberi erga utrumque, tanquam communes parentes, convenienterque patrem & matrem, deſpotico verò ſervi & ſervæ erga eoſdem,

tan-

tanquam communes dominos, herum, inquam, & heram.

Annon obsequium, quod vocant, domesticum, domesticis competat jure naturæ divino & civili positivo, quo de domestici membra familiæ, quam jure repræsentationis referūt pater & materfamiliâs, ille πρώτως, hæc δευτέρως? *Aff.*

Annon obsequium hoc domesticum sit diversum, ob personas diversas, quæ id præstant? *Aff.*

Ideoqué diverso modo exolvendum, aliter ab uxore, aliter à liberis, aliter à servis? *Aff.*

Et si, ideò næ rectè comparetur conferatur cum obsequio civili mixto, licet differat à simplici, & quidem specie? *Aff.*

CAPUT III.

Personarum Domesticarum consequens Officium. Divisio ejus in Commune & Proprium. Officium Commune sectum in Simplex & Compositum. Officium Simplex iterum in Maritale & Vxorium, Paternum & Filiale, Herile & Servile. Officium Compositum alio nomine dicitur Domesticum,

cõtinetqué Simplicia Officia collectivè. In utroq; genere Officiorum ſpectatum τὸ Ἠθικὸν, Οἰκονομικὸν, Πολιτικὸν, καὶ Θεολογικὸν, atque inde ipſa in Ethica, Oeconomica, Politica, & Theologica tributa, ſingulaqué ſigillatim recẽſita. Dubia, ſeu Quæſtiones Controverſæ, incidenter & pro re natâ.

Officium Perſonarum Domeſticarum univerſè vel Commune eſt, vel Proprium.

Officium Commune Perſonarum Domeſticarum eſt, quod ab iis conjunctim in ſocietate domeſticâ perſonali præſtatur, id eſt, ab utrâque perſonâ ſimul.

Eſtqué pro duplici ejus conſtitutione duplex, Simplex & Compoſitum.

Officium Commune Simplex, vel Conjugale eſt, ſeu Maritale & Uxorium, vel Paternum & Filiale, vel Herile & Servile.

Vnumquodque horum iterum, vel Ethicum, vel Oeconomicum, vel Politicum, vel Theologicum ſive Eccleſiaſticum.

Officium Commune Simplex Conjugale, hoc eſt, Maritale & Vxorium, ſeu, Mariti atque Vxoris, Ethicum eſt: Reddere utrinque bonâ fide debitum conjugale, per legitimum,

gitimum, sobrium, moderatum, & tempestivum congressum: Se mutuo, eoquè vero ac minimè fucato amore & honore prosequi: Fidem conjugalem inviolatam servare: Vitare cane pejus & angue ζηλοτυπίαν: Amicitiam atque concordiam inter se colere: Infirmitatibus, si corporis sint, condescendere, si animi, cedere ac concedere: Secreta tori non efferre. Oeconomicum: Individuo, quoad ejus fieri potest, contubernio convivere & cohabitare: Sibi invicem vitæ conjugalis præsidia & subsidia præstare, alimenta, vestimenta, operas, consilium, auxilium: Demùm, communia bona & mala habere. Politicum: Officia hæc ad commodum Reipublicæ, egregiumquè publicum, architectonicè referre. Theologicum sive Ecclesiasticum: Pro se invicem precibus apud Deum intercedere: Tum commune numen, communiaquè sacra conjugalia, habere.

Annon ad naturale, aut conjugale potiùs, debitum præstandum ex æquo obligetur uterque conjugum? *Aff.*

Ideoquè neuter possit continētiam perpetuam vovere, virginitatem perpetuam fovere, absque consensu alterius conjugis? *Aff.*

Atque adeò, an fovendæ perpetuæ virginitatis, vovendævé perpetuæ continētiæ causâ, sint quo casu contrahendæ nuptiæ, ac non potiùs liberorum procreandorum

animo & voto, ut ex prole diuturnitatis memoria relinquatur ? *Neg: Prius: Aff: Poſt.*

Et, annon heic tantùm non paria, non habere maritum, & habere maritum non-maritum, qui aut non eſt ſolvendo, aut non vult eſſe, cùm poſſit? *Aff.*

Fruſtraqué petat debitum, qui, quod debet, non impendit, & contrà, fruſtrà neget debitum, qui, quod negat, debet? *Aff.*

Teneturqué impendere? *Aff.*

Universè, annon utrumque conjugem nullius æquè rei ſtudioſum eſſe conveniat, atque liberorum rectè & legitimè procreandorum? *Aff.*

Ideoqué uterque ſuo loco ſtudere debeat ſobrietati & caſtitati? *Aff:*

Fortean ideò, quòd liberi, ex coitu parentum ebrioſorum & libidinoſorum ſeu libidinantium geniti, ferè & ipſi ſoleant eſſe propenſi ad ebrietatem ac libidinem? *Aff.*

Hocqué coitu ſatos innumerabilia maneant ac comitentur mala vitioſæ generationis? *Aff.*

Siqué illegitimo inſuper coitu ſint editi, præter alia incõmoda, per totã vitã indelebilis macula inhoneſtæ generationis? *Aff.*

Annon deinde autem conjuges conveniat ſe mutuo amore, & honore, qui veri

amoris

amoris consectarium esse solet, prosequi, idqué sine fuco & fumo? *Aff.*

Atque adeò, annon τὸ amare, quod videtur ἐγγὺς εἶδ' ἔρωτος πμᾶν, sit optimum poculum amatorium, potentius omni medicamento, omni carmine veneficæ? *Aff.*

Annon eosdem conveniat fidem conjugalem, quæ, sicut fama & oculus, ludum non patitur, inviolabiliter servare? *Aff.*

Vitare quin etiam, sanguine viperino cautiùs, τὸν ζήλοτυπίαν, quæ venenum conjugii, molestissimusqué & periculosissimus omnium affectuum, præsertim in fœminâ? *Aff.*

Et, neque amor, neque pars amoris? *Aff.*

Sed nec consequens amoris? *Aff.*

Universè, τύπος ζήλου potiùs, quàm ζῆλος τύπου? *Aff.*

Neque tam species invidentiæ, quàm odii? *Aff.*

Contraqué colere inter se amicitiam, & concordiam, præsertim practicam? *Aff.*

An ad hanc necessariò atque antecedenter requiratur concordia theorica, sive ὁμοδοξία, id est, sententiarum atque opinionum correspondus? *Neg.*

Idem, inquam, scire & nescire, sentire & non sentire? *Neg.*

Saltem idem velle & nolle? *Aff.*

Atque adeò, annon dictis convenienter, conqué gruẽter, conjux conjugis vitia quidem debeat nôsse, sed non odîsse? *Aff.*

Nedum cognita atque agnita efferre? *Aff.*

Annon interim, hoc stante, neque tamen obstante, ea amicis liceat quandoque aperire, salvo pudore domestico, quemadmodum, quæ in pudendis corporis partibus eveniunt, inflammationes, pustulæ, hernіæ, has detegimus medicis, aut iis, ad quorum curam hæc cura pertinet? *Aff.*

Transeo ab officiis conjugum Ethicis ad Oeconomica, interqué principia quærito, an individua illa vitæ societas, quæ est inter conjugatos, permittat, ut aliud mariti, aliud uxoris sit domicilium? *Neg.*

Ideoqué domus mariti reverà sit, & dicatur verâ re, domicilium matrimonii? *Aff.*

Consequenterqué mulier nubendo mutet domicilium? *Aff.*

Cumqué dotem debet exigere, ibi teneatur eam exigere, ubi maritus habet suum domicilium? *Aff.*

Eundem quin etiam sequi, si domicilium necessariò quærendum huic sit alibi? *Aff.*

Etiamné sponsa sponsum ante contractas nuptias, siquidem domicilium suum aliò transferat? *Neg.*

An

An ergò cohabitatio pertineat ad essentiam matrimonii? *Neg.*

Annon interim sit ejus accidens inseparabile? *Aff.*

Ideoqué nõnon vituperanda Caricarum mulierum consuetudo, quarum nulla cum marito cepit cibum, pransitavit, cœnitavit? *Aff.*

Annon dispar interim sit ratio & conditio hujus cohabitationis, quàm vel cohabitionis moralis in amicitiâ, vel civilis in civitate? *Aff.*

Cumqué inter conjuges fingitur societas quædam constituta, operarum, putà, & bonorum, societas hæc matrimonialis ad cohabitationẽ potiùs sit directa, quàm ad synallagma, & negociationem communem? *Aff.*

Atque adeò, annon quæsita bona, constante matrimonio, solius mariti dominio rectè adjudicentur? *Neg.*

Saltem viro plus ex acquisitis bonis, rationabiliter atque in hypothesi, debeatur, quia plus contulit operæ, studii, periculi, industriæ, laborum? *Disq.*

Et, an consultum sit, ut tantum possideant fœminæ, quantum viri? *Disq.*

Certioresvé fiant de parte, quam soluto matrimonio sint habituræ? *Aff.*

Annon interim in thesi æquius esse videatur, unioniqué conjugali, necnon a-

mori conjugali, convenientius, ut, ſicut in corporum, ita in bonorũ quoque communionem, conveniant? *Aff.*

Convenienterqué Jus noſtrum Municipale, probans communionem omnium bonorum, præferendum ſit hâc parte Juri Civili Romano? *Aff.*

Conqué ſequenter, vi hujus communionis, omne uxoris æs alienum ſit etiam æs alienum mariti, & contrà? *Aff.*

Ideoqué omne æs alienum, quod ſtante matrimonio eſt contractum, de communi ſit ſolvendum? *Aff.*

Geminamqué ob cauſam, ne donatio quidem inter conjuges heic inveniat locum? *Aff.*

Venio ad alimenta, veſtimenta, operas, conſilium, auxilium, quaſi ὑφεγ-ωγτε-ρολεγόμενα, quæſtionis eſt, annon etiam hæc ſibi invicem ex officio debeant conjuges? *Aff.*

Sed alia ſcilicet magis maritus uxori, alia magis uxor marito, ille huic alimenta, veſtimenta, conſilium, auxilium, hæc illi operas atque adjutorium, nunquid? *Aff.*

Saltem regulariter, & ſecundum naturam communem utriuſque ſexus? *Aff.*

Idqué non ſui tantùm causâ, ſed Reipublicæ? *Aff.*

Denique, annon conjugium, ſicut affert communionem corporum, domicilii, & bonorum,

norum, ita afferat, aut inferat potiùs, communionem eorundem ſacrorum, religioniſqué ſyncretiſmum? *Aff.*

Abſciſſené, ut illud, ita hoc? *Neg.*

Annon interim universè præſtet conjuges communicare in verbo eodem, iiſdem eodem modo uti ſacramentis, eundem eodem modo agnoſcere patrem Deum, eandem eodem modo recognoſcere matrem Eccleſiam, in privatis quin etiam preculis communicare? *Aff.*

Siqué qua hîc ſit conſequentiæ neceſſitas, (dico conſequentiæ, non conſequentis,) ut eſt, annon universè uxor potiùs venire debeat in participatum ſacrorum ſui mariti, quàm hic uxoris? *Aff.*

Annon idem de ſepulcrorum religione in ſpecie, quod de religione in genere, judicium? *Aff.*

Et, annon etiam hâc parte uxor debeat ſequi maritum, non contrà? *Aff.*

Officium Commune Simplex Paternum & Filiale, ſeu, Parentum & Liberorum, Ethicum eſt: Perſolvere utrinque τὰ ἀντίδωρα, inde σοργὴν ἢ θρεπτήρια, hinc ἀντιπελαργίαν ἢ ἀντιθρεπτήρια: Horſum inter ſe, cum amicitiâ conjunctam, in ipsâ inæqualitate, concordiam colere. Oeconomicum: Arcto quidem, veruntamen dividuo in futurum, contubernio convivere &

cohabitare: Se invicem defensitare. Politicum: Dicta officia ad commodum Reipublicæ, egregiumque publicum, architectonicè referre. Theologicum sive Ecclesiasticum: Pro se invicem precibus apud Deum intercedere: Tum commune numen, communiaque sacra patria, habere.

Annon parentes & liberi reciprocè obligentur ad ἀντιπεπονθὸς, tam naturaliter, quàm moraliter? *Aff.*

Æqualiterné? *Neg.*

Quorum in comparatione major sit obligatio, parentumné, an liberorum? *Aff: Post.*

Et si, fortean ideò, quòd, cùm mors sit omnium terribilium terribilissimum, vita verò in opposito ordine optabilium primas teneat, sitqué quasi basis & inchoamentum omnium operationum, hanc post Deum proximè liberi debeant parentibus? *Aff.*

Convenienterqué, quicquid est, quod dant parentibus, id verò multis partibus sit minus eo, quòd hanc ipsam dandi facultatem in antecessum parentibus debent, quibus acceptum ferre debent, quod habent, cùm eis debeant, quòd sint? *Aff.*

Atque adeò, an parentibus unquam par gratia possit referri à liberis? *Neg.*

Et, an unquam liberi benefaciant parentibus, ac non potiùs reddant tantùm beneficia? *Aff: Post.*

Hoc

Hoc religioſiùs obſtricti parentibus, quò magis quis tenetur reddere, quod debet, quàm novum beneficium in alium collocare? *Aff.*

Et, annon priùs exolvenda ſit vetus gratia, quàm promerenda nova novo beneficio? *Aff.*

Honeſtiuſqué, debito ſe potiùs exolvere alieno, quàm debitores ſibi novos conſtituere? *Aff.*

Niſi fortè ex beneficio major eluceſcat honeſtas, quàm ex debiti redditione? *Aff.*

An ea exceptio etiam hîc teneat? *Neg.*

Atque adeò, an liberi, ante ulla debita, quæ quocunque modo poſſunt contrahere, ulli mortalium quicquam debeant ante parentes, ſive de collocando beneficio, quod debitis ſemper poſtponendum, ſive de aliis aliundè contractis debitis, agatur? *Neg.*

Utqué omnia, quæ à parentibus acceperunt, reddant, aſſequantur gradum beneficii paterni? *Neg.*

Fortean, inter ac præter alia, etiam ideò, quòd parentes, quicquid faciunt erga liberos, ex benevolentiâ gratuitâ faciant, ex ſolo, inquam, naturæ impulſu, ſeu, voto naturali, liberi verò, præter affectū à naturâ implantatum, ex debito, ita, ut non tam de novo ſibi obligent parentes, quàm ſe ex veteri debito extricent? *Aff.*

Parné

Parné horum, persuade parentum, sit conditio, quæ obstetricum, nutricum, nutritorum, educatorum, institutorum, medicorum? *Neg:*

Et, annon his ex contractu debeamus, quod debemus, illis verò gratis? *Aff.*

Annon fortean vel ideò amplius quid debeatur, minimùm bonarum artium doctoribus, quàm parentibus, eò quòd sint altores & curatores, non corporis nostri, sed nostri ipsorum, neque necessitate naturali, ut parentes, sed bonâ voluntate? *Neg.*

Annon interim multò pluris sint horum merita, quàm emuntur? *Aff.*

An ideò venditori quid ultra precium debeat precii, qui benè emit? *Neg.*

Annon nominatim parentes obligentur ad στοργὴν, liberi verò ad ἀντιπελαργίαν? *Aff.*

Utrique utrinque ad amorem? *Aff.*

Quorum, in comparatione, major sit amor, parentumné, an liberorum? *Aff. Prius.*

Vel, quod eodem recidit, annon naturaliter parentes impensiùs & teneriùs ament liberos, quàm hi illos? *Aff.*

Fortean ideò, quòd omne generans, nescio quomodo, magis amet generatum, sicut artifex suum opus, quodqué amor descendat, non ascendat, parentesqué certiùs

nôrint,

nôrint, hos esse suos liberos, diutiusqué amârint, ob majorem, inquam, perfectionem generantis, producentisqué ac producti similitudinem, majorem item certitudinem ac notitiam, amorisqué diuturnitatem? *Aff.*

Addo & vehementiam? *Aff.*

Atque adeò, an ullus affectus sit supra paternum? *Neg.*

Saltem conjugalis? *Neg.*

Et, annon hunc multis parasangis post se relinquat ille alter? *Aff.*

An quis rectè hunc affectum percipere possit, nisi habeat, vel habuerit, liberos? *Neg.*

An quo pacto possit abscondi? *Neg.*

Supprimivé? *Neg.*

Annon interim in ipsâ comparatione, universè impensiùs ac intensiùs liberos amet naturaliter mater, quàm pater? *Aff.*

Iterum fortean ideò, quia certiùs noverit, quòd sint sui, longioriqué tempore amaverit, ut quæ novem integros menses hos in utero suo portaverit, proprioqué nutriverit sanguine, cum magno quin etiam labore ac dolore enixa sit, aqué partu propriis mammillis aluerit, frequentiùs denique cum illis conversata sit? *Aff.*

Interqué hos illa universè magis filios, quàm filias, hic filias, quàm filios? *Aff.*

Sicut avus neptes, avia nepotes? *Aff.*

Præ-

Præsertim, ubi parentes ad secunda vota transeunt? *Aff.*

Vtrique utrinque magis infantes provectioribus, pueros adultis, eos, ex quibus fructum educationis conspiciunt, quosqué honori sibi esse sentiunt, iis, in quibus hæc non conspiciunt, sentiuntqué? *Aff.*

Annon, præter στοργὴν, parentes in secundis quoq; etiam obligentur ad τὰ θρεπτήρια, cõgruẽterqué liberi, præter ἀντιτελαργίας officium, ad τὰ ἀντιθρεπτήρια? *Aff.*

Æqualiterné, & pari jure, utrique? *Neg.*

Atq; adeò, annon minori cum injuriâ liceat curam liberorum abjicere parentibus, hisqué denegare alimenta, quàm liberis abjicere curam parẽtum, hisqué negitare eadem? *Aff.*

Et, annõ vel ipsi egere teneantur liberi, ut parẽtibus, in paupertatem lapsis, siqué ipsi se exhibere nequeant, sit, unde vivant? *Aff.*

An ad denegationem hujus officii sufficiat, quòd parentes non imbuerint ipsos aliquibus disciplinis? *Neg.*

Constitutionemvé, quæ filios cogit alimenta præstare parentibus, siquidem ejus facultatis sint, ut id queant facere, possint relaxare homines? *Neg,*

Annon interim uterque parens suo loco vel præstando præstare teneatur alimenta ex se natis, loquendo absolutè? *Aff.*

Idqué ex fundamento patriæ pietatis,

neque

neque tam civiliter, quam naturaliter, cùm naturaliter omnes res incrementum expectare habeant inde, unde nactæ sunt initiũ, & verò etiam natura omnibus animalibus affectum hunc indiderit, ut fœtum suum quàm enixissimè cupiant alere, de alimẽto quin etiam his prospexerit, donicum ipsa sibi cibum quærere possent? *Aff.*

Ideoqué næ rectè Paulus Iureconsultus, juriquénaturæ perquam cõvenienter, eum, quem natura ad alimenta subministranda obligavit, si vadimonium suum deserat, neque à debito sese expediat, inter homicidas condemnet, eò quòd parẽtes, qui non alunt liberos, hos necare videantur, siquidem deditâ operâ id fecerint? *Aff.*

Non tantùm ii, qui partum præfocant, qui abortui malitiosè causam dant, vel percinctură nimiã, vel per saltationem immodicã, vel per variorũ ciborũ ingurgitationem, vel per ascititia alia media & remedia? *Aff.*

Sicut &, qui publicis locis misericordiæ causâ exponunt, quam ipsi nõ habent? *Aff.*

Atq; adeò, an vel ipsum jus civile permerè civiles modos possit adimere liberis jure naturæ debita alimẽta, quæ in subsidium, nõ ex cõmiseratione, iis præstantur, quàm diu impotẽtia sese nutriẽdi eos comitatur? *Neg.*

Ac non potiùs ad naturale debitum nutricationis persolvendum parentes cogat, si munere hoc alendi supersederint absque

que ſonticâ causâ? *Aff.*

Congruenter Juri Canonico, quod parentes, qui neceſſaria alimenta liberis ſuis negant, anathemate ferit? *Aff.*

Annon interim parentes de bonis ſuis ſuo arbitratu poſſint diſponere, dum liberis conſtent alimenta modò? *Neg.*

Saltém, ſi legitima, in cujus portionem ferè imputantur alimenta? *Aff.*

Et, an ea illi cogantur ſubminiſtrare, in quantum, vel quàm diu, cupiunt liberi? *Neg.*

Aut, quàm diu liberi ſunt liberi, filius filius, filia filia? *Neg.*

An ergò ad certam uſque ætatem? *Aff.*

An præcisè uſque ad annum duodevigeſimum? *Diſq.*

Proqué modulo facultatum? *Aff.*

Et dignitate perſonæ? *Aff.*

Nominatim, atque in ſpecie, an non tantùm liberi, in poteſtate conſtituti, ſint alendi, ſed etiam emancipati? *Diſt.*

Si minùs civiliter, ſaltem naturaliter, cùm ex inſtituto naturæ non minùs filius ſit & maneat, qui emancipatur, quàm qui poteſtati ſubjicitur? *Aff.*

Neque pauperes tantùm, & qui nullam callent artem, artificium nullum, quo ſe poſſint exhibere, id eſt, ſibiipſis de alimentis proſpicere, ſuiſqué ſe ac ſuos ſuſtentare operis atque operationibus, ſed

etiam

etiam divites, quibus aliundè est prospectum, etiam docti aliquam artem, aliquod artificium, vel opificium, dummodò illam, vel illa, sumtibus aut studio paterno non didicerint, neque pecuniam loco alimentorum acceperint, pecuniæqué impensis eam illud istud addidicerint, condidicerint, perdidicerint? *Disq.*

Atque adeò, an, quæ sine ope paternâ obtingunt, liberent parentes à debito naturali, quo obligati sunt liberis, ut totum parti? *Disq.*

Aut, an propterea parentes desinant debere, quia liberi desierunt egere? *Disq.*

Adeoqué, an cuiquam fortuna sua debeat esse damnosa? *Neg.*

Sed nec legitimi tantùm, verùm etiam illegitimi, spurii, vulgò quæsiti, adulterini, incesto coitu nati? *Aff.*

Si minùs de Iure Civili, minimùm de Iure Canonico, quod illius rigorem hâc parte correxit, rectené? *Aff.*

Ipsi quin immò fœtus monstrosi, imperfectivé? *Aff.*

Itemné monstra, in quibus nihil est humanitatis, sive illa ex homine & homine, sive ex homine & bestiâ, sint producta? *Neg.*

An ergò, si quid mulier prodigiosum ediderit, ita ut nihil humani insit, liceat illud, vel abjicere, vel occidere? *Aff.*

Etiamné

Etiamné fœtum imperfectum? *Neg.*

Quid de liberis prodigis, ingratiſvé, obliganturné parentes quoque ad hos alendos? *Neg.*

Et, ſi non, ideò his non ſit ſubveniendum, ne pietas paterna damno, & impietas filialis commodo afficiatur? *Aff.*

Præſertim tunc, ſi parentes in anteceſſum ratam bonorum partem his aſſignârint, eamqué illi futiliter atque inutiliter prodegerint? *Aff.*

Liberiqué ingrati pertinaciter perſtiterint in ſuâ ingratitudine? *Aff.*

Neque parentibus offenſis, interveniente pœnitentiâ, aut aliâ aliquâ ſatisfactionis ſpecie, fuerint reconciliati? *Aff.*

Vniversè, annon ante omnia mater, cujuscujus etiam illa ſit ſtatus & conditionis, uberibus ſuis teneatur alere liberos infantes, ſemel ob rationem naturalem, eò quòd natura mater non fruſtrà ipſi largita ſit geminas mammas, non tam venuſtatis, quàm neceſſitatis, causâ, lactisqué copiam ſtatim à partus tempore dederit, quodqué magna mater terra nativo ſuo ſucco alat plantas ex ſe genitas, beſtiæqué proprio lacte nutriant ſuos fœtus, & in genere omnia alantur iiſdem, ex quibus ſunt, quodqué ſic naturalis amor inter matrem & liberos, qui permagnam habent cum lacte materno cognationem, magis magiſqué intenda-

tur,

tur, cùm major matris nativæ erga prolem ſit, neſcio quomodo, affectio, quàm nutricis mercenariæ, & quòd ſecùs dictus amor, matri debitus, derivetur in nutricem, iterum ob rationē moralem, eò quòd contrario lactandi inſtituto totum non rarò temperamentum, quod in infantibus nondum eſt confirmatum, ſed inſtar ceræ mollicellæ omnium adhuc impreſſionum capax, immutetur, convenienterqué unà cum lacte nutricio ab his, præter morbos, novi bibantur imbibantur mores, demùm ob rationem civilem, ut ſic majori diligentiâ ac curâ habeantur ſubnaſcentes fœtus, qui ſeminarium Reipublicæ? *Aff.*

Atque adeò, annon vel plantis inſenſibiliores, brutis immaniores, ſint tales matres, quæ natis ſuis negant, quod nec ſtirps ramis, aut turpis ſimia catulis? *Aff.*

Quæ, inquam, impiè erubeſcunt fieri n utrices, cùm ſint factæ matres, ſanctiſſimumqué illum fontem, generis humani educatorem, temerè ſine ullâ neceſſitate ſinunt areſcere? *Aff.*

Dico, ſine ullâ neceſſitate. Annon enim hinc excipiendus caſus infirmitatis, in quo matres nutricationis officium piè delegare poſſe videntur aliis, nominatim ancillis, aut nutricibus, nunquid? *Aff.*

Indiſcriminatimné quibuſvis? *Neg.*

Quòd

Quòd ſi non, annon in optandâ nutrice ſpectandæ veniant eædem rationes, naturalis, ut ſit corporis benè ſani, habeatq́; lac ſubſtantiæ mediocris quoad craſſitiem & tenuitatem, tũ omni ex parte æquale, colore candidum, ſapore dulciculum, odore gratum, moralis, ut ſit honeſta & proba, hilaris, placida, ſobria, caſta, ſermonis expediti & blandi, non locutuleja ſive garrula, civilis, ne peregrina ſive transmarina? *Aff.*

Tenetur ergò mater alere liberos infantes: Etiamné adultos? *Aff.*

Æquené, atque pater, iſqué idoneus? *Neg: ſaltem Diſq.*

Et, ut non, ſi illo ſuperſtite atque ſuperſtitante liberos nihilo ſeciùs aluerit, potiſné eſt petere ac repetere impenſas? *Neg.*

An avus quoque maternus cogatur alere liberos, ſi aut pater non ſit, aut non ſit idoneus? *Diſt.*

Fratervé ſororem, ſi non habeat, unde vivat? *Aff.*

Itemné reliqui cognati cognatos inopes? *Neg.*

Nominatim patruus fratris filium? *Neg.*

Aut ſuſceptor ſuſceptum, compater ſpiritualem filium? *Neg.*

Iuvat quærendo incedere ulteriùs, rogitarequé, annon inter parentes & liberos detur amicitia aliqua? *Diſt.*

Si minùs ἐν ἰσότητι, ſeu æquiparantiæ, ſaltem

saltem ἐν ὑπεροχῇ, seu disquiparantiæ, orta ex inæqualitate personarum, quæ inferiorem subjicit superiori, indigniorem digniori, imperfectiorem perfectiori, minùs utilem utiliori? *Aff.*

Et, annon ex lege hujus inæqualis amicitiæ denuò obligentur, inde parentes, tanquam superiores, ad beneficia præstanda liberis, tanquam inferioribus, hinc liberi, tanquam inferiores, ad honorem ac reverentiam præstandam parentibus, tanquam superioribus, unà cum recompensatione acceptorum inantè beneficiorum pro virili? *Aff.*

Itemné ad cohabitationem & convictum? *Aff.*

Defensionemqué? *Aff.*

Idqué non sui tantùm causâ, sed Reipublicæ? *Aff.*

Denique, annon obligatio, quæ est inter parentes & liberos, sicut affert communionem habitationis & victus, ita afferat, aut inferat potiùs, communionem eorundẽ sacrorum, religioniqué syncretismum? *Aff.*

An vel illud vel istud abscisse? *Neg.*

Annon interim universè præstet, hos communicare in verbo eodem, iisdem eodem modo uti sacramentis, eundem eodem modo agnoscere patrem Deum, eandem eodem modo recognoscere matrem

Eccle-

Ecclesiam, in privatis quin etiam preculis communicare? *Aff.*

Siqué qua omninò heic sit consequentiæ necessitas,(dico cõsequentiæ,non consequentis,) ut est,annon universè liberi potiùs venire debeant in participatum sacrorum suorum parentum, quàm hi illorum? *Aff.*

Annon idem de sepulcrorum religione in specie,quod religioue in genere,judicium? *Aff.*

Et, annon etiam hâc parte liberi debeant potiùs sequi parentes, non hi illos? *Aff.*

Officium Commune Simplex Herile & Servile, seu, Heri & Servi,Heræ & Servæ,Ethicum est: Ordinem naturæ imperantis vel parentis in se agnoscere, eumqué suo loco laudare âc sequi: Colere inter se cum amicitiâ quâdam conjunctã in summâ inæqualitate concordiam, adeoqué paria in ipsâ imparitate facere. Oeconomicum: Dividuo in futurum eventum contubernio convivere & cohabitare: Se invicem defensitare. Politicum: Officia hæc ad commodum Reipublicæ, egregiumqué publicum, architectonicè referre: Theologicum sive Ecclesiasticum: Pro se invicem precibus apud Deum intercedere: Tum commune numen, communiaqué sacra dominica, habere.

Annon

Annon doctrina de officiis heri & ſervorum etiam includat doctrinam de officiis heræ atque ancillarum? *Aff.*

Fundamentumqué habeat in naturâ, quæ ordinem hunc in particularibus ſubjectis ſanxit, inducto, ut corporum, ita animorum, diſcrimine, diverſaqué cuique, ut inſtrumenta, ita munia, attribuit? *Aff.*

Annon ordinem hunc naturæ, tam dominum, quàm ſervum, cõveniat in ſe grato animo agnoſcere, illumqué ſe componere ad imperandum, hunc ad parendum, niſi velint θεομαχεῖν, id eſt, naturæ repugnare? *Aff.*

An inter hos locum habeat amicitia ſtrictè ſumta? *Neg.*

Si minùs amicitia, quæ ἐν ἰσότητι, minimùm ea, quæ ἐν ὑπεροχῇ? *Neg.*

Annon ſaltem quaſi-amicitia, id eſt, quidam animorum conſenſus, inter impares, in bono utili? *Aff.*

Immò etiam in bono honeſto, putà, ſi uterque ſit bonus, dominus frugi, nec ſervus nauci? *Aff.*

An hæc conſpiratio in virtute inducat veram amicitiam, ita ut ſervus ſit alter ego, hoc eſt, is, qui dominus, ac non potiùs etiam ſic ſit maneatqué ejus, qui eſt dominus? *Neg: Prius: Aff: Poſt.*

Non dominus, ſed domini? *Aff.*

Neq; tam amicus amici, quàm amicus amico? *Aff.*

An obligentur ad officia ſimpliciter paria? *Neg.*

Cohabitationemqué & convictum ſimpliciter? *Neg.*

Saltem ad defenſionem reciprocam, atque æqualem ſimpliciter? *Aff: Prius: Neg: Poſt.*

Idqué, non ſui tantùm causâ, ſed rei quoque causâ publicæ? *Aff.*

Denique, annon obligatio, quæ quoquo modo intercedit inter dominum & ſervum, ſicut affert communionem habitationis & victus, ita afferat, aut inferat potiùs, communionem eorundem ſacrorum, religionisqué ſyncretiſmum? *Aff.*

Abſciſſené? *Neg.*

Annon interim universè præſtet, hos communicare in verbo eodem, iiſdem eodem modo uti ſacramentis, eundem eodem modo agnoſcere patrem Deum, eandem eodem modo recognoſcere matrem Eccleſiam, in privatis quin etiam preculis communicare? *Aff.*

Siqué qua omninò heic ſit conſequentiæ neceſſitas, (dico cõſequentiæ, non conſequentis), ut eſt, annon universè ſervi potiùs venire debeant in participatum ſacrorum ſuorum dominorum, quàm hi illorum? *Aff.*

An etiam hîc idem de ſepulcrorum religione in ſpecie, quod de religione in genere,

nere, judicium? *Neg.*

Et, si non, an ergò alius domini tumulus, alius servi? *Aff.*

Alia illius justa, alia hujus? *Aff.*

Illius exequiæ, hujus sepultura? *Aff.*

Officium Commune Compositum alio nomine dicitur Domesticū: Complectiturque suo ambitu omnia officia communia simplicia, hactenus enarrata. Idem quippè Patris & Matrisfamilias ac Domesticorum officium commune conjunctim in familiâ seu domo, quod Mariti & Uxoris, Parentum & Liberorum, Heri & Servi, in suis classibus ac societatibus separatim. Inde igitur illa petenda, atque huc ἀπὸ κοινῦ repetenda sunt, adhibito judicio Philosophico.

Annon familia sit cœtus hominum, ex uno patrefamiliâs, aliisque, qui sub ejus imperio domestico vivunt, consociatus? *Aff.*

An necesse sit, ut hæ personæ semper unà habitent in eâdem domo? *Neg.*

Ideoque ad constituendam familiā sufficiat, si familiares sub unius patrisfamiliâs, imperio degant, etiamsi in diuersis forsitan regionibus vel locis habitent? *Aff.*

Plaustrisque pro domibus utantur? *Aff.*

Laresque habeant instabiles, atque ex loco in locum volubiles? *Aff.*

Atque adeò, annon habitator arcæ na-

tantis, quæ ſeminarium generis humani ſervabat, cùm omnia tecta mergerentur, familiam nihilominùs retinuerit, deſtructis domibus? *Aff.*

An ergò familia quoque eſſe poſſit ſine parietibus ac domo? *Aff.*

Si vel nulla unquam fuerit, vel, quæ fuit, incendio, ruinâ, tempeſtate, ætate, interierit? *Aff.*

Et ſi, ideò natura ejus atque eſſentia, non in materiali domo, quæ fundamento parietibus ac tecto conſtat, ſed in formali, conſiſtat? *Aff.*

Ideoqué ad ſui conſervationem indigeat officiis formalibus earum perſonarum, unde materialiter conſurgit? *Aff.*

An ea ſint alia in compoſitione, atque ſunt extra compoſitionem? *Neg.*

Niſi quod illic ſint compoſita, hîc incompoſita? *Aff.*

CAPUT IV.

Perſonarum Domeſticarum Officium Proprium. Et ipſum duplex: Simplex & Compoſitum. Illud continet Officium Peculiare, inde Mariti, Parentum, Heri, hinc Vxoris, Liberorum, Servi: Hoc Officium Peculiare, inde Patris & Matrisfa-

trisfamiliâs, hinc Domesticorum. In utroq; genere Officiorum pari modo consideratum τὸ Ἠθικὸν, Οἰκονομικὸν, Πολιτικὸν, καὶ Θεολογικὸν, atque hâc occasione Officia illa in Ethica, Oeconomica, Politica, & Theologica dissecta, singulaqué ordine exposita. Dubia, seu Quæstiones Controversiæ, incidenter & pro re natâ.

OFficium Proprium Personarum Domesticarum est, quod ab his seorsim in societate domesticâ personali præstatur, id est, ab alterutrâ personâ separatim.

Estque & ipsum, pro duplici ejus constitutione, duplex, Simplex & Compositum.

Officium Proprium Simplex, vel Maritale est, vel Uxorium, vel Paternum, vel Filiale, vel Herile, vel Servile denique.

Unumquodque horum rursus, vel Ethicum, vel Oeconomicum, vel Politicum, vel Theologicum sive Ecclesiasticum.

Officium Proprium Simplex Maritale, seu Mariti, Ethicum est: Uxori bono exemplo ad virtutem & honestatem præire: Nævos ejus ferre, hosque condonare sexui,

conjugio, & communibus, si qui sunt, liberis. Oeconomicum: Uxorem prudenter humaniterque regere: Huic alimenta & vestes, victum, inquam, & amictum, omniaque ad esum usum & lusum necessaria, subministrare: Præstare ei defensionem contra vim & injurias: Demùm, accuratam euram prægnantis, parturientis, parientis, aliovè malo detentæ, habere. Politicum: Huic nomen, familiam, dignitatem, statum, conditionem, conferre: Theologicum sive Ecclesiasticum: Instituere eam in religione, & ceremoniis sacrorum.

An ullâ re faciliùs & feliciùs uxor regatur, quàm exemplis? *Neg.*

Ideoqué huic maritus suo exemplo ad virtutem & honestatem domi sedulò debeat præire? *Aff.*

Siqué eam ea, quæ honesta sunt, & laudabilia, non docuerit, hanc omissionis culpam, velit nolit, teneatur præstare? *Aff.*

Sicut & illam commissionis, si, v g, præter modum studuerit corporis cultui, si voluptatibus, atque inde uxor mota fuerit ad luxum & libidinem? *Aff.*

Atque adeò, an marito heic quid liceat, quod uxori non licet? *Neg.*

Et, annon hæc faciliùs delictis suis atque erratis inveniat veniam, quàm ille? *Aff.*

Magisqué ille hujus, quàm hæc illius,

nævos

nævos teneatur ferre? *Aff.*

Vitare quin insuper in hujus regimine duos fatales scopulos, qui multos maritos præcipites dedêre, nimiam videlicet indulgentiam ex unâ, asperitatem ex alterâ parte? *Aff.*

Annon idem huic quoque etiam teneatur præstare alimenta, tam ea, quæ nutritioni, quàm ea, quæ corporis cultui inserviunt? *Aff.*

Hoc est, præter cibaria vestiarium? *Aff.*

Calceariumqué, *Aff.*

Nominatim, mundum muliebrem? *Aff.*

Idqué, sive ea sit dotata, sive indotata? *Aff.*

Utqué promissam inantè dotem fortè non solverit? *Dist.*

Quòd si suum heic maritus officium non fecerit, verùm id neglexerit, posthabueritvé, annon meritò propterea privari possit lucro dotis? *Aff.*

Annon interim suo loco atque ordine etiam atque etiam cavere debeat, ne liberaliori sumtuũ erogatione impotenti sexui ansam præbeat superbiendi, cæteraqué ordinis sui fœminas exquisitori vestitu antecellendi? *Aff.*

Annon præter alimenta atque vestimenta maritus uxori, tanquam costæ sub bra-

chiis sitæ, insimul debeat necessariam defensionem? *Aff.*

Naturaliterné tantùm, an etiam civiliter? *Aff: Post.*

Fortean ideò, quòd sicut uxoris omne decus à marito pendet, cujus honore erigitur, genere nobilitatur, ita omne ejus dedecus in eundem recidat? *Aff.*

Ideoqué, cùm qua injuria uxori est illata, meritò agendi potestatem habeat? *Aff.*

Siqué, cùm uxorem defensitaret, aggressorem occiderit, servato atque observato moderamine inculpatæ tutelæ, pœnam propterea haud incurrat? *Aff.*

An perindè aut peræquè uxor maritum teneatur, vel alere, vel defendere? *Neg.*

Minimùm inopem, absentemvé? *Dist.*

Si minùs civiliter, saltem naturaliter? *Aff.*

Annon heic illud quoque sit de officio mariti, ut curam non inaccuratam uxoris prægnantis, parturientis, in morbo cubitantis, habeat? *Aff.*

Hoc majorem, quò majus, ex imprægnatione, partu, morbo, periculum? *Aff.*

Annon supra hæc omnia maritus uxori communicet nomen, familiam, dignitatem, statum, conditionem? *Aff.*

Convenienterqué, ut nobilitatem, ita ignobilitatem? *Aff.*

An ergò nuptiis concilietur nobilitas, si

v g, plebejæ conditionis fœmina in viri nobilis tranſierit matrimonium, iiſdem quoque perdatur nobilitas, ſi, v g, nobilis familiæ fœmina in viri ignobilis tranſierit matrimonium? *Aff.*

In ſpecie, clariſſimatus honorem amittant ſenatorum filiæ, non nuptæ clariſſimis? *Aff.*

Proqué cedendo, maritus nobilis nobilitet uxorem ruſticam, & contrà, maritus ignobilis uxorem nobilem faciat ignobilem? *Aff.*

Amittat nobilitatem maritus, quæſtionis eſt, an præjudicet eo in caſu nobilitati conjugis? *Diſt.*

Uxor ignobilis nubat nobili, quæſtionis eſt, an præjudicet liberis, eo matrimonio natis, naſcendiſvé? *Neg.*

An hoc nobilitatis honeſtamentum, & oppoſitæ ignobilitatis dehoneſtamentum, (loquor comparatè, non abſolutè,) etiam tranſeat ad ſponſam? *Neg.*

Saltem viri defuncti nobilitas ignobilitaſvé adhæreat etiam viduæ, viduali durante ſtatu? *Aff.*

Itemné privilegia, atque immunitates perſonales, quæ marito ſunt conceſſæ ad dies vitæ, vel officii ſolummodò ratione competierunt? *Neg.*

Denique, annon maritus cum uxore quoque etiam teneatur communicare jura

religionis ,& conjugalium ſacrorum ? *Aff.*

Convenienterqué eam inſtituere in religione , ac ceremoniis ſacrorum ? *Aff.*

Officium Proprium Simplex Uxorium ſeu Uxoris , Ethicum eſt: Ad mariti exemplum & mores ſe componere , ingeniumqué ejus pro lege ac normâ habere: Eum vereri , & revereri , pro capite , inquam , ac domino agnoſcere. Oeconomicum : Marito regenti modeſtè locum dare : Nihil ſine ejus conſilio agere: Dotem ad eum pro ſublevandis matrimonii oneribus afferre : Operas huic domeſticas præſtare : Tum in omni fortunâ ſequi , comitari. Politicum : Defunctum conjugem lugere ſecundum leges, neque temerè , aut feſtinanter , ad ſecunda vota , ſeu nuptias , tranſire. Theologicum ſive Eccleſiaſticum : Iura religionis, & ceremonias ſacrorum , eo docente ac ducente diſcere.

Annon mores atque humores mariti debeant eſſe pro lege uxori ? *Diſt.*

Si minùs incompoſiti, ſaltem compoſiti & regulati ? *Aff.*

Annon huic in ſecundis debeat honorem , tanquam præſtantiori ac præſtabiliori ? *Aff.*

Eumqué vocare dominum ? *Aff.*

Itemné ille eam vice versâ dominam ? *Diſt.*

Saltem comiter , familiariterqué ? *Aff.*

Annon huic, benè atq; in loco monenti, tenea-

teneatur in tertiis modestè locū dare? *Aff.*

Nihil quin etiam sine ejus consilio agere? *Aff.*

Tum dotem ad eum, pro sublevandis matrimonii oneribus, afferre? *Aff.*

Sed & operas huic domesticas præstare? *Dist.*

Ministeriumqué? *Dist.*

Si operas, obsequiales né sive officiales, an verò industriales sive artificiales? *Aff: Prius: Disq: Post.*

Eò quòd omnium operarum societas mediante conjugio videatur esse contracta, nunquid? *Disq.*

Atque adeò, annon, si præter operas domesticas uxor negocietur, vel alio aliquo artificio, absque operâ atque impensis viri, quid lucretur, lactandové lucrum faciat, etiam id huic acquirat? *Disq.*

Annon interim maritus possit talem uxorem domi potiùs ad operas, sibi ac familiæ debitas, detinere, quàm permittere, ut cum familiæ dispendio, communiumqué rerum neglectu, foris, rebus propriis intenta, circumcursitet, propriorum satagens, communium incuriosa? *Aff.*

Si ministerium, liberale né tantùm, an verò etiam illiberale, ita ut teneatur, v g, lectum sternere, coquinam facere, aquam portare, secare frumenta, aliaqué famularia ac rusticalia agere? *Dist.*

Annon uxor, ut ad ulteriora condescendam, maritum teneatur sequi, comitari, & quidem in omni fortunâ, quoniam nubendo, non prosperæ tantùm, verùm omnis fortunæ, initur societas? *Aff.*

Etiamné vagum & vagabundum? *Dist.*

Saltem tunc, si tempore contracti matrimonii sciverit, eum talem esse, consensusvé aliquis, & approbatio subsequens, accesserit? *Aff.*

Itemné, si uxorem vitium hoc latuerit? *Neg.*

Deficiatqué post-factum, quod vetat accusari ante-factum? *Neg.*

Quid de marito bannito, damnatoqué in exilium, etiamné hunc tenetur sequi uxor, comitari, præsertim si domicilium alicubi constituerit, vel injuriâ judicis fuerit pulsus, aut per seditionem civitate ejectus? *Aff.*

Mortuové, nõ quidem civiliter, sed naturaliter? Insanirené heic eam cõvenit Indicarum & Thracicarũ fœminarum insaniam, quæ insiluerunt defunctorum conjugum rogos, sequé præcipites in flammas miserunt, aut uxoris Senecæ delirare delirium, quæ sibi unà cum marito curavit incidi venas, quò eum ad ditis regiam, ac subterranea regna, sequeretur? *Neg.*

Annon saltem hunc debeat lugere? *Aff.*

Immò

Immò elugere, hoc est, per integrum legitimi temporis spacium lugere, sive annum vertentem? *Aff.*

Qualis annus hîc intelligatur, Romuleusné, decem mensium, an Julianus, duorum & decem? *Dist.*

Annon liceat uxori maritum etiam diutiùs lugere, neque præcisè tam diu? *Aff.*

Annon per plures fortean annos? *Neg.*

Aut plura lustra? *Neg*

Inqué genere, per reliquum vitæ? *Neg.*

Atque adeò, annon modus inesse debeat luctui, cogitarequé deceat uxores, se cum hominibus vixisse? *Aff.*

Ideoqué non non improbanda sit earum superstitiosa pietas, quæ se lentâ ægritudine, aut pertinaci inediâ, domi conficiunt, lamentisqué ac fœmineo ululatu utuntur, surdis ad solantium interpellationes auribus? *Aff.*

Annon quandoque liceat etiam minùs diu lugere, & vel intra annum luctus, intra, inquam, tempus legibus definitum, transire ad secunda vota? *Aff.*

An statim primo, secundo, vel tertio, ab excessu mariti, mense? *Neg.*

Et, an talis, quæ sic ad secundas nuptias convolat, videatur nubere in domino? *Neg.*

Utqué viro mortuo soluta sit mulier, Pauli oraculo, lege viri, propterea etiam soluta sit lege pudoris tantilli temporis? *Neg:*

Ideoqué punienda in talibus ſit irregulata feſtinantia ſive feſtinatio matrimonii, vel infamiâ? *Aff:cum Civiliſtis.*

Dico irregulata. Quòd ſi enim aliqua non eluxerit, ſed intra tempus luctus animum adjecerit ad novũ matrimonium, domeſticis neceſſitatibus compulſa, illiconé cenſoriâ notandi virgulâ, & quæ nupſit, & qui duxit? *Neg.*

Atque adeò, an vir quoque teneatur geminâ pœnâ, qui aliam ſuperinduxit intra annum currentem à prioris uxoris obitu? *Neg.*

Annon ſaltem aliis pœnis, quæ in favorem liberorum prioris matrimonii ſunt conſtitutæ, in recompẽſationem injuriæ, quàm illi pati à tali patre creduntur? *Aff.*

Annon ſubindè viduis remitti ſoleat neceſſitas illius luctus, permittiqué, ut nubant intra legitimum tempus, dummodò non ſint prægnantes? *Aff.*

Nominatim ob publicam lætitiam? *Aff.*

Rectené? *Diſq.*

Atque adeò, an hæc prohibitio ſit tantùm juris merè poſitivi, ita ut ei pro libitu derogare poſſit princeps, ac non etiam inſimul rationis naturalis, fundata in lege ſanguinis, atque uteri incertitudine? *Aff.*

Publicâqué honeſtate, quæ dictat, non facilè connivendum eſſe nimiæ mulierum levitati, ad ſecunda vota, ex mero libidi-

nis

nis incendio, properantium? *Aff.*

Quòd si contingat nasci prolem intra annum luctus, prioriné, an posteriori marito, sit adjudicanda? *Dist.*

Annon liquidò priori primo semestri? *Aff.*

Itemné, æquequé liquidò, altero? *Neg.*

Si minùs exeunte, saltem ineunte? *Aff.*

Universè, annon præstet, uxorem viduam perpetuam viduitatem fovere, quàm transire ad secundas nuptias? *Dist.*

Si minùs in hypothesi, saltem in thesi? *Aff.*

Fortean, quòd, quæ proportio virginitatis ad matrimonium, eadem sit viduitatis perpetuæ ad secundas nuptias? *Aff.*

Annon interim liceat etiam post obitum conjugari? *Aff.*

Præsertim viduis juveniculis? *Aff.*

Immò & seniculis? *Aff.*

Ideoqué malè Tertullianus secundas nuptias vocet lascivas atque illegitimas, Ecclesia verò Græca famosas? *Aff.*

Nec meliùs tertias & quartas damnatas eadem? *Aff.*

Atque adeò, an reiteratæ nuptiæ absolutè sint damnandæ? *Neg.*

Cùm habeant eundem finem sibi propositum, quem primæ? *Aff.*

Et verò etiam viduæ sæpiculè indigeant hoc remedio? *Aff.*

Annon

Annon interim ſecundæ nuptiæ rarò ſecundæ? *Aff.*

Vel ideò, quòd ſecundò nubentes obliviſcantur ferè liberorum, horumqué curam novi conjugis amori poſtponant, annon? *Aff.*

Atque ita haud dubiè paratus ſit vitricus iis liberis, quibus ſuperinducitur noverca? *Aff.*

Denique, ut verbo abſolvam officia uxoris, annon, ſicut maritus tenetur cum uxore communicare jura religionis, & conjugalium ſacrorum, eamqué inſtituere in religione, ac ceremoniis ſacrorum, ita uxor è cõverſo teneatur ſequi religionem & ſacra ſui mariti, convenienterqué jura religionis, & ceremonias ſacrorum, eo docente ac ducente diſcere, ſalvâ tamen, quod fiat, arbitrii libertate? *Aff.*

Officium Proprium Simplex Paternum, ſeu Parentum, Ethicum eſt: Liberis bono exemplo ad virtutem & honeſtatem præire: Eos in bonis moribus ac litteris formare, informare. Oeconomicum: Hos convenienter regere, atque educare: Certo eos vitæ generi cum judicio conſecrare: Adultos, ac maturos jam conjugio, honeſtè elocare, dotareque: His theſaurizare: Demùm, eos heredes bonorum ſuorum inſtituere, ſiqué nondum puberes fuerint, tutores his conſtituere. Politicum: Eos partici-

pes

pes reddere ſtatus & familiæ, patriæque commodis antecedaneo voto deſtinare. Theologicum ſive Eccleſiaſticum: Inſtituere eoſdem in religione, & ceremoniis ſacrorum.

An ullâ re faciliùs & feliciùs regantur liberi, quàm exemplis? *Neg.*

Ideoqué his parentes ſuo exemplo ad virtutem & honeſtatem domi ſedulò debeant præire? *Aff.*

Siqué eos eæ, quæ honeſta ſunt, & laudabilia, utiliaqué, non docuerint, hanc omiſſionis culpam, velint nolint, teneantur præſtare? *Aff.*

An hæc ſola culpa, putà, quòd parentes liberos non imbuerint liberalibus diſciplinis, ſufficiat ad alimentorum denegationem, reverentiæqué debitæ ſubtractionem, id quod videtur voluiſſe Solon? *Neg.*

Et, annon, licet his non habeant acceptam ferre liberi doctrinam atque eruditionem, vitam tamen nihilominùs debeant atque victum? *Aff.*

Atque adeò, annon parentes, præter generationis & nutricationis officium, liberis quoque debeant τὴν παιδείαν inſtitutionem, ita, ut vel ipſi hos inſtituere teneantur, vel pro eorum inſtitutione inſtitutoribus mercedem ſolvere? *Aff.*

Quando inſtitutio hæc puerorum infantum ſit inchoanda, ab ipſiſné mox incunabulis? *Neg.* Aut,

Aut intra primum triennium? *Neg.*

Quadrienniumvé? *Neg.*

Et, annon hoc tempus tribuendum ſit nutricibus ac gerulis, quæ fabellis ac narratiunculis ingenuis, in ſpecie verò directis atque accommodatis inſtituto vitæ, quod infantes de parentum conſilio aliquandò ſunt ſecuturi, eorum animos paſcant? *Aff.*

Saltem intra primum ſeptennium? *Aff.*

Annon à quinto anno ad ſeptimum conveniat eos eſſe ſpectatores potiùs earum diſciplinarum, quas diſcere aliquandò debebunt, quàm diſcipulos & actores? *Aff.*

Immò & actores quodammodò, quoniam quieſcere nequeunt, & verò etiam litterarum initia ſolâ memoriâ conſtant, quæ non modò jam eſt in parvnlis, verùm etiam tenaciſſima? *Aff.*

Cumqué corpuſcula horum tenera dirigantur, ne in obliquum curventur, cur non & tenelli animuli? *Aff.*

Annon quàm ſtudioſiſſimè hîc ſit cavendus ὁ ἀναποδισμὸς, perverſus in docendo diſcendové ordo? *Aff.*

Incipiendumqué ab inferioribus, ac progrediendum ad ſuperiora, à magis neceſſariis atque utilibus, ad minùs neceſſaria atque utilia, & inde inde demùm ad jucunda? *Aff.*

Neque tam multa docenda, diſcendavé, quàm

quàm multùm, eò quòd, qui ubique eſt, nuſquam ſit, qui ubique habitat, nuſquam habitet, turbaqué diſcentem oneret, non inſtruat? *Aff.*

Annon nominatim, atque in ſpecie, ſint erudiendi in artibus? *Aff.*

Liberalibuſné tantùm, an verò etiam illiberalibus? *Diſt.*

Tum, privatimné, an publicè? *Diſt.*

Utra inſtitutio alteri præſtet, privatané publicæ, an contrà? *Aff:Poſt.*

Fortean ideò, quòd illa ferè laxior, & magis luxata, hæc ſtrictior & aſtrictior? *Aff.*

Sed & utilior, eò quòd ſic excitentur ipſâ comparatione erecta ingenia, quæ luce ac celebritate gaudent, interqué eorundem ſtudiorũ commilitones ex ipsâ ſtudiorum ſimilitudine tacitè adoleſcat amicitia, magno Reipublicæ cum commodo, cujus liberi ſunt quoad uſum? *Aff.*

Morumné major ac penſior hîc ſit habẽda ratio, an verò eruditionis & doctrinæ? *Aff:Prius*

Iterum fortean ideò, quòd illi plus conferant ad vitam rectè inſtituendam, quàm iſtæ, cùm mali mores plùs noceant Reipublicæ, quàm inſcitia & ruditas? *Aff.*

An, ſi vel in moribus, vel in doctrinâ, ceſpitent delinquantvé pueri, propterea ocyùs ſint cædendi virgis? *Diſt:Prius:Diſq. Poſt.*

Aut

Aut, nisi maturè indolem prodant, à studiis mox removendi? *Neg.*

Vel cum Spartanis in Taygetum projiciendi? *Neg.*

Atque adeò, utra ingenia sint meliora, præcociané, similia imitantibus spiculas herbulis, quæ inanibus aristis ante messem flavescunt, salici, quæ adolescit quidem maturè, sed sterilis est, fœminis, quæ, quò pariunt maturiùs, hoc senescunt citiùs, hoc breviora, quò illustriora, sicut ignis, quò luculentior, hoc propiùs periculum extinctionis, an verò dura atque acerba, quæ seriùs matureſcunt, haud absimilia vino acerbo, atque pomis immaturis, quæ cum tempore miteſcunt, olivæ, quæ serò quidem provenit, verùm fructum fert profert egregium, tabulis æneis, quæ ægerrimè scripta percipiunt, at retinent tenacissimè? *Aff: Post.*

Usque adeò nullum maturè magnum ingenium vitale, seniliſqué juventa præmaturæ mortis prodromus! *Aff.*

Imminentisqué exitii argumentum ipsa maturitas! *Aff.*

Quòd si liberi natu jam sint grandiores, annon sit consultum, equé re privatâ pariter & publicâ, eos studiorum causâ peregrè mittere? *Aff.*

An parentes his domo teneantur submittere necessarios sumtus? *Aff.*

An

An etiam hi contineantur alimentorum appellatione, si verbi proprietatem spectes? *Neg.*

Omnesné sine delectu in sacram illam peregrinationem sint mittendi, etiam plebejæ animæ, & terræ, quod ajunt, filii, qui suæ sic affixi sunt glebæ, ut cochlea domiporta testæ? *Neg.*

Minimùm illustres? *Aff.*

Illustriqué loco nati? *Dist.*

Verùm ita, ut in peregrinatione vitent peregrinitatem? *Aff.*

Neque animo peregrinentur, sed corpore? *Aff.*

Aut animo quidem, verùm scientiæ, prudentiæ, morum causâ? *Aff.*

Quales præceptores institutioni puerorum sint præficiundi, annnon, qui præter pietatem, probitatem, amorem, patiẽtiam, diligentiam, fidem, experientiam, ad institutionem afferant necessariam doctrinam & methodum? *Aff.*

Quales contrà conveniat esse discipulos, annon εὐφυεῖς, φιλητόους, φιλομαθεῖς, φιλοπόνους, φιλαλήθεις, φιλεταίρους, denique φιλοδιδασκάλους, qui præceptores suos, tanquã alteros parẽtes, ament? *Aff.*

Etiam πληκτικὸς, plagosos? *Aff.*

Itemné pædagogos? *Dist.*

An ergò præceptores differant à pædagogis, saltem moribus Romanis? *Aff.*

Et,

Et ſi,fortean ideò, quòd pædagogi olim fuerint ut plurimùm ſervi domeſtici, non item præceptores? *Aff.*

Annon hi quantovis honore ſint digni ob meritum inſtitutionis? *Aff.*

Cumqué diſcipuli beneficia propterea in eos conferunt, perſoluto didactro, donationiſné ea veniant nomine,ac non potiùs remunerationis? *Aff:Poſt.*

Ac tantùm non tacitæ obligationis? *Aff.*

Quæ præſumitur eſſe tanta, ut diſcipulus, ejus intuitu, non videatur poſſe eſſe teſtis in causâ præceptoris, præſertim favorabili, quæqué ſtat pro præceptore, rectené, & foro juſtitiæ convenienter? *Aff.*

Annon præter officium hoc inſtitutionis parentes quoque debeant educationis regimen ex ſe natis? *Aff.*

An ergò educatio diſtet ab inſtitutione, ita ut altera non contineatur in & ſub alterâ? *Aff.*

Annon perneceſſaria domi familiæqué, adeò, ut quæ officium hoc negligit familia, ea verò videatur quodammodò θηριοτροφεῖν, hoc eſt, beluas alere, & ſerpentes in ſinu fovere, in matris viſcera mox graſſaturos? *Aff.*

Cùm educatio & diſciplina mores faciant,neque magis vitia educationis infantilis corrigantur in puerili, puerilis in juvenili, atque vitia primæ concoctionis in ſecundâ,

cundâ, ſecundæ in tertiâ? *Aff.*

Et quòd, vulgi verbo, conſuetudo ſit altera natura? *Aff.*

Identicené, & per formalitatem, an verò identificè, & per æquipollentiam? *Neg. Prius: Aff: Poſt.*

Ideoqué, cùm ea educationis ſit neceſſitas, bis conſultum ſit, revocare in uſum veterum παιδονομίαν, adhibito tamen quod fiat humanitatis temperamento? *Aff.*

Atque adeò, annon vel ipſe ſtimulus naturalis parentes ad liberorum ſuorum educationem hortetur, exhortetur? *Aff.*

Infraqué tantùm non animalium ſortem conſiſtant, qui natorum curam hâc parte ejurant? *Aff.*

Neque in liberos tantùm peccent, verùm etiam in Rempublicam? *Aff.*

Quòd ſi parentes non poſſint vacare huic officio per occupationes, aut paulò numeroſior his ſit ſoboles, annon iſto caſu præſtet educationis curam demandare probis honeſtiſqué viris, ne induſtria eorum in infinitum diſtendatur? *Aff.*

Itemné ſimilitervé ſervis? *Diſt.*

Minimùm iis ſervis, qui conditionem ſervilem virtute ſarciunt? *Aff.*

Vel ideò etiam, quia videas liberos, paternarum opum ac dignitatis præproperè gnaros, educatoſqué dominicè, criſtas ferè erigere, obedientiæqué jugum in anteceſſum excutere? *Aff.* Uni-

Universè, blandené, an duriter, liberi sint educandi? *Dist.*

Aliter infantes, aliter pueri, aliter adolescentes? *Aff.*

Duobusné primis tantùm annis circumscribatur infantia, an verò primo septennio? *Aff:Post.*

Etiamné in fœminis? *Neg.*

Annon in illis sufficiat sexennium? *Aff.*

Lactené alendi infantes, an vino? *Aff. Prius:Neg:Post.*

Et, utri rectiùs, qui vini usum his indulgent anno quarto, cum Haliabâ, an verò, qui anno decimoquarto, cum Galeno, aut decimooctavo, cum Platone? *Aff. Postr.*

Annon ad parentum curam etiam pertineat, præter victus providentiam, solicitudo de rectâ membrorum corporis conformatione ac confirmatione, rectitudine, inquam, partium, ne quid gibbosum distortumvé in lumbis, brachiis, cruribus, appareat? *Aff.*

Huicqué cognata cura incessûs, sermonis, ac pronunciationis? *Aff.*

Atque adeò, annon, si quid in pedibus vel linguâ occurrat impedimenti, id quàm primùm arte atque industriâ sit corrigendum? *Aff.*

Neque verò tolerandum, ut, qui cum tenero alumno agunt, balbutiem ejus, per

blan-

blanditias ac jocos, imitentur? *Aff.*

Nedum circa eum ferendi, qui non valent vocis articulatione, cumqué Doribus habent πλατυσμίαν? *Aff.*

Annon ploratus quoque infantur-
rentibus sit habenda ratio, clar-
Aff.

An temerè, vel
bendus, cùm
deatur ut

runt in terrâ, quò auſpicarentur recti eſſe atque erecti, nudis verticibus incedere voluerũt, quò ſic munitaretur caput contra
oris appulſus, circumſtantiſqué aëris
tem? *Neg.*
rim Celtarum ac Germanorum,
rapido dubios in gurgite
urios mergi, legi-
ἀνίσο-
n
ri-
us
alia,
es reji-
forma-
impedi-
m, mo-
c barba-
rtes effice-
f.
uvẽtutis,
adeoqué

adeoq; circa τὴν παιδοτριβικὴν, præter modũ, attendendus ſit locus, advertendũ tempus, ipſa quin exercitiorum quantitas & qualitas conſideranda? *Aff.*

Modum ſi ſpectes, annon illa in hoc genere ponderoſiora, quæ inter exceſſum & defectum tenent medium? *Aff.*

Si locum, illa, quæ inſtituuntur ſub dio, ſpacio libero à maligno aëre, ad Orientem Septentrionemvé, atque extra ferè, non intra, urbem? *Aff.*

Si tempus, annon præſtet antemeridianum pomeridiano, matutinum veſpertino? *Aff.*

Itemné æſtivum hiberno, vernum autumnali? *Diſt.*

Atque adeò, annon temperata exercitia conducat exercere vere, frigida æſtate, calida hieme, media inter hæc autumno? *Aff.*

Sin ipſa exercitia, annon heic præferri jus fas liberalia illiberalibus, virilia effœminatis, dura mollibus, remiſſa violentis, humana inhumanis, civilia incivilibus, uſitata inuſitatis, patria forenſibus ſive foraneis, denique ſeria ludicris? *Aff.*

Annon interim, præter ſeria exercitia, quibus ſanitati atque agilitati corporis lacertiſqué conſulitur, bellicaqué civitatis ſeges nutritur, ceu ſunt, deambulatio, curſus, ſaltus, diſcus, lucta, pugilatio, natatio, et-

jam huic ætati ſint danda concedenda exercitia ludicra, relaxationi animi quæ ſerviunt, ceu ſunt, globuli, trochus, pila, ſphæra, pyramides, latrunculi, folia, gemmæ, cæteriqué id genus ludi, qui vel ſolo aſpectu aut auditu oblectāt, inqué induſtriâ aut peritiâ vertuntur, vel ſolâ operâ detinent, famoſis, ac purè caſualibus, cujuſmodi ſunt, actiones ſcenicæ, miſtæ ex eroticis & ſatyricis, luduſqué talarius & teſſerarius, à canone exceptis, ſequeſtratis? *Aff.*

Atque adeò, annon pueri infantes, vel ab aſpectu, auditu, & loquelâ rerum turpium ſint arcendi, eò quòd cerei ſint in vitium flecti, & verò etiam catena quædam ſit inter hæc ordine, videre turpia, audire turpia, proloqui turpia, ac tandē facere? *Aff.*

Ideoqué maxima puero debeatur reverentia, ſi quis quid turpe parat, neque ejus temnendi contemnendi ſint anni? *Aff.*

Inter capita bonæ educationis etiam referas licet deliberationem de genere vitæ, quod liberi aliquandò debent ſequi: Quæro ergò, annon certo vitæ generi à teneris ſtatim unguiculis ſint conſecrandi? *Aff.*

An in eo deligendo parentes ſuum tātùm judicium debeant ſequi, an verò etiam ingenium atque inclinationem liberorum? *Aff: Poſt.*

Sed & illud de officio parentum, ut liberos adultos, & maturos jam conjugio, honeſtè

neſtè elocent, convenienter oraculis divinis, quæ volunt, filio uxorem accipi à parentibus, filiam locari elocari à parentibus: Quæro ergò iterum, annon præſtet hos collocare in matrimonium volentes, quàm domi detinere invitos, dum anguſtia rei familiaris non obſtet modò? *Aff.*

Præſertim filias nubiles? *Aff.*

Fortaſſiſan propter periculum? *Aff.*

Et, an parentes unquam pudicitiam ſuarum filiarum ſatis poſſint ſervare, harumqué caſtitatem cuſtodire ab amatorum technis atque inſidiis? *Neg.*

An ad hoc elocationis officium, quod de circũſtantiis veriùs ac ſolẽnitatibus matrimonii, quã eſsẽtiâ, parẽtes poſſint cogi? *Aff.*

Sicut & ad cognatũ dotationis officiũ? *Aff.*

Etiamné, ſi filia ſit locuples, atque aliundè habeat, unde ſe poſſit dotare? *Diſq.*

Turpiterqué vivat? *Neg.*

Vel inſciis parentibus, ante vigeſimum quintum ætatis annum, nubat marito indigno, hoc eſt, ei, qui ex turpitudine vitæ laborat infamiâ? *Neg.*

Saltem tunc, ſi nubat ei, qui moribus non eſt conveniens dignitati ac decori familiæ, inferioriſvé conditionis? *Diſq.*

An parentes teneantur dotare liberos, ſive eos habeãt in poteſtate, ſive non habeant? *Aff.*

Etiam naturales & illegitimos? *Diſt.*

Minimùm mater? *Aff.*

In ſubſidiumné tantùm, & jure ſecundario, an verò primario? *Neg:Prius:Aff: Poſt.*

Itemné avus maternus? *Aff.*

Sed in ſubſidium ſcilicet, idqué matris? *Aff.*

An ad hoc officium etiam teneantur patres adoptivi? *Diſt.*

Patruuſvé? *Neg.*

Fratervé? *Diſt.*

Parẽtes aſſignaverunt dotem filiæ, quam ea poſtea culpâ ſuâ amiſit, quæritur, an teneantur illam redotare, id eſt, iterum dotare? *Neg.*

Filia à parentibus non condignè eſt dotata, & horſum petit ſupplementum, quæritur, an ſit audienda? *Diſt.*

Minimùm tunc, ſi ex exiguâ dote fuerit enormiſſimè læſa? *Aff.*

Filia à parentibus competenter eſt dotata, dotequé ſuâ contenta, verùm poſtmodùm augentur parentum facultates, quæritur, an & hæc poſſit agere ad ſupplementum dotis? *Neg.*

Parentes legaverunt filiæ pro dote, tempore nubilis ætatis, mille ſcutatos, eâ lege, ut interim deponerentur, dequé fructibus aleretur, quæritur, annõ huic debeatur illud plus, quod ultra alimenta ſupereſt ex fructibus? *Aff.*

Quic-

Quicquid sit, annon parentes potiùs teneantur liberis colligere thesauros, quàm liberi parentibus? *Aff.*

Ideoqué per accidens, atque ex eventu, eveniat, ut liberi parentibus, in pauperta-tem prolapsis, subveniant, turbato mortalitatis ordine? *Aff.*

An ergò, quicquid liberi contraxerunt æris alieni, id omne, vi obligationis hujus, parentibus solvendum? *Neg.*

Aut, quod eodem redit, an parentes pro liberis regulariter obligentur ex contractu? *Neg.*

Saltem, si fidejusserint simpliciter pro liberis, vel mandatores extiterint, jussuvé eorum illi contraxerint, aut pecunia in rem ipsorum fuerit versa? *Aff.*

Vel parentes ex delictis liberorum fuerint facti locupletiores? *Aff.*

Annon his jure naturæ nominatim debeant hereditatem? *Aff.*

Tam ab intestato, quàm ex testamento? *Aff.*

Et quidem ante omnes alios? *Aff.*

Convenienterqué liberi sint necessarii heredes contemplatione naturæ, quæ eos vocat ad successionem parentum, horumqué hereditatem ipsis addicit? *Aff.*

Ideoqué testamentum, in quo liberi sine causâ sunt exheredati, vel præteriti, ipso jure perimatur, proqué inutili habeatur? *Aff.*

Immò pro nullo? *Aff.*

Annon interim parentes, utut teneantur liberos instituere heredes naturaliter, minimùm in legitimâ bonorum, civiliter, ultra atq; extra eam queant possint de suis bonis ad libitum disponere, eâqué inter heredes distribuere inæqualiter, dum certam modò portionem prægravatis sartam rectam seponant, quam legitimam vocant? *Aff.*

Vel alimenta his relinquant loco legitimæ, siquidem ea præfinita non sit? *Aff.*

Alterutrum si sit, si legitimam alimentavé habeant liberi ex bonis parentum, etiamsi omnia distrahant, an liberis ideò detur querela inofficiosæ alienationis? *Neg.*

Fortean ideò, quòd legitima non assignetur à vivis, & verò etiam ante obitum parentum in bona eorum liberi nihil habeãt juris, annon? *Aff.*

Ad quem pertineat determinatio legitimæ alimentorumqué ad certam quãtitatem, annon ad eum, qui potestatem condendæ legis habet in suo territorio? *Aff.*

Pro arbitrioné? *Neg.*

Atque adeò, annon tam illa quàm ista assignãda sint pro modo facultatum, quantitatequé bonorum, quæ in articulo mortis, deducto ære alieno, ac sumtibus funeris, superant, secundum item dignitatem personæ,

næ, & consuetudinem familiæ ac loci? *Aff:Prius:Neg:Post.*

Annon excipiantur quidam casus nominatim in solatium supplantatorum liberorum, putà, si patres à novercis, aut matres à vitricis, contra propria viscera incitentur, vel à parasitastris artibus parasiticis à naturali storge abducantur, ut non dubitent, in fraudem heredum, bona vel dilapidare, vel in combibones ante obitum conferre, turpemvé testamento instituere personam, vel multò minoris ea vendere, subvé specie contractus inofficiosè donare? *Aff.*

Et, annon eveniente tali casu pater dissipator videatur posse cogi ad assignandam liberis legitimam vel ingratiis? *Aff.*

Quòd si acceperit quid filius vivis parentibus loco legitimæ, quæritur, an possit plus petere, si auctæ sint postea parentum facultates? *Neg.*

Aut quid teneatur reddere, si sint diminutæ? *Neg.*

An in legitimam quoque etiam computentur donata in vitâ per parentes? *Neg.*

Minimùm tunc, si eâ conditione sint data, ut imputentur? *Aff.*

Annon nominatim, atq; in specie, in partem & portionem legitimæ imputentur dos, ac donatio propter nuptias? *Aff.*

Itemné studiorum sumtus? *Neg.*

Omnibusné ea debeatur liberis? *Neg.*

Etiam illegitimis, spuriis, naturalibus, adulterinis, nefario coitu natis? *Neg.*

Annon saltem alimenta omnibus de æquitate Canonicâ? *Aff.*

Legitimaqué maternorum bonorum? *Aff.*

Annon integrum sit liberis, corporané velint, an æstimationem? *Aff.*

Donareq; adeò possint mortis causâ? *Neg.*

Testarivé vivis parentibus? *Neg.*

Minimùm consentientibus? *Dist.*

Dequé rebus propriis? *Aff.*

Atque adeò, an libertas testandi de re suâ, jure gentium & naturali competens, cuiquam sine causâ possit auferri? *Neg.*

Nedum liberis? *Neg.*

Annon interim, si impuberes fuerint, his tutores possint dare parentes? *Aff.*

Itemné, delatam ipsis hereditatem, sine horum consensu cum effectu repudiare? *Neg.*

Annon præter bona parentes, (imprimis pater,) liberis quoque communicatum eant nomen, familiam, statum, & conditionem? *Aff.*

Honoremqué, qui familiæ est annexus? *Aff.*

Convenienterqué, ut nobilitatem, ita ignobilitatem? *Aff.*

An ergò nativitate acquiratur nobilitas,

juſti parentes, etiam banniti ac publicè infames, latrunculi, furunculi, mœchunculi, quoad naturam nihilominùs ſint parentes, ideoqué reverenter habendi? *Aff.*

Etiam à ſpuriis, quos ab hoc debito perversè liberavit Solon? *Aff.*

Et, an natura, quæ communis eſt omnibus, extinguatur ſcelere, vel banno? *Neg.*

Ideoqué jura naturæ ac gentium retinere quis poſſit, utut amittat jura civitatis? *Aff.*

Annon tam illorum, quàm horum, tam frugi, quàm nauci, parentum nævi æquo animo ſint ferendi? *Aff.*

An ſine ſacrilegio detegantur, ſive illi ſint corporis, ſive animi? *Neg.*

Annon his in tertiis, benè atque in loco monentibus, liberi debeant modeſtè locum dare? *Aff.*

Immò etiam non monentibus in loco, cùm perſona parentum liberis ſemper ſancta eſſe debeat, dummodò nihil præcipiant, quod ſit contra religionem & regionem, hoc eſt, ſacra & leges? *Aff.*

An hanc reverentiam atque obedientiam etiam parentibus debeat filius in magiſtratu conſtitutus? *Diſt.*

Si minùs in cauſis publicis, in quibus non attenditur ratio patriæ poteſtatis, minimùm in cauſis privatis, ubi obſervatur

jus

jus domeſtici? *Aff.*

An ergò diverſa ſit poteſtas patria à publicâ, ita ut, qui eſt filiusfamiliâs ratione illius, poſſit eſſe paterfamiliâs ratione hujus? *Aff.*

Et, annon fœtus priùs naſcatur Reipublicæ, quàm familiæ, patriæ, quàm parentibus? *Aff.*

Ideoqué nemo mortalium jure patriæ poteſtatis poſſit queat prohibere, quò minùs liberi obſequãtur patriæ potiùs, quàm parentibus? *Aff.*

Quoqué minùs illius amorem anteferant horum charitati? *Aff.*

Abſque hoc ſit, annon illorum conſilium domi foriſqué teneantur ſequi? *Aff.*

Operas quin etiam domeſticas his præſtare? *Aff.*

Obſequialeſné tantùm ſive officiales, an verò etiam induſtriales ſive artificiales? *Aff. Utr.*

Atque adeò, annon liberi, quicquid ope operarum domeſticarum acquirunt, non ſibi acquirant, verùm parentibus, à quibus aluntur? *Aff*

Ideoqué hi eos, ſi præter operas domeſticas velint negociari in ſuam rem, domi poſſint detinere, ad operas ſibi debitas præſtandas? *Aff.*

Annon illud quoque de officio liberorum, ne quo caſu parentes ſuos deſtituant? *Aff.*

Utqué

Utqué defunctos lugeant? *Aff.*

An hodiequé illud sit necessarium, an verò ex ratione affectatæ pietatis tantùm, civilitatisqué? *Aff: Prius.*

An nominatim lugendus sit pater post cædem, qui ad interficiendos liberos, delendamqué patriam properat, si à filio, dum se aut patriam defenderet, servatis terminis legitimæ defensionis, fuerit occisus? *Disq.*

Denique, ut verbo absolvam officia liberorum, annon, sicut parentes tenentur cum liberis cõmunicare jura religionis, & patriorum sacrorũ, hosqué instituere in religione, ac ceremoniis sacrorũ, ita è converso liberi teneantur sequi religionem, & sacra suorum parentum, convenienterqué jura religionis, ac ceremonias sacrorum, his docentibus ac ducentibus, discere, salvâ tamen quod fiat iterum arbitrii libertate? *Aff.*

Officium Proprium Simplex Herile, seu, Heri & Heræ, Ethicum est: Communibus servis & ancillis bono exemplo ad virtutem ac honestatem ritè præire: Hos in moribus, &, haud scio, annon etiam in artibus, formare, informare. Oeconomicum: Eosdem decenter regere: Pensa his laborum tempusqué præscribere: Operas beneficè compensare, horsumqué eis præbere demensum, non negare peculium:

culium: Contrà oscitantiam ac supinitatem pro meriti qualitate plectere. Politicum: Non abuti servitiis in fraudem atque præjudicium Reipublicæ: Neque horum familias, vel multas, vel magnas, alere. Theologicum sive Ecclesiasticum: Instituere servos in religione, & ceremoniis sacrorum.

An etiam servi nullâ re faciliùs & feliciùs regantur, quàm exemplis? *Neg.*

Regantur tamen, verùm in secundis scilicet, non primis? *Aff.*

Eaqué propter dominos conveniat his suo exemplo ad virtutem atque honestatem domi sedulò præire? *Aff.*

Et vel instituere eos? *Neg.*

Minimùm curare instituendos in bonis litteris atque artibus? *Disq: Saltem Dist.*

Annon eosdem deceat hos decenter regere? *Aff.*

Inqué horum regimine vitare sævitiam, tenere severitatem? *Aff.*

Universè, ad opus atque cibum, condimenti loco, subindè addere fustem sive animadversionem, eò quòd opus sine cibo faciat servos asinos, id est, segnes, cibus sine opere porcos, id est, luxuriosos, castigatio sine utroque canes, id est, impudentes? *Aff.*

Annon asinina hæc segnities servulorum, porcina luxuria, ac canina impudentia eorundem, dominis sit præstanda? *Aff.*

Con-

Convenienterqué teneantur pro horum delictis ex hâc causâ? *Aff.*

Nominatim, si incendium, v g, in domo oriatur culpâ stabularii in stabulo, coqui in coquinâ? *Aff.*

Itemné, si illud accidat culpâ alterius, qui illi officio non erat deputatus? *Neg.*

Aut, si constet, ab illis officio deputatum fuisse hominem frugi, & bonæ famæ? *Neg.*

Annon liberentur exhibendo servos delinquentes? *Aff.*

Annon præter hoc demensum, id est, opus, cibum, fustem, (fas ita fari,) domini servis debeant adhuc aliud demensum, putà peculium? *Dist.*

Si minùs civiliter, saltem naturaliter? *Aff.*

Ita, ut ex humanitatis officio his quid pecuniolæ, sive pusillæ ac pauperis substantiæ, quam peculium à pecu dixerunt, separatum à rationibus dominicis, deducto inde, si quid ipsis debeatur, concedant? *Aff.*

An his possint abuti pro libidine, adigendo eos ad inhonesta servitia, ut, v g, visu orbati fistulas, genitalibus equarum impositas, ore inflent, lactis emulgendi gratiâ, vocando ad scelera, ut, v g, Capitolium incendant, impia arma contra patriam expediant, sicâ veneno aggrediantur opporr-

portunos insidiis? *Neg.*

Atque adeò, annon rectè, immò bis rectè, præter Adrianum, qui servos atque ancillas lenoni vel lanistæ vetuit vendi, castrari item ac thlibias fieri, Severus imperator, qui eosdem vetuit prostitui, hisqué potestatem dedit ad statuas confugiendi, siquidem ad impudicitiam, turpemqué violationem, essent compulsi? *Aff.*

Annon dominis liceat vel integras servorum familias alere? *Aff.*

Easqué bene multas? *Neg.*

Magnasqué? *Neg.*

Denique, annon domini cum servis teneantur cõmunicare jura religionis, & dominicorum sacrorum? *Aff.*

Convenienterqué eos instituere in religione, ac ceremoniis sacrorum? *Aff.*

Hocqué fine illis diebus feriatis vacationem dare ab opere? *Aff.*

An ergò diebus feriatis penitùs sit abstinendum à laboribus quotidianis? *Dist.*

Minimùm die jejunii, & dominico, qui successit in locum sabbathi? *Aff.*

Annon interim die dominico liceat vacare operibus charitatis, & necessitatis? *Aff.*

Convenienterqué agere, quæ pridiè nequeunt confici, neque in crastinum possunt differri? *Aff.*

Officium Proprium Simplex Servile, seu

Servi

Servi & Servæ, Ethicum est: Adheri & heræ exemplum ac mores se componere, ingeniumque eorum pro lege ac normâ habere: Eos vereri, aut timere potiùs: Morositatem horum ferre. Oeconomicum: Heris regentibus modestè locum dare, locum, inquam, in loco: Nihil sine mandato domino agere: Operas his domesticas dies noctesquè præstare: Pensa laborum diligenter curare: Nunquam eos destituere: Horum charitatem propriæ anteferrè: Demùm, peculium administrare sobriè. Politicum: Non obstringere se dominis scelere contra leges & patriam, neque pileum, id est, libertatem, majoris facere, quàm pallium, id est, honestatem & bonos mores. Theologicum: Iura religionis, & ceremonias sacrorum, his docentibus ac ducentibus, discere.

Annon mores & humores dominorum debeant esse pro lege animatâ servis? *Dist.*

Si minùs incomposiți, saltem composiți & regulati? *Aff.*

Immò & incomposiți, ac sic satis mori & morosi? *Aff.*

Annon præter hoc officium his in secundis quoque debeant honorem, tanquam præstantioribus ac præstabilioribus? *Aff.*

Timoremquè, tanquam superioribus, & potentiâ armatis? *Aff.*

Ideoquè his, benè atque in loco quid mandantibus, teneantur in tertiis submisse

missè locum dare? *Aff.*

Immò, & non mandantibus in loco, dummodò nihil præcipiant, quod sit contra dominum religionis, hoc est, sacra & leges? *Aff.*

Annon insuper his teneantur præstare operas domesticas, easqué, tam obsequiales, quàm industriales, tam officiales, quàm artificiales? *Aff.*

Ideoqué, si alias res velint agere, ad operas domesticas postliminiò possint revocari? *Aff.*

Et vel cogi? *Aff.*

An per operas aliæ intelligantur, quàm quæ fieri possunt, & debent? *Neg.*

Hocqué posito, cùm ad scelera vocantur à dominis, operam suam his meritò possint negare? *Aff.*

Itemné, cum ad defensionem? *Neg.*

Annon pro his officiis ipsis debeatur peculium? *Dist.*

Si minùs de jure, minimùm de æquitate? *Aff.*

An alio titulo, quàm filiisfamiliâs? *Aff.*

Denique, ut verbo absolvam officia servorum, annon, sicut domini tenentur cum servis communicare jura religionis, ac dominicorum sacrorum, eosqué instituere in religione, ceremoniisqué sacrorum, ita è converso servi teneantur sequi religionem & sacra suorum dominorum, convenienterqué

terqué, jura religionis, & ceremonias sacrorum, iis docentibus ac ducentibus, discere, salvâ tamen quod fiat iterum arbitrii libertate, quæ manet vel in ipsâ servitute, atque ita quidem manet, ut in iis, quæ colendo Deo, & curandæ saluti animarum faciunt, nullo dominio queat impediri? *Aff.*

CAPUT V.

Administratio Societatis Domesticæ Realis. Divisio ejus, in Φυλακτικὴν, Conditoriam seu Repositoriam, & Χρηστικὴν, Promtuariam seu Vsuariam. Τῆς Φυλακτικῆς exponuntur Causæ, tum Conservantes, quæ sunt, Commoda Depositio & Dispositio, tum Corrumpẽtes, quæ sunt, Contraria Indepositio & Indispositio. Dubia, seu Quæstiones Cõtroversæ, incidenter & pro re natâ.

EVit *Administratio Societatis Domesticæ Personalis, seu Hominum Domesticorũ: Restat Administratio ejusdem Societatis Realis, seu Possessionum Domesticarum.*

An

An satis sit, rectè acquirere rem familiarem? *Neg.*

Annon oporteat rectè acquisitam rectè etiam administrare? *Aff.*

Et si, ideò perquam necessaria sit ejus administratio? *Aff.*

An magis, quàm familiæ? *Neg.*

Quod si non, an ergò patremfamiliâs universè magis solicitum esse conveniat de hâc, quàm de illâ? *Aff.*

Fortean ideò, quòd ad domus constitutionem magis requiratur familia, quàm res familiaris, cùm sine illâ hæc consistere nequeat? *Aff.*

Vtra administratio mala sit peior, familiæné, an rei familiaris, & contrà, utra administratio bona melior, illiusné, an hujus? *Aff: Prius.*

Si illius, putà familiæ, annon iccircò patrēfamiliâs plus studii ponere conveniat circa homines in Oeconomiâ, quàm circa possessiones, circa virtutem illorum, quàm circa virtutem harum, sicut Politicus plus curæ impendit circa populum, quàm circa rem populi? *Aff.*

Administratio Societatis Domesticæ Realis continet τὸ Φυλακτικὸν, *Conditoriam seu Repositoriam,* & τὴν Χρηστικὴν, *Promtuariam seu Vsuariam.*

Hæ Φυλακτικὴ, *Conditoria, est administrationis societatis domesticæ realis ea pars,*

quæ

quæ moderatur cuſtodiam ac conſervationem dictarum poſſeſſionum, unde & Τηρητικὴ audit: Complectiturque harum Cauſas, tum Conſervantes, ſeu Virtutes, tum Corrumpentes, ſeu Vitia.

Annon, non minor virtus, quàm quærere, parta tueri? *Aff.*

Cumqué hoc ita ſit, paterfamiliâs non non ſuo loco vitare debeat luxuriam in victu, luxum in amictu? *Aff.*

Mater item familiâs eundem in mundo ſuo muliebri. quem ſic vocitant? *Aff.*

Vterque in ſympoſiis ac ſyſſitiis, ſive illa ſymbolica ſint, ſive natalitia, ſive alterius generis? *Aff.*

Feſta profeſta, privata publica? *Aff.*

Ad utrum conjugum in comparatione magis pertineat cura cuſtodiendi rem familiarem, ad patremné familiæ, an matrem? *Aff: Poſt.*

Fortean ideò, quòd ille robuſtior, hæc timidior & imbellior? *Aff.*

Annon frugi patremfamiliâs deceat, non tantùm invẽtarium ſuarum poſſeſſionum, ſed etiam tabulas accepti & expenſi, ad manum habere, non ſolùm, quò ſic majorem ac diſtinctiorem curam rerum ſingularum gerere poſſit, verùm etiam, quò meliùs queat animadvertere, quid ſit, vel amiſſum, vel corruptum, vel dolosè ſubtractum, ſummam item annuorum redi-

tuum

tuum meliùs ſcire, ſumtuſqué ſecundum eos inſtituere, nec non diſcere, utrùm plures habeat poſſeſſiones fructuoſas, quàm infructuoſas, quiqué fructus, aut non proveniant, cùm poſſint provenire, fieriqué queant majores, cùm ſint exigui? *Aff.*

Annon eundem deceat, vendacem potiùs eſſe, quàm emacem? *Aff.*

Uter modus hîc ſit præferendus, Atticuſné, an Perſicus? *Diſt.*

Annon ſaltem Atticus in parvis Oeconomiis, ubi exigui ſunt fructus annui, ita ut neceſſe habeat paterfamiliâs, omnes fructus ſuorum agrorum quotannis integrè vendere, nullis ſervatis, aut meliores vendere, ac viliores, quibus ipſe utatur, aliundè emere, atque ita ex illâ permutatione aliquid lucrari, contrà Perſicus in magnis Oeconomiis, ubi magni ſunt fructus annui, ita ut non neceſſe habeat paterfamiliâs omnes fructus ſuorum latifundiorum quotannis integrè diſtrahere, nullis ſervatis, aut vendere ac divendere meliores, vilioreſqué, quibus ipſe utatur, aliundè emtitare, ſed ſuperfluos tantùm, neceſſariis retentis? *Aff.*

Vter horum modorum minùs ſit periculoſus, & fraudibus aliorum expoſitus, Atticuſné, an Perſicus? *Aff: Poſt.*

Vter item minùs moleſtus, Atticuſné, an Perſicus? *Aff: iterum Poſt.*

Cauſæ

Causæ Conservantes Possessionum Domesticarum sunt binæ numero, Commoda videlicet earum, cùm Depositio seu Conditura, tum Dispositio seu Ordinatio: Quarum altera operam dat, ut possessiones domesticæ idoneis locis, tabulatis, conditoriis, cellis, rectè deponantur, altera, ut ritè, hoc est, ordine atque ordinatè, in suis illis hospitiis ac diversoriis, disponantur, habeanturve, quam partem Philosophus vocat τὸ Λακωνικὸν, seu rationem Laconicam.

Causæ Corrumpentes Possessionum Domesticarum sunt totidem numero, Contraria videlicet earum, cùm Indepositio, (fas ita loqui,) tum Indispositio: Quarum altera peccat in depositione, dum possessionibus assignat peregrina, atque aliena ab earum ingenio loca, altera in dispositione, seu modo depositionis, dum easdem illic locat & collocat inordinatè, habet quin etiam negligenter.

Annon supellex domestica, ut ordinabilis, ita ordinata, id est, quemadmodum disponibilis, ita disponenda, suo quæque ordine, loco, tempore? *Aff.*

Annon huc in specie accommodanda sit domus ædificatio atque descriptio? *Aff.*

Annon in hujus architecturâ nominatim ratio sit habenda commoditatis & salubritatis, non solùm respectu hominum seu

perſonarum, ut ſit ſuis conclavibus diſtincta, pro viris, mulieribus, liberis, ſervis, hoſpitibus, ſed etiam reſpectu poſſeſſionum ſeu rerum, ut ſit ſuis cellis, partim perflabilibus, partim nō perflabilibus, apta, pro frugibus & fructibus ſervandis, tam aridis, quàm humidis, nec non veſtimentis, lectis, aliiſqué ſupellectilibus atque utenſilibus, ne ſitum contrahant, aut putredinem, aliové modo vitium capiant, ut ad convenientes cœli plagas ſita, æſtate ventis, inqué his Aquiloni, hieme ſoli, Euroqué, vel Auſtro, expoſita? *Aff.*

CAPUT VI.

Adminiſtrationis Societatis Domeſticæ Realis pars altera, quæ dicitur Χρηστικὴ. Canones ejus aliquot Generales, ſecundum triplicem Κτητικὴν, Naturalem, Artificialem, & Mixtam, id eſt, partim Naturalem, partim Artificialem. Τῆς Κτητικῆς Naturalis Canones quatuor: Simplicis tres, de Paſtoritiâ, Venatoriâ, Agriculturâ, ſingulis ſinguli: Compoſitæ unus, ex conjugatione & complicatione priorum ortus. Τῆς Κτητικῆς Artificialis quin-

que,

que, de Commutatoriâ ſeu Permutatoriâ, Mercaturâ ſeu Commerciariâ, Mercenariâ ſeu Operariâ, Cauponiâ ſeu Tabernariâ, & Numulariâ ac Quæſtuariâ coincidenter, ſingulis iterum ſinguli. Τῆς Κτητικῆς Mixtæ, id eſt, partim Naturalis, partim Artificialis, tres, de Lignicidinâ, Lapicidinâ, & Metallicâ, ſingulis ſinguli. Operoſior horum omnium tractatio rejecta ab Oeconomicâ Generali, cujus hic ſyſtema adornamus, ad Oeconomicam Specialem, adeoqué ab Oeconomico ad Oeconomum. Dubia, ſeu Quæſtiones Controverſæ, incidenter & pro re natâ.

Χρηστικὴ, *Promtuaria ſeu Uſuaria, eſt adminiſtrationis domeſticæ realis ea pars, quæ moderatur uſum ſive regimen poſſeſſionum domeſticarum.*

Annon rei familiaris natura magis conſiſtat ἐν χρήσει, ἢ ἐν κτήσει, in uſu, quàm poſſeſſione? *Aff.*

Sicut inſtrumenti, cujus omnis vis in

usu, non possessione? *Aff.*

Ideoqué bonus Oeconomus non tam dicendus sit is, qui multa acquirit ac possidet, quàm qui acquisitis benè utitur, quique adeò est χρηστικὸς τῶν ὑπαρχόντων? *Aff.*

Cùm Oeconomi, quatenus Oeconomi, officium sit, non conquirere, (nam hoc facere potest etiam non-Oeconomus,) verùm conquisitis in administrandâ re domesticâ rectè uti? *Aff.*

Secùs si faxit, si vel Crœsi aut Crassi divitias possideat, neque tamen his utatur, aut utatur quidem, sed non benè, an Oeconomus? *Neg.*

Atque adeò, annon possessiones domesticæ sint de numero facultatum? *Aff.*

Ideoqué se habeant ad utrumlibet oppositorum, ita, ut & benè his quis possit uti, & malè? *Aff.*

An bonus Oeconomus, qui his sic utitur indifferenter, id est, tam benè, quàm malè, tam malè, quàm benè? *Neg.*

An sufficiat, ut bonus Oeconomus aliorum tantùm scripta legat, qui de rationibus Oeconomicis scripserunt, an verò insuper requiratur, ut eorum facta observet atque imitetur, qui in conquirendis opibus novas & peculiares vias excogitârunt? *Neg: Prius: Aff: Post.*

Moderamen hoc certis Regulis ac Canonibus, Practicis, dicam, an Practicabilibus,

bus, circumscribitur, quorum alii pertinent ad τῶ Κτητικῶ Naturalem, alii ad Artificialem, alii ad Mixtam, hoc est, partim Naturalem, partim Artificialem.

Canones τῆς Κτητικῆς Naturalis universè vel Simplicis sunt, vel Compositæ.

Canones τῆς Κτητικῆς Simplicis sunt tres numero, pro triplici ejus specie, Pastoritiâ videlicet, Venatoriâ, & Agriculturâ: Inter quas hoc intergerini discriminis, quòd Pastoritia non sit conjuncta cum labore, conjunctæ reliquæ, & quidem, vel cum periculo, ut Venatoria, vel sine, ut Agricultura.

De Pastoritiâ hic est Canon: Ut frugi Oeconomus non inaccuratam rationem habeat animalium cicurum, pecudum, dico, pecorumque, adeoque videat, quæ in his, & ex his, sint, tum compendiosiora, tum fructuosiora, v g, præsletne alere oves potiùs, quàm boves, vaccas, quàm capras? Quæ item quibus locis optima sint, optimeque proveniant, v g, ubi optimum sit pecus bubulum? ubi optimum equitium, capritium? Idem de avibus altilibus seu cohortalibus judicium & præceptum.

De Venatoriâ ille: Ut frugi Oeconomus subindè, atque in secundis, rationem quoque habeat animalium ferorum, hisque ita de jure naturali utatur fruatur in suum suorumque compendium, ne vim fraudem-

vè interim faciat Iuri Civili, quod naturalem venationis licentiam, ſic ferentibus ac poſcentibus publicis neceſſitatibus, utiliter coanguſtavit. Ergò piſcinas atque aviaria habebit ille quidem, verùm haud ſcio, an etiam vivaria. Universè autem & in his conſtituet, quæ quibus ſint, tum commodiora, tum utiliora.

De Agriculturâ iſte: Ut frugi Oeconomus diligentem curam gerat agrorum, tam frumentariorum, quàm paſcuariorum, hortorum item pomariorum, vinearum, adeoquè videat, ubi meliùs ſegetes proveniant, ubi olera & pecudum pabulum? Quæ loca magis commoda atque opportuna ſint arboribus, quæ vitibus, quæ oleis? Tum, utra prædia ſint fructuoſiora, urbanane, an ructica? Et, ſi qua ſunt generis ejuſdem.

Canones τῆς Κτητικῆς Compoſitæ iidem ſunt conjunctim in compoſitione, qui ſingularum ſpecierum diviſim extra compoſitionem, alius Paſtoritiæ, conjunctæ cum Venatoriâ, alius Paſtoritiæ, conjunctæ cum Agriculturâ, alius Venatoriæ, conjunctæ cum Agriculturâ, alius denique Paſtoritiæ, conjunctæ, & cum Venatoriâ, & cum Agriculturâ.

Canones τῆς Κτητικῆς Artificialis concernunt, vel Commutatoriam ſeu Permutatoriam, vel Pecuniariam laxè ſumtam.

De Commutatoriâ ſeu Permutatoriâ hic

eſt

est Canon : Ut frugi Oeconomus familiariter noverit rationes , secundum quas fiunt & instituuntur permutationes, quæque ex his sint honestiores , utiliores , & magis necessariæ. In quâ comparatione , honestas utilibus, magis necessarias minùs necessariis, præferre debebit , si sapit.

De Pecuniariâ laxè sumtâ non unus est Canon , sed vel quadruplex , pro quadruplici ejus specie.

De commerciariâ seu Mercaturâ hic : Ut frugi Oeconomus etiam atque etiam videat , quæ ex ejus speciebus sit artificiosior , vel minùs artificiosa , liberalior , vel minùs liberalis , fructuosior , vel minùs fructuosa , tutior , vel minùs tuta. Est enim inter has ordo , ut artis & honestatis, ita utilitatis ac securitatis. Ac artificior quidem , in quâ minimùm est fortunæ , hoc est , ubi acumen magis , atque industria , quàm casus , valet , minùs artificiosa contrà, in quâ plurimum est fortunæ, hoc est , ubi casus magis, quàm acumen atque industria , valet : Liberalior , quæ magnis summis exercetur , quæque merces summariè vendit , non per minutas mensuras , & quæ tractat ejusmodi merces , quibus non inquinatur corpus, sordidior cõtrà, quæ sit minutioribus summulis , talibusque mercibus , quibus fœdatur corpus, inquinantur coinquinantur membra : Fructuosissima

porrò mercatura naviculatoria, præsertim maritima, proxima subvectoria seu oneraria, huic inde proxima stataria: Tutissima denique hæc ipsa stataria, minùs tuta, magisque periculosa, oneraria, minimè verò omnium tuta, adeoque maximè periculosa, naviculatoria, cumprimis maritima.

Enimverò, (ut hoc obiter addam, immò verò non obiter,) in ordinatâ negociandi ratione frugi Oeconomo insuper non negligendum, τὸ Vnde, & Quomodo, quorum illud continet loca & personas, hoc tempus & formam. De locis tenendum, ex quibus, & ad quæ, hæc vel illa mercium genera, sint asportanda. Alibi namque alia supersunt, alia desunt, alia pluris, alia minoris, æstimantur. De personis tenendum, vitandos in contractibus & commerciis esse callidos ac malitiosos κύμβικας cumini sectores ex unâ parte, parte alterâ non esse captandos ac capiundos imperitos & simplices. De tempore tenendum, quo quidque maximo aut minimo veneat, & quanto dierum intervallo quantum emolumenti præstare valeant merces. De formâ negociandi commodùm, quæ fori sunt mercatorii, tradi nequeunt, ob versatile ac volatile ingenium magni illius Vertumni Mercurii. Quare ista iis, qui ad medium Ianum sedent, remittimus. Illud tantùm

heic

heic insusurramus in aurem, expedire, ut mercatores habeant scrinium cum loculis, in quo separatæ sint rationes agendorum, hasque vesperi aut manè excutiendas esse, atque ita initâ ratione negociandum.

De Mercenariâ seu Operariâ ille: Ut frugi Oeconomus accuratè hîc distinguat inter sordidam operæ elocationem, & liberalem, atque illam vitet, si pote, hanc non defugiat.

De Cauponiâ seu Tabernariâ iste: Ut frugi Oeconomus inviolata servet jura hospitii, alimenta & pabula divertentibus apud se hominibus ac jumentis bonâ fide præstet, non vinum adulteret, non fœnum, neque in minuto quæstu erga peregrinos improbè agendi occasiones fraudulenter captet.

De Numulariâ iste: Ut frugi Oeconomus teneat laudabilem modum in elocādâ ac collocandâ pecuniâ, conquè sequenter numo, tanquam danti pariter atque accipienti opportuno ad lucrum organo, opportunè utatur, id est, citra contrahentis, vel noxam, vel fraudem.

Canones τῆς Κτητικῆς Mixtæ, hoc est, partim Naturalis, partim Artificialis, sunt tres numero.

De Lignicidinâ hic: Ut frugi Oeconomus solicitè caveat, ne surgentia ac nascentia ligna cædantur, tum, ut cedantur per inter-

36 1124 1 200

tervalla, quò habeant respirandi & recrescendi spatium, demùm, ut cedantur dextro tempore, id est, Lunâ minuente. Nam tempore lævo cæsæ arbores, nescio quomodo, citò tarmites faciunt, adeoque universè omnia, quæ cæduntur, carpuntur, conduntur, innocentiùs decrescente Lunâ, quam proficiente, cæduntur, carpuntur, conduntur.

De Lapicidinâ ille: Ut frugi Oeconomus parem solicitudinem adhibeat circa cæsuram lapidum, ne continuum lapidicidium excidium tandem afferat lapidibus.

De Metallicâ iste: Ut frugi Oeconomus in fossurâ metallorum ac mineralium rationem habeat incrementi & decrementi, opulentiæ & inopiæ, neque iisdem semper venis fidat ac confidat, sed subindè quærat novas.

Verùm hæc explorare diligentiùs, atque perscrutari examinatiùs, alterius fortean fuerit, & artis, & artificis, neque tam Oeconomicæ Generalis, quàm Specialis, atq; Oeconomi potiùs, quàm Oeconomici. Quare manum de tabulâ.

Quæstiones Practicas singulorum Canonum repete sis ab horum studiorum artificibus: Me Pythagoras jubet heic silere, Plato quiescere, Aristoteles ἐπέχειν, ἐπέχειν.

FINIS.

1500.-